
BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XV
D
15
NAPOLI







PRAXIS IVDICIALIS FORI ECCLESIASTICI,

In qua variæ Conclusiones, nedum iuxta Iuris communis dispositionem, sed etiam Sacrosancti Concilij Tridentini, eiusque Sacræ Congreg. Decreta, ac Summorum Pontificum nouissimas Constitutiones, dilucidè continentur.

Quæ Sacrorum Canonum, ac Iuris Cæsarei studiosis, & maximè Clericis in foro Episcopali, & sæculari non minus sunt vtiles, quàm necessariæ.

AVTHORE

MARCELLO VVLPE


V. I. D. Archidiacono Ciuitatis Montispelusij.

Hac nostra editione multis Additionibus † signatis aucta, ab infinitis mendis expurgata, & duplici Indice locupletata.

Perillustri, & Reu.mo D.

D. IVLIO CÆSARI CIMINELLO

V. I. D. Prothonotario Apostolico Decano, & primæ Dignitati Metropolitanæ Ecclesiæ Matheranæ Domino suo Col.mo









VENETIIS, Apud Baba. M. DC. LVI.

SVPERIORVM PERMISSV, ET PRIVILEGIO.





Perilluſtri, & Reuerendiſsimo D.

D. IVLIO CÆSARI CIMINELLO

V. I. D. Prothonotario Apoſtolico Decano, & primæ Dignitati Metropolitanæ Eccleſiæ Matheranæ Domino ſuo Col.^mo^



VM iamdiu, Praxim Iudicialium Fori Eccleſiaſtici nuper per Admodum Reuerendum Dominum Marcellum Vulpe Archidiaconum Cathedralis Eccleſiæ Ciuitatis Montiſpelusij in lucem editam, typis committere propoſuiſſem, illamque inſigni præſtantique Viro dicare cogitarem, ſtatim perſona Tua, adeò mihi fauorabilis occurrit; ita vt nemini alteri dicandam eſſe ſtatuerim. Et non immeritò. Nam ommiſſis tot tantiſque à Te mihi diu pluribus vicibus, diuerſis temporibus collatis beneficijs, quæ recenſere ſuperuacaneum foret, pro quibus id mihi faciendum par erat, attamen aliæ ad id peragendum concurrunt rationes, nempè par Dignitas in-

ter Te, & Auctorem, qui fuit Archidiaconus, & prima Dignitas in Cathedrali, & Te cui dicatur qui es Decanus, & prima Dignitas in Metropolitana. Nec non & inter vos vtriusque patriæ extat propinquitas, Vrbis nempè Matheranæ, & Montispelusij, quæ ita adinuicem distant, quod earum fines simul iunguntur, minusque dicta legali interuallum inter eas existit, præter summam inter quondam Archidiaconum illum, & Te Decanum necessitudinem pariter & familiaritatem adinuicem qua iamdiu iuncti eratis. His igitur, & alijs efficacissimis permotus rationibus librum istum ex se quidem dignum, ac diutino, & non contemnente labore per Authorem compilatum, sub Tua protectione in lucem edere, typisque mandare paratus sum, certo sciens librum ipsum optimum habiturum patronum, qui illum ab improbis protegere, & defendere paratum fore certò scio. Accipe igitur hilari fronte Decane Amplissime munusculum istud à me tibi libenti animo dicatum; meque consueto prosequi amore non dedigneris, prout Te facturum proculdubio confido, vt ad alia tibi dicanda in futurum vberius me accingam.

Venetijs Calendas Decembris 1655.

Amplitudinis Tuæ Perillustris, & Reu.[ma]

Addictissimus Seruus

Franciscus Baba.



AVCTOR

Ad Lectorem.

VM pro imbecillibus meis viribus, ac tenui facultate ingenij ex Iure Cæſareo, & Pontificio, & præſertim iuxta Sacroſancti Concilij Tridentini, eiuſq; Sacræ Congregationis decreta, ac Summorum Pontificum nouiſſimas Conſtitutiones, & Iura Regni in praxi admodum accomodatas, & quæ in foro Eccleſiaſtico, & ſęculari in dies occurrere poſſunt, varias collegerim concluſiones, mihi tantùm profuturas exiſtimaui; vt eas præ manibus habens, labori parcerem, non vt in publicum prodientes omnium iudicium, & cenſuram ſubirem; & eò magis cum mei ingenij imbecillitatem nouerim, non tantùm mihi eruditionis tribuo, vt alios me poſſe docere audeam; id enim nunquam in mentem venit, præſertim quod quamplures immò innumerabiles haſce temporibus ex omni parte abſolutiſſimi Doctores vtriuſq; facultatis tot edidere volumina, quod opuſculum hoc ex ingenio minus elaboratum in tantorum virorum doctiſſimorum comi-

tatu


tatu inoffenſo pede prælo demandare verebar; terrebat inſuper detractorum magna caterua, quæ cum ſtatim, quòd oculis inuidis libellus iſte occurriſſet, & alienis laboribus has concluſiones compilatas eſſe obijciſſet; quapropter hac in re, anceps fluctuabat animus; præualuit tandem amicorum authoritas, quibus hæ lucubrationes perutiles, ac penè neceſſariæ, præcipuè perſonis Eccleſiaſticis viſæ ſunt; neque enim in hoc aliquid erroris agnoſco, cùm ex illarum lectione nihil damni, ſed potius vtilitatis ſit proditurum; ea ſaltem ſpe confiſus, quòd iuxta Plinij ſententiam, *Nullus eſt liber tàm malus, qui ex aliqua ſui parte prodeſſe non poſſit*. In manibus ergo tuis, amice Lector, hæ qualeſcumque ſint, veniunt lucubrationes, in quibus licet plus laboris, quàm ingenij inuenies, alienos tamen ſudores non inuerecundè mihi vendico; ſincera namque fide authores, ex quorum doctrina percepi, fideliter referre æquum viſum fuit; dedecet enim, imò inciuile, ac indignum eſt non profiteri, per quos quis profecerit; libenti animo libellum nunc perlegere ne indigneris; & ſi quid quod tibi bonum videtur, reperies, boni conſulas; ſin minus, non vti Zoilus, aut Momus precor inſurgas, ſed qua decet charitate, & benignitate corrigas; opus namque hoc non modo correctioni, & iudicio Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, cui in omnibus reuerentia, & authoritas debetur, ſed etiam melius me ſentientis ſubmitto. Vale.

INDEX
CAPITVLORVM.



22 De

PRA-



PRAXIS IVDICIALIS FORI ECCLESIASTICI.

MARCELLO VVLPE

V.I.D. Archidiacono Ciuitatis Montiſpeluſij Auctore.



CAPVT PRIMVM.

De Excommunicatione aliqua magis practicabilia.

SVMMARIVM.

1 EXcommunicatio ob peccatum mortale ferenda eſt.
2 Excommunicatio eſt pœna grauiſſima.
3 Forma data per Concilium Tridentin. in ferenda excommunicatione.
4 Excommunicatio eſt ferenda in ſubſidium.
5 Excommunicatio iniuſta non obligat ad culpam.
6 Excommunicatio iniuſta tribus modis contingere poteſt.
7 Excommunicatio iniuſta ex animo quando eſt.
8 Excommunicatio quando eſt iniuſta ex ordine.
9 Monitio trina requiritur in ferenda excommunicatione.
10 Excommunicatio contra participantes cum excommunicato eſt nulla, ſi non præcedit monitio.
11 Excommunicatio poteſt eſſe iniuſta ex cauſa.
12 Excommunicatio iniuſta ex cauſa an ſit valida, & liget.
13 Theologi non faciunt differentiam inter excõmunicationem iniuſtam, & nullam.

14 *Iudicium iniustum est iudicium nullum.*

15 *Excommunicans iniustè quibus pœnis afficitur.*

16 *Excommunicatio nulla quibus modis contingere potest.*

17 *Excommunicatio lata contra hominem non baptizatum furiosum, mente captum, vel infantem, est nulla, & lata à Iudice carente iurisdictione, vel intruso, vel recusato.*

18 *Excommunicatio lata contra eos, qui visitantur ob non solutionem procurationis vltra id, quod à iure est statutum, est nulla.*

19 *Excommunicatio lata post legitimam appellationem est nulla.*

20 *Excommunicatio quotiescumque est nulla, non est timenda.*

21 *Excommunicatus nulliter an possit celebrare.*

22 *Absolutio non est necessaria in excommunicatione nulla.*

23 *Appellatio ab excommunicatione lata non suspendit, sed deuoluit causam.*

24 *Appellatio à sententia declaratoria excommunicationis, an suspendat eam.*

25 *Appellatio à sententia Iudicis declarantis quem incidisse in excommunicationem impedit affixionem cedulonum.*

26 *Nullus quantumuis notorius est condemnandus absq; præuia citatione.*

27 *Excommunicatus moriens in excommunicatione debet carere sepultura Ecclesiastica.*

28 *Absolutio ab excommunicatione mortui à quo est danda.*

29 *Excommunicatus excommunicatione Papali, & denuntiatus, si obtinuerit absolutionem à Confessario habente potestatem absoluendi, an illa absolutio possit ei prodesse, etiam in foro exteriori.*

30 *Excommunicatio, quæ à principio non valuit, an tractu temporis conualescere possit.*

31 *Excommunicatio an afficiat subditos existentes extra territorium excommunicantis.*

32 *Monasteria Regularium sunt exempta à iurisdictione ordinariorum.*

33 *Clericus percutiens se ipsum est excommunicatus.*

34 *Clericus ob mutilationem suorum membrorum efficitur irregularis.*

35 *Percutiens Clericum ipso facto incidit in excommunicationem.*

36 *Declaratio nihil noui facit.*

37 *Taciti, & expressi eadem est virtus.*

38 *Percussio an sit leuis, mediocris, vel grauis, relinquitur arbitrio Iudicis.*

39 *Prouocatus verberibus à clerico, si eum repercutit, non est excommun.*

40 *Moderamen inculpatæ tutelæ consistit circa tria.*

41 *Primi motus non sunt in nostra potestate.*

42 *Auxiliantes, fauentes, & assistentes percutientibus Clericos sunt excommunicati.*

43 *Senex, vel dignitatem obtinens in Ecclesia percutiens leuiter clericum zelo correctio-*

rectionis, vel seruitij Ecclesiæ, non sunt excommunicati.

44 *Carcerantes Prælatos, & Iudices Ecclesiasticos sunt excommunicati in Bulla Cænæ Domini.*

45 *Citatus domi, an possit excommunicari.*

46 *Duellantes sunt excommunicati excommunicatione Papali.*

47 *Collatio beneficiorum facta excommunicato est nulla.*

48 *Clausula absoluentes, & absolutum fore censentes in rescriptis Apostolicis quid operatur.*

49 *Absolutus iniustè ab habente potestatem absoluendi est verè absolutus.*

50 *Iudex Ecclesiasticus tenetur publicare excommunicatum ab alio Iudice in eius Diœcesi.*



QVAMVIS plurimi, immò innumeri Doctores tàm Canonistæ, quàm Theologi de excommunicationis materia diffusè, & subtiliter scripserint: tamen ego aliqua, quæ magis in praxi accidere solent, pro tyronum instructione annotare censui. Sed in primis admonitos esse velim Iudices Ecclesiasticos, ne tàm faciles, & proni ad excommunicationem ferendam sint, maximè latæ sententiæ; cum nulla maior pœna sit in Ecclesia Dei, quàm excommunicatio, cap. Corripiantur 24. q. 3. Abb. in cap. cum dilectus, n. 6. de his, quæ vi, metus caus. fiunt. Sed sobriè, & cum magna maturitate, & deliberatione est imponenda: & quandiù habemus alia remedia, ad eam non est deueniendum; cum excommunicatio sit vltimum remedium cap. clericus, de vit. & honest. cler. Concil. Trid. sess. 25. cap. 3. de reform. vbi etiam dicitur, quòd si temerè, aut leuibus ex causis incutiatur, magis contemnitur, quàm formidatur. Non enim est ferenda, nisi cum deliberatione, & causæ cognitione, cap. si Episcop. & cap. seruetur 16. q. 3. & licet pro contumacia ferri possit, non tamen
1 pro qualibet contumacia, sed ob peccatum mortale, & graue, & enorme contumaciæ, & inobedientiæ, quo quis Ecclesiæ obedire recusat, quod alio modo curari nequeat, Nauar. in Manual. cap. 27. num. 9. Couar. in cap. alma mater, par. 1. §. 9. num. 4. Hugol. de Eccles. censur. tabul. 1. cap. 17. §. 7. & cap. 18. §. 3. Abb. in cap. qua fronte, num. 7. de appellat. & in cap. significauit, num. 1. & 4. de offic. Ordin. & c. cum non ab homine, num. 25. de iudic. & in cap. cum sit Romana, num. 33. & in cap. fraternitati, num. 1. de cler. excom. ministr. & in cap. officij, num. 1. eod. tit. & in cap. ex parte, num. 3. de verb. significat. Henriquez lib. 13. cap. 17. §. 3. Lex

enim non prohibet, aut præcipit sub pęna excommunicationis, nisi illud, quod homo sub peccato mortali facere, aut vitare tenetur.
2 Cùm enim excommunicatio sit pœna grauissima, non debet ferri, nisi pro grauissimo peccato, vt pęna proportionetur quantitati
3 culpę, cap. felicis, de pœn. lib. 6. Hinc est, quòd Concilium Trid. in dict. cap. 3. statuit, vt Iudices Ecclesiastici abstineant, tàm in procedendo, quàm definiendo à censuris, sed post mulctas pecuniarias, post captionem pignorum, personarumque districtionem,
4 & beneficiorum priuationem, deueniendum esse ad extremum remedium, & in subsidium ad excommunicationem, Abb. in cap. cum esses, num. 7. de testam. & in ca. aliquibus, nu. 4. de decim. S. Anton. part. 3. tit. 24. cap. 73. Angel. in verb. excommunicatio 1. num. 22. Siluest. in verb. excommunicatio 1. num. 11. Tabien. eodem vers. verum excommunicatio, Nauar. in Manual. c. 27. nu. 9. Hinc est, quod sæpissimè euenit, excommunicationem, vel esse iniustam, vel nullam ob defectum conditionum, quæ requiruntur in ipsa ferenda, idq; prouenit, quando Iudex inconsideratè, &
5 properanter illam fulminat, quamuis excommunicatio iniusta non obliget ad culpam, Couar. in cap. alma mater, §. 7. num. 5. vers. prima conclusio, part. 1. de sent. excomm. lib. 6. vbi alios refert, & satis euidenter colligitur in cap. cui est illata, cap. illud. cap. cœpisti, cap. obest, 11. q. 3. & cap. si quis non rectè 24. q. 3.

Excommunicatio iniusta tribus modis contingere potest ex
6 animo, ex ordine, & ex causa, cap. Episcopus, §. si ergo 11. q. 3. glos. in cap. sacro, in verb. iusta, de sent. excommunic. Abb. in cap. ab excommunicato, num. 15. de rescript. S. Anton. part. 3. tit. 24. cap. 73.
7 Dicitur excommunicatio iniusta ex animo, quando Iudex ex odio, aut alia passione inordinata aliquem excommunicat non zelo iustitiæ, nec ad correctionem arg. cap. ille, 11. q. 3. ca. medicinalis de sentent. excomm. lib. 6. & licet causa, quæ exprimitur in sententia sit vera, & rationabilis, & sit seruata forma iuris, & solemnitas, tamen iniusta est. Couarr. in dicto cap. alma mater §. 7. num. 5. Tabien. in verb. excommunicatio 2. §. 10. Socin. in
8 cap. perpendimus num. 172. de sent. excom. benè verum est, quòd ligat, tàm in foro exteriori, quàm interiori, quia iniqua Iudicis intentio virtutem excommunicationis non tollit, Sair. de censur. lib. 1. cap. 27. num. 5.
9 Excommunicatio iniusta ex ordine dicitur, quando Iudex licet ex vera & rationabili causa, non ex odio, sed ex charitate profert

ſententiam excommunicationis, non tamen præcedente legitima,
10 & competenti monitione, videlicet trina, cum interuallo aliquot dierum inter monitionem, & monitionem, niſi neceſſitas aliud expoſcerit, vt ſit vna pro tribus cap. per conſtitutionem de ſent. excom. lib. 6. cap. ſacro extr. eod. & c. de illicita 24. q. 3. vel ſi non protulerit eam in ſcriptis dicto c. cum medicinalis de ſent. excom. lib. 6. Veruntamen pro defenſione ſuorum iurium poteſt iudex excommunicare ſine ſcriptis, & ſine monitione iuxt. cap. dilecto de ſent. excommun. lib. 6. Felin. in cap. ſacro extr. eod. vbi dicit non eſſe neceſſariam monitionem, quando excommunicatio fertur pro defenſione iurium, idem tenent Io. And. Dominic. & Franch. in d. cap. cum dilecto, Lap.
11 allegat. 73. Dec. in cap. irrepræhenſibilis de appellat. Fallit tamen in vno caſu, quando excommunicat participantes cum excommunicato ab eo, non præmiſſa monitione, quia talis excommunicatio eſt ipſo iure nulla cap. ſtatuimus de ſent. excomm. lib. 6. Sair. de cenſ. lib. 1. cap. 17. nu. 6. vbi teſtatur de communi.

Excommunicatio autem iniuſta ex cauſa eſt, quando nulla ſubeſt
12 cauſa, etſi prætenditur, non eſt vera; vel ſi eſt vera, non eſt ſufficiens, & rationabilis arg. cap. ſacro, & ibi gloſ. in verb. rationabili de ſent. excomm. facit tex. in cap. nemo 2. q. 1. & cap. vt debitus de appellat. & poteſt eſſe iniuſta, vel ex parte excommunicantis, vt quando iudex excommunicat, ſine legitima cauſa ſufficienti, vel rationabili, vel ex parte excommunicati, vt cum quis falſo crimine contra
13 eum probato excommunicatur, & eſt innocens. Sed an excommunicatio iniuſta ex cauſa ſit valida, & liget, eſt controuerſia inter Canoniſtas, & Theologos. Canoniſtæ enim faciunt differentiam inter excommunicationem iniuſtam, & excommunicationem nullam, quòd illa ligat, iſta verò minimè, & adducunt illud Diui Gregorij regiſtratum in cap. 1. 11. q. 3. ſententia Paſtoris, ſiue iuſta, ſiue iniuſta, eſt timenda. Couar. in cap. alma mater part. 1. §. 7. num. 5. Abb. in cap. ab excommunicato num. 10. de reſcript. Angel. in verb. excommunicatio 1. §. 18. Soccin. in cap. perpendimus numer. 182. de ſent. excomm. Nauar. in Manual. cap. 27. num. 3. & alij, quos allegat
14 Sair. de cenſur. lib. 1. numer. 7. Theologi vero, qui ſolam veritatem rei conſiderant, nullam differentiam faciunt inter excommunicationem iniuſtam, & nullam: & tenent excommunicatum iniuſtè non eſſe verè excommunicatum, & excommunicationem iniuſtam ex
15 cauſa non eſſe verè excommunicationem, & non obligare S. Thom. 2. 2. q. 60. art. 1. vbi expreſsè dicit, iudicium iniuſtum non eſſe iudicium, Caiet. 2. 2. q. 70. art. 4. ad 2. Sot. relect. de tegen. ſecret. memb.

3.q.1.concl.4.Martin.Ledes.2.2.q.23.art. 4. Medin. lib. 1. instruct. confess.cap.2.§.2. & alij allegati à Sair.de censur.lib.1.nu.8.qui communiter tenent iniustè ex causa excommunicatum, non esse verè excommunicatum, quæ opinio verior, & probabilior videtur, ratio est, quia sententia Iudicis est quædam particularis lex in aliquo particulari facto, & sicut lex vniuersalis iniusta non obligat, ita nec particularis S.T hom.2.2.q. 67. art. 1. ex quo sequitur, quòd excommunicatus iniustè ex causa potest in occulto, & sine scandalo celebrare, & nullam irregularitatem, & aliam iuris pœnam incurrit, & potest facere omnia, vt non excommunicatus, secretè tamen, & omni scandalo amoto, & contemptu Adrian. in quolib. 6. q. 1. conclus. 1. vers. sed dubium Caietan.2.2.q.70. art.4. ad 2. Couar. in cap. alma mater par.1.§.7.num.7. vers. illud tamen admonendum de sent. excomm.lib.6.Henriquez lib.13.de excommunic.c.15.§. 3. in princ.& hoc, ne videatur censuram Ecclesiæ paruipendere, nam sententiam in publico seruare tenetur, alias in foro exteriori præsumeretur censuram excommunicationis violasse, & irregularis iudicaretur Abb. in cap. per tuas de sent. excom. Siluest. in verb. correctio §. 9. in foro tamen conscientiæ excommunicatus non esset, nec aliquam iuris pœnam incurreret, dummodò certus sit de sua conscientia Sair. de censur. lib. 1. cap. 17. num. 16. ideò animaduertere debent iudices Ecclesiastici ad illud, quod dicit S. Augustinus in cap. illud planè 11. q. 3. vbi ait, illud planè non temerè dixerim, quòd si quisquam fidelium fuerit anathematizatus iniustè, potius ei oberit, qui fecit quam ei, qui hanc patitur iniuriam.

16 Hinc est, quod iudex Ecclesiasticus iniustè excommunicans aliquem multiplici pœna punitur. Primò tenetur pęna sacrilegij cap. non in perpetuum 24. q. 3. glos. in cap. sacro in verb. per mensem de sent.excom Secundò tenetur actione iniuriarum cap. illud, & cap. temerarium 11.q.3. Tertiò tenetur excommunicato ad interesse, damna, & expensas d.cap. sacro, Caualcan. decis. 77. par. 3. n. 57. Quartò priuatus est per mensem ingressu Ecclesiæ d. cap. sacro. Et excommunicatus iniustè patienter ferens, coronam Ecclesiæ meretur, dicit tex. in c. etsi 11. q. 3. & sustinens cum humilitate excommunicationem iniustam per humilitatis meritum excommunicationis damnum recompensat Sot. in 4. senten. dist. 22. q. 1. artic. 3. Est tamen benè verum, quòd excommunicatio etiam iniusta est timenda cap. 1. 11. q. 3. & non contemnenda, quia non homo ligat, sed Christus, qui hanc potestatem dedit, & dignos fecit homines tanto honore, cap. nemo contemnat 11. q. 3. quia si iniustè excommunicatus sententiam contemne-

temneret, procul dubio apud Deum propter contemptum ligaretur Abb. in cap. ab excommunicato de rescript.

Excommunicatio verò nulla multipliciter contingere potest, vt si
17 excommunicatur homo non baptizatus Abb. in c. prædicto ab excommunicato num. 9. & in cap. relatum, & ibi Felin. de sent. excom. vel quando excommunicatio fertur in furiosum mente captum, vel infantem Innoc. in c. Romana §. vniuersitatem de sent. excom. lib. 6. Abb. in d. cap. ab excommunicato, & cap. per tuas eod. num. 11. vel qui excommunicat caret iurisdictione c. ad nostram, & ibi glos. in verb. iudice, & Abb. num. 2. de consuetud. vel si iudex est excommunicatus cap. fin. de excess. prælat. cap. audiuimus 24. q. 1. ca. ad probandum de sent. & re iudic. vel si iudex fuerit recusatus, vt suspectus, arg. cap. quoties, & ibi glos. in verb. sequestrentur 2. q. 6. Lap. allegat. 1. Hostien. & Io. Andr. in cap. legitima de appellat. lib. 6. Soc. in
19 cap. sacro nu. 189. de sent. excom. Sair. de censur. lib. 1. cap. 16. nu. 14. est nulla excommunicatio, quando Prælati excommunicant suos subditos, qui visitantur, & nolunt soluere procurationem pro visitatione, nisi id quod ex Concilio Lateranensi debetur cap. cum Apostolus de censib. cap. cum ad quorundam de excessib. prælat. & ibi glos. Sair. loco citato nu. 39. Et demum vltra alios casus, quos diligens, & studiosus lector apud Doctores poterit inuenire, excommunicatio
20 erit nulla, quando est lata post legitimam appellationem cap. cum contingat, & ibi Abb. num. 2. de offic. delegat. cap. per tuas, & ibi glos. in verb. in quibus casibus, & ibi Abb. nu. 3. eod. tit. & cap. solet, & ibi glos. in verb. errorem, & cap. venerabilis §. sed si ex causa de sent. excom. lib. 6. glos. in cap. præsenti in verb. ad cautelam eod. tit. Franch. & communiter DD. in cap. si à iudice de appellat. lib. 6. Nauar. in Manuali cap. 27. num. 4. quia per appellationem suspenditur iurisdictio iudicis d. cap. si à iudice de appellat. lib. 6. siue appellatio sit interposita in iudicio, siue extra cap. dilecti filij l. 2. & ibi Abb. num. 2. de appellat. & in cap. considerauimus nu. 1. de elect. Dec. in cap. pastoralis de appellat. Lancilot. de attent. part. 2. cap. 12. ampliat. 8. nu. 11. Hinc est, quòd Archid. in cap. curæ 11. q. 3. dicit hæc verba formalia: Quamuis sit credendum ordinatio denuntianti aliquem excommunicatum, vt hoc cap. curæ, & infra, & extr. de treg. & pace c. 1. si autem scias pro certo denuntiatum ante excommunicationem appellasse, securè, & pro certo potes illi communicare extra de appellat. cap. dilectis in fin. nam ipse denuntiatus potest se ingerere communioni, &
21 diuinis, hæc ille. Ex quo sequitur, quod quotiescumque excommunicatio est nulla, non est timenda, nec quoad Deum, nec quoad Ec-

22 clesiam, & excommunicatus nulliter, nec se pro excommunicato gerere tenetur, nec irregularitatem, si est Sacerdos celebrando incurrit secundum ea, quæ dicit glos. in cap. ad præsentiam in verb. contra appellationem de appellat. & in cap. solet in verb. de officijs de sent. excomm. lib. 6. Couarr. in ca. alma mater par. 1. §. 7. vers. cæterum, vbi sententia eod. tit. Verumtamen si adesset scandalum tutius esset, quod ante illud se datum, non celebraret, sed si celebraret etiam imminente scandalo non efficeretur irregularis; nam irregularitas non ratione scandali, sed excommunicationis est inflicta, sed cum verè excommunicatus non sit, non efficitur irregularis Sair. de censur. lib. 1. cap. 16. num. 43. & 44. quod verum est non solùm, vbi excommunicatio est nulla propter appellationem, sed etiam ob aliquam aliam rationem, talis enim celebrando non peccat, nec vllam iuris pœnam incurrit, & quod de excommunicatione dictum est, de alijs etiam censuris intelligendum est, quoties enim censura est nulla, nec coram Deo, nec apud homines ligat, nec est timenda, quando notoriè constat de nullitate sententiæ, & quando cessat scandalum, Sair. de censur. lib. 1. cap. 16. num. 44. neq; est opus absolutione in
24 excommunicatione nulla Henriq. de excommun. lib. 13. cap. 15. nu. 4. verum si post sententiam latam fuerit appellatum, appellatio non suspendit excommunicationem, sed tantum deuoluit causam ad superiorem cap. 15. cui §. fin. de sentent. excommun. lib. 6. immo non obstante appellatione excommunicatus potest denuntiari per cedu-
25 lones cap. pastoralis §. verum de appellat. Sed fallit, quando appellatio esset interposita à decreto excommunicationis, quo quis declaratur incidisse in excommunicationem, etiam post latam sententiam, quia appellatio à sententia, per quam declaratur, quem incidisse in excommunicationem latam, siue ab homine, siue à iure suspendit illam; nam licet à pœna legis non possit appellari l. si qua pœna ff. de verb. oblig. & cap. quia nos, & ibi glos. ab omnibus recepta de appell. & glos. in c. super ijs de accusat. tamen quando declaratur quem incidisse in pœnam, potest appellari per glos. singularem receptam in cap. cupientes §. insuper in verb. priuatos de elect. lib. 6. Felin. in c. Rodulfus de rescript. Card. in clem. 1. §. si quis quæst. 11. de sequestrat. possess. Abb. & Dec. in c. peruenit il primo de appell. Abb. in d. c. super ijs de accusat. Nauar. cons. 6. de sent. excomm. adeò, quòd non est euitandus, quod est notandum in praxi Felin. in d. c. Rodulfus, Dec. in d. ca. peruenit de appell. Cardinal. loco citato, Lancillot. de attent. par. 2. cap. 12. limitat. 21. num. 21. Marant. par. 6. actu 2. nu. 180. vbi adducit rationem, quia iudex potest malè declara-

re, &

re, & Cardinal.in d.clem.1.§. si quis ait hoc esse verum in declaratione excommunicationis tàm à iure, quàm ab homine, adeò quòd appellatio à declaratoria excommunicationis impedit denuntiationem, vt non possint affigi cedulones, nisi post decem dies à die latæ sententiæ, si non fuerit appellatum Cardinal. Felin. & Dec. locis supra citatis, Nauar. in relect.cap.cum contingat decimaquinta causa nullitatis nu.3.Perus.relatus à Nauarro eo loco in ca.14.cui in §. fin. de sent. excom. dicit hæc verba: Si appellatur à declaratoria, vel pronuntiatione Iudicis, qua pronuntiat, vel declarat aliquem incurrisse in excommunicationem latam ab homine, vel à iure, talis sententia declaratoria benè suspenditur per appellationem, & ita etiam tenet Lancellot.de attent.par.2.c.12.limitat.21.n.21. Fallit tamen in facto notorio, nam tunc non licet appellari ad effectum suspendendi, sed tantum deuoluendi c.cum sit Romana §. præterea,& c. peruenit il primo de appell. sed tamen pars est citanda ad videndum factum esse notorium Abb.in c. ad nostrum il 3. de iureiur. Cardin. in clem. pastoralis de re iudic.quia multa dicuntur notoria, quæ vera non sunt c. consulit il 1. de appell. & vbi pars potest grauari, & aliquod præiudicium inferri est citanda, & audienda in iuribus, & exceptionibus suis, l.
27 de vno quoque ff. de re iudic. nullus namque, & quantumcumque sit notorius sine citatione,& monitione est condemnandus Abb. in d. c.cum sit Romana §.prçterea,immò à sententia Iudicis declarantis factum esse notorium potest appellari, nam iudex potest malè declarare Nauar.cons.9.nu.5. de sent. excom.

Sed primo notandum est, quòd publicè denuntiatus excommuni-
28 catus per affixionem cedulonum, moriens in ipsa excommunicatione, non est sepeliendus in loco sacro clem. 1. de sepultur. verùm si in articulo mortis fuerit absolutus ab aliquo Sacerdote, etiam ad confessiones non approbato, quia quilibet in articulo mortis à quocumq; Sacerdote absolui potest, Abb. in c.pastoralis §. præterea de offic.ordinar. & nouissimè per Sacrum Conc.Trid.sess. 14. cap. 7. de casibus reseruatis, moriens taliter absolutus, est sepeliendus in Ecclesia, quia intelligitur absolutus etiam in foro exteriori cap. fin. de sepult. vbi habetur hic casus expressus, & ibi Abb. Nauar. cons. 4. in fin. de sepultur. vbi dicit, quod absolutio, quæ contingit excommunicato, per contritionem sufficit quoad Deum, illa verò, quæ fit à Sacerdote sufficit quoad forum exterius, & quoad Ecclesiam, idem Nauar. in Manual.cap.26.num.32.& cap. 27. numer.272. Lelius Zecchus in tract. de casibus Episcopo reseruatis, & licet videatur obstare tex. in capit. à nobis il 2. de sentent. excommun. vbi disponitur, quòd illius

mortui

mortui absolutio à Sede Apostolica requiritur, qui dum viueret, ab ea erat absoluendus, ille tex. loquitur de excommunicato, qui non fuerat absolutus ante mortem, sed ostenderat tantùm signa contritionis, & similiter in c. super eo, & cap. in literis de raptorib. denegabatur sepultura Ecclesiastica, quia licet fuerat absolutus ab excommunicatione, non tamen vti incendiarius refecerat damnum, vnde in fine dicti cap. Pontifex mandat eum sepeliri in loco sacro, sed hæredes compelli ad satisfactionem damni iuxta facultates, idem tenet Cappell. Tholosan. decis. 368. Petr. Foller. post prax. criminal. in Miscellaneis num. 22.

30 Secundò notandum est, quòd si quis inciderit in excommunicationem reseruatam Sedi Apostolicæ, & per ordinarium denuntiatus fueritque absolutus in foro conscientię ab aliquo confessario habente potestatem absoluendi, vt tempore Iubilei generalis, & amplissimi, vel per Bullam Sacræ Pœnitentiariæ, illa absolutio prodest tantum in foro interiori, tantùm Doctores in ca. de his de accusat. per glos. ibi in verb. replicari communiter receptum, Couar. in cap. alma mater §. 12. num. Sair. decis. 1. de testib. Verùm si pars offensa fuerit satisfacta, dicta absolutio prodest etiam in foro exteriori, nam satisfacta parte iudex honestius, & benignius facit, si ipsum non molestet, quia absolutus in foro conscientiæ non est verè excommunicatus, & qui cum eo communicat, non communicat cum excommunicato Nauar. cons. 51. de sentent. excommunic. Henriq. in summa de irregular. ca. 20. & licet Prax. Cur. Archiepis. Neapol. cap. 31. & Ricc. in prax. decis. 462. dicant, quòd Neapoli obseruatur, si absolutio fuerit obtenta antequam negotium deduceretur in iudicium, tamen procedit etiam si excommunicatus fuerit denuntiatus Couar. in cap. alma mater par. 1. §. 1. num. 12. Henriq. lib. 13. de excommun. cap. 27. §. 5. Nauar. in Manual. cap. 27. nu. 272. Sair. de censur. lib. 2. cap. 20. num. 29. & 31.

31 Tertiò notandum est, quòd si aliquis appellauit à comminata excommunicatione, & non obstante appellatione iudex eum excommunicauit, licet appellans non prosequatur appellationem, vel ei renuntiauerit, vel sit affecta deserta, non tamen remanet excommunicatus, quia excommunicatio ab initio fuit nulla, vti lata post appellationem, ideò non efficitur valida per non prosequutionem, vel renuntiationem glos. in cap. licet in verb. legitimam de sent. excom. & in cap. sæpe in verb. rata manet, & ibi Abb. de appell. quia quod ab initio non valet, tractu temporis conualescere non potest l. quod ab initio ff. de regul. iur. cap. non firmatur eod. tit. lib. 6.

Quar-

Quartò notandum est, quòd excommunicatio non ligat subditos
32 existentes extra territorium, & Diœcesim Iudicis excommunicantis S. Anton. part. 3. tit. 24. cap. 73. Tabien. verb. excommunicatio 4. versi. 3. quæritur Sot. 4. d. 22. q. 2. art. 1. vers. respondetur, Henriq. lib. 13. cap. 26. §. 1. Nauar. in Manual. cap. 27. num. 6. Sair. de censur. lib. 1. cap. 6. num. 39. Hinc est, quòd excommunicatio lata contra ludentes, vel furtum, vel aliud committentes non afficit subditos ludentes, vel furantes extra territorium, & iurisdictionem Iudicis ferentis excommunicationem, imò nec ligat in loco exempto posito intra Diœcesim, & territorium excommunicantis Io. Andr. & Gemin. in cap. vt animarum de constit. & est communis opinio, & colligitur ex cap. cum Episcopus, & ibi glos. in verb. non exempto de offic. Ordin. lib. 6. & cap. luminoso 18. quæst. 2. & clem. Archiepisc. & ibi glos. in verb. iurisdictionem de priuileg. quia locus extra Diœcesim, & locus exemptus intra Diœcesim æquiparantur Card. in clem. 2. §. 1. de priuileg. Anchar. in repetit. cap. si propter tua debita de rescript. lib. 6. Sair. de censur. loco citato nu. 40. & sic non esset excommunicatus si quis luderet in aliquo Monasterio, Conuentu, vel loco Regularium, quia
33 sunt exempta à iurisdictione ordinarij, licet sint intra territorium, & Diœcesim eorum F. Hieronym. Capucc. in compend. priuilegior. Regul. latè in verb. exemptio Io. And. in cap. 2. de constit. lib. 6. Grafi. decis. cas. conscien. lib. 4. cap. 8. num. 37.

Quintò notandum est, quòd Clericus percutiens seipsum incidit in
34 excommunicationem cap. si quis suadente diabolo 17. q. 4. si id facit animo irato, & iniuriosè sicut sæpe faciunt aliqui tædio vitæ, vel desperatione ducti se ipsos interficiunt, aut vulnerant S. Thom. receptus 2. 2. q. 64. art. 5. Nauar. in Manual. cap. 5. num. 11. quoniam nemo est dominus suæ vitæ, & suorum membrorum l. liber homo ff. ad leg. Aquil. cap. cum contingat il primo de sent. excomm. Io. Andr. Panormit. Feli. in d. ca. cum contingat il primo vbi dicunt, quòd si Monacus, aut Clericus sibi ipsi manus inijcit, excommunicationem incurrit, & nemo potest sibi ipsi iniuriam inferre, cap. quod verò in fin. 25. q. 2. tum etiam, quia hoc est priuilegium Ecclesiæ, & non personæ d. cap. cum contingat, si enim est excommunicatus percutiens proximum Clericum d. cap. si quis suadente Diabolo, multò magis se ipsum, committit contra fœdera charitatis cap. si non licet 23. q. 5. hinc est,
35 quòd Clericus propter mutilationem suorum membrorum efficitur irregularis sicut ob excommunicationem, quamuis ab hac opinione recedat Tolet. lib. 5. instruct. Sacerd. cap. 8.

Sextò notandum est, quòd percutiens Clericum ipso facto incidit in

36 dit in excommunicationem d.cap. si quis suadente 17. q. 4. hinc est, quòd quando iudex mediante decreto declarat percussorem esse ex
37 communicatum nihil noui facit l. hæredes palam ff. de testam. si autem per aliud decretum pronuntiat percussorem esse absoluendum à
38 Papa, vel ab ipso ordinario, tacitè declarat percussionem fuisse grauem, vel leuem, nam taciti, & expressi eadem est virtus, l. cum quid ff. si cert. pet. rigor enim d. cap. si quis suadente, quo disponebatur omnes percutientes Clericos mittendos esse ad Sedem Apostolicam pro absolutione, fuit moderatus per cap. peruenit de sent. excomm. vt solum locum in percussione graui habeat, secus in leui, vt pro ea possit dari absolutio ab ordinario Abb. in d.cap. peruenit n.2. pro per-
39 cussione verò graui, & mediocri, regulariter solus Papa absoluit d. cap. si quis suadente. Sed quæ percussio sit leuis, mediocris, vel grauis relinquitur arbitrio iudicis d.cap. peruenit. & ibi Abb. num. 3. & in cap. cum illorum num. 11. eod. & habetur in quadam extrauag. quæ incip. perlectis, relata à Nauar. in Man. cap. 27. num. 91. qui dicit inter alia non esse enormem percussionem, quæ fit in foro, aut alio loco publico aut quæ fit in oculo, aut facie, nisi esset cum liuore, aut iniuria esset notabilis, aut pareret scandalum, aut cum effusione sanguinis, sed opus est, quod sit magna effusio, nam verbum effusio denotat abundantiam glos. in ca. reuertimini 16. q. 1. cap. cum illorum, & ibi Abb. num. 12. de sent. excomm. Nauar. cons. 24. & 27. de sent. excomm. vbi dicit, quod non est percussio grauis, si non est sequuta magna effusio sanguinis aut liuor, sine macula, vt habetur in d. extrau. Perlectis.

Septimò notandum est, quòd prouocatus à Clerico, si eum reper-
40 cutit, non est excommunicatus, quia præsumitur percussisse causa defensionis, & non animo iniuriandi cap. 1. & cap. ex tenore de sentent. excomm. glos. in d. cap. si quis suadente diabolo, Abb. in cap. si vero il primo num. 11. de sent. excomm. Angel. in verb. excommunicatio scilicet num. 13. dummodo non excedat moderamen inculpatæ tutelæ, Tabien. in verbo excommunicatio scilicet, casu 1. num. 10. versicul. quæritur de percutientibus, Sanct. Antonin. part. 3. tit. 29. cap. 1. §. 2. Soccin. in cap. peruenit, num. 205. de sentent. excomm. Clar. in §. homicidium, num. 23. Abb. in cap. Clerici, de vit. & honestat. Clericor. Decian. in l. vt vim, num. 8. de iustit. & iur. Nauar. in Manual. cap. 27. num. 82. versic. decima quinta: & est tutus non solùm ab excommunicatione, verùm etiam à pœna delicti, l. si quis aggressorem, l. si quis percusserit, C. ad l. Corn. de sicar. Clem. 1. vbi glos. de homicid. & in l. vt vim, ff. de iustit. & iur. vbi omnes communiter Couar. in

Clem.

Clem.si furiosus in 3.part.§.vnic.nu. 1. de homicid. immò percutiens Clericum pro sua defensione non solùm est excommunicatus, sed etiam pro illarum personarum defensione, per quas ei fit iniuria: vt sunt vxor, filij, pater, mater, frater, & soror, Innoc. in cap. si verò il primò de sentent. excomm. Abb. in cap. cum olim il primò de rest. spol.Sanct.Antonin.& Tabien. locis citatis; quia quilibet tenetur, & debet subuenire proximo suo, & illum diligere, sicut se ipsum, capit.
41 charitas, §. item, de poenit. dist.2.Dixi cum moderamine inculpatæ tutelæ: quod consistit circa tria, videlicet circa modum, tempus, & causam: vt si quis fuisset insultatus sine armis, non poterit se defendendo percutere cum armis, circa tempus, vt fiat incontinenti, & illicò facto insultu, circa causam, vt tanta, & talis propulsatio sit, quanta est necessitas defensionis, & non vltra, Bal. in l. 1.C. vnde vi, Decian.l.vt vim, num.12.ff. de iustit. & iur.Clar. in verbo homicidium, num.27.Boer.decis.168. num. 4. & licet aggressus se defendendo excesserit moderamen prædictum: non tamen est puniendus pœna ordinaria delicti, sed arbitrio Iudicis Grammatic.cons.56.nu.7.in crim. vbi dicit hanc esse communem opinionem, Roman. in singul. 3. Afflict.decis.206.idem Grammatic.cons.18.num.8. & cons. 39. num. 6. Menoch. de arbitrar. cas.178.num. 2. quia moderamen non conside-
42 ratur, quando insultatus furore accensus excessit; nam primi motus non sunt in nostra potestate, Afflict. in constit. Asperitatem notab. 7. Hinc infertur, quod si quis excedens verberaret Clericum, licet sit excommunicatus propter excessum, non tamen tenetur ire ad Sedem Apostolicam pro obtinenda absolutione: sed potest absolui ab eius ordinario; quia si esset obligatus adire Sedem Apostolicam puniretur pęna ordinaria delicti, quod esse non debet; nam sicut minuitur pęna ratione ætatis, vel modicitatis delicti, ita iste debet minui ratione incensi caloris, cum hoc calore permotus non est in plenitudine intellectus, Felin. in cap. significasti il secondo num. 14. de homicid.& per Mascard.de probationibus concl.1131.nu.50. Carol. de Graffis, de effect. Clericatus effect. 9.num. 265.

43 Octauò notandum est, quòd auxiliantes, fauentes, & assistentes percussionibus Clericorum sunt excommunicati, provt ipsimet inferentes manus impias, & violentas in Clericos, glos. fin. in capit. mulieres, de sentent. excommunic. Gaetan. in summ. in verbo excommunicatio 10.Soccin. in cap.peruenit, nu.50.de sentent.excommun. qui dicit, quòd dicta glos.mouetur per tex.in cap. sicut dignum, de homicid.& in cap.fin.de iureiurand. & in l. 4. §. sicut seruum, ff. de vi bon. rapt. quia regulare est quod auxilium præstans delinquenti, punitur,

nitur, prout ipsemet delinquens, l. si pignore, §. qui ferramenta, ff. de pact. l. nihil, ff. ad l. Cornel. de sicar. dict. cap. sicut dignum, vbi Doctores, l. qui opera ff. de furt. Caualcan. decis. 28. nu. 1. lib. 5. Mascard. de probationib. conclusio 159. num. 18. & seq.

44 Nonò notandum est, quod non excommunicatus ille, qui ratione dignitatis, vel beneficij quod habet in Ecclesia, vel qui est senex ex zelo seruitij Ecclesiæ pueros, ac adolescentes, Clericos in minoribus ordinibus constitutos correctionis causa leuiter percutit; quia cessat diabolica percussio, cap. cum voluntate, de sentent. excommunic. Soccin. in cap. peruenit, nu. 312. eodem tit. Carol. de Grass. de effect. Cler. effect. 9. num. 231.

45 Decimò notandum est, quod qui carcerant Prælatos, & Iudices Ecclesiasticos arrestant, vel alijs pęnis afficiunt, sunt excommunicati in Bulla Cęnæ Domini.

48 Vndecimò notandum est, quod nullo modo excommunicari potest is, qui fuit citatus domi: sed est citandus de persona, nisi antea probetur ad eius notitiam citationem peruenisse: aliàs sententia excommunicationis non valeret, nec de iure persisteret, Innoc. communiter receptus in cap. fin. de eo, qui mitt. in possess. Felin. in cap. cum sit Romana, de appellat. Couarr. in cap. alma mater, part. 1. §. 9. de sentent. excommunic. Lanfran. in cap. quoniam contra, versicul. citationes, de probationib. nisi excommunicandus dolo latitaret, vel subterfugeret citationem personalem, vel quando quis semel fuit citatus de persona. Felin. Couar. vbi supra; quia tunc sufficit citatio ad domum, vel per edictum Prax. Curiæ Archiepiscopali Neapol. cap. 29. num. 12.

49 Duodecimò est notandum, quod committentes duellum incidunt in excommunicationem reseruatam Summo Pontifici ex Bulla nouissima Clementis Octaui edita, & publicata Romæ decimosexto Kalend. Septembris 1592. quæ incipit, *Illius vices*, in qua dictus Pontifex. Primò renouat quamdam Bullam Pij IV. de hac re editam. Secundò innouat decretum Concilij Tridentini, sess. 25. cap. 19. de reform. Tertiò confirmat Bullam Gregorij XIII. quæ incipit, *Ad tollendum* publicatam Romæ die 9. Decembris 1582. & ipsi duellantes non solùm excommunicationem Papæ reseruatam incurrunt, à qua non possunt absolui, nisi in mortis articulo constituti: sed etiam si in ipso conflictu obierint, sepultura Ecclesiastica perpetuò sunt priuati.

† De Marinis quotid. resol. cap. 110. per tot. fol. 190. Visconte in suis conclusionibus Iuris in verb. Duellum, fol. 63. Tassonus de antefato vers. 12. obser. 1. num. 67. fol. 488. Nouarius decis. 179. fol. 217.

Et ob

Et ob hoc sciendum est, quod duellum est pugna corporalis singularis deliberata hinc inde duorum ad purgationem, gloriam, vel odij exagerationem; vnde requiritur ipsa deliberatio, & sic animus deliberatus, appensatus, & tractatus duellandi; vel bellandi: alias non dicitur duellum, sed rixa, vbi non interuenit ipsa deliberatio, siue animus deliberatus, Ioan. de Lignan. in tractatu, de duello in principio versicul. circa primum, & sicut bellum dicitur, quod fit animo deliberato præmisso edicto, vel nuntio, sic duellum cum dicatur duorum bellum, solum dicitur, vbi interuenit animus deliberatus; hinc est, quod licet iuuenes aliquando calore iracundiæ se inuitarent ad duellum, & in continenti accederent ad aliquem locum electum, & ibi dimicarent, non propterea dicitur duellum, sed pura, & mera rixa, ex quo non fuit pugna deliberata, nec animus deliberatus, nec attenditur illud verbum duellum, vbi verè non est duellum ad cuius essentiam requiritur animus deliberatus, ita Plot. in repetit. l. si quando §.42.nu.3.4.& 5.C.vnde vi, & tunc propriè dicitur fieri calore iracundiæ quando non deuenitur ad aliquem actum intermedium, Farinac.consl. 9. nu. 34.

50 Decimotertiò est notandum quòd collatio beneficij facta excommunicato est irrita, & nulla cap. pastoralis, & ibi Abb. num. 1. de cler.excomm.ministr. Ancar.in cap.1.§. si quis de except.lib.6.Innoc. in d.cap.pastoralis, & in cap.si verè de sent.excom.Felin. in cap. cum dilectus nu.1.de accusat.S. Anton.par.3.tit.24.cap.76.vers. 9. Angel. in verb.excommunicatio vltimo num. 8. Tabien. in verb. excommunicatio 1.num. 8. Siluest. in verb. dispensatio q. 9. Nauar.in Manual.

51 cap.27.num.21.vers.8. & ideò in Romana Curia fuit inuenta practica illa, vt Summus Pontifex absoluat impetrantem beneficium, quoad illum actum tantùm, & ab hoc in Bullis Apostolicis ponitur ordinariè illa clausula, Teq; à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alijsq; sententijs, censuris, & pœnis à iure, vel ab homine, quauis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existis ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absoluentes, & absolutum fore censentes, &cæt. Virtute cuius clausulæ hodie valet quælibet obtenta impetratio beneficij ab excommunicato Nauar. in manual.cap.27. nu. 22. vers. decimotertio, Couar. in cap. alma mater part.1 §.7.nu.3.Henriq. de excom. lib.13.ca.13.§.3. Sair. de censur.lib.2.cap.5. nu. 12. quæ tamen clausula, & absolutio facta à Summo Pontifice in duobus casibus non suffragatur, primus est si impetrans insorduerit per annum continuum in excommunicatione, vt habetur in Regulis Cancellariæ Apostolicæ Re-

cæ Regul. 65. Pauli V. & 66. Gregorij XV. secundus casus est si per quatuor menses mansit in excommunicatione, sciens se esse excommunicatum in illis alijs casibus, qui sunt expressi in dicta Regula, qui sunt octo, vt ex tenore, & lectura dictæ Regulæ apparet, qui talis est: Item ne personis, pro quibus literæ suæ Sanctitatis emanabunt ob generalem absolutionem à censuris Ecclesiasticis, quibus ligatæ forent ad eorum effectum indifferenter concedi, & in literis Apostolicis apponi solitam, præstetur occasio censuras ipsas vilipendendi, & insordescendi in illis, statuit, & ordinauit huiusmodi absolutionem, & clausulam in literis, quas in futurum cum illa concedi continget non suffragari non parentibus sententiæ rei iudicatæ. Incendiarijs, violatoribus Ecclesiasticæ libertatis, via facti ausu temerario Apostolicis mandatis non obtemperantibus. Nuncios, vel exequutores Apostolicę Sedis, & eius officiales eis commissa exequentes impedientibus. Qui propter præmissa, vel aliquod eorum excommunicati à iure, vel ab homine per quatuor menses scienter excommunicationis sententiam huiusmodi substinuerint, & generaliter quibuscunq; alijs, qui censuris aliquibus, etiam aliàs, quàm vt præfertur quomodolibet ligati in illis per annum continuum insorduerinr. Hæc in d. Regula, vnde si in impetratione hoc vitiũ non expresserit impetrans, absolutio non valebit, sed solet aliquando ab impetrantibus apponi etiam hæc clausula post principalem petitionem supplicationis inter clausulas derogatorias Summo Pontifici porrectas videlicet: Non obstante Regula de insordescentibus, vt sic impetrans habeatur absolutus, quoad effectum illius gratiæ consequendum non obstante prædicta Regula, licet per annum in excommunicatione permanserit, vel per quatuor menses in alijs casibus expressis in illa, Sair. de censur. lib. 2. cap. 5. num. 13.

52 Decimoquartò notandum est, quòd absolutio ab excommunicatione etiam iniustè ab habente potestatem data valet cap. venerabilibus §. vbi, & §. sanè de sent. excom. lib. 6. Nauar. cons. 82. num. 2. & 68. de simon. hinc est quòd appellatio ab absolutione iniusta data non suspendit absolutionem, nam ille interim remanet absolutus non obstante appellatione ab aduersario interposita Franch. in cap. qua fronte num. 35. & in cap. Pastoralis §. verum de appellat. quòd ex eo etiam probari potest, quia ab excommunicationis sententia non datur appellatio suspensiua vt supra, & per Innoc. in cap. ab excommunicato de rescript. ita, & in hoc casu appellatio non suspendit absolutionem, nec facit attentata cap. non solum ibi præterquam à iure prohibitis de appellat. lib. 6. veruntamen excommunicatus non est

absol-

absoluendus, nisi prius facta satisfactione ei, quem offendit, & eo citato cap. ex parte il 1. ibi Abb. de verb. significat. cap. Romana §. sententias de appellat. lib. 6. & cap. venerabili §. secus de sentent. excom. lib. 6. Abb. in cap. porrò, & cap. ea noscitur de sentent. excommun. Franch. plenè, & Abb. in d. cap. qua fronte de appellat. & est tex. in cap. fin. §. pars verò de offic. delegat. lib. 6. & in cap. quoniam in fin. de immunit. Eccles. Marant. cons. 75. num. 1. quæ satisfactio versatur circa æstimationem damni, & interresse non extimationem iniuriæ Mara. eod. cons. num. 18. in fin.

53 Demum est notandum quòd iudex Ecclesiasticus tenetur publicare excommunicatum ab alio iudice alterius Diœcesis si fuerit requisitus, & affigere cedulones Scacc. de indic. caus. ciuil. & crim. cap. 63. num. 6. vers. si vero, sed si sententia excommunicationis est notoriè iniusta, non tenetur Episcopus denuntiare excommunicatos ab alio Episcopo iuxta glos. Anchar. & alios in clem. vnic. de for. compet. Prax. Cur. Archiep. Neap. cap. 38. num. 3.

CAPVT SECVNDVM.

De Excommunicatione ad finem reuelationis.

SVMMARIVM.

1 *Monitoria ad finem reuelationis cum magna maturitate sunt decernenda.*
2 *Monitoria quando, & pro qua summa sunt concedenda.*
3 *Impugnans monitorium redditur suspectus, quòd non sit tutus in conscientia.*
4 *Vicarij Generales Episcoporum an possint concedere monitoria.*
5 *Abbates, & alij Prælati inferiores Episcopis, an possint concedere monitoria.*
6 *Vicarij Capitulares sede vacante, an possint concedere monitoria.*
7 *Monitoria, an possint concedi contra principales detinentes rem iniustè.*
8 *Testes, & etiam principales tenentur reuelare in scriptis, & non oretenus.*
9 *Testis non tenetur reuelare, si sciuit rem, de qua in monitorio, ab aliquo, qui reuelauit.*
10 *Detinens rem in recompensam sui crediti, an teneatur reuelare.*
11 *Testis sciens rem, de qua in monitorio, an teneatur reuelare, si reuelandi timet sibi aliquod damnum euenturum.*
12 *Impotentes restituere an teneantur reuelare.*
13 *Testes absentes à territorio iudicis excommunicantis, an non reuelando sint excommunicati.*
14 *Regulares & Monachi scientes rem, de qua in monitorio an teneantur reuelare.*

B 15 *Ad-*

AD literarum monitorialium generalium ad finem reuelationis materiam sub excommunicationis pœna vide Neuizan. in sua silu. nupt. lib. 3. verb. Monitoriæ, Franc. Marc. Decis. 850. 852. & 853. Acchill. de Grass. decis. 6. de sent. excomm. Henriq. in sum. lib. 5. de excomm. cap. 18. Nauar. in repetit. cap. inter verba 11. q. 3. conclus. 6. Prosper. de Augustin. in addit. ad Quarant. in summ. Bullar. ver. excommunicatio ad finem reuelationis. Petr. Anton. Lazar. qui particularem tractatum scripsit de Monitorijs, Aloys. Ricc. in prax. for.
1 Eccles. in verb. Monitorialium, circa quod est notandum quòd non passim, & de facili huiusmodi monitoria sunt concedenda, sed cum magna maturitate, & causa cognita, & omnino obseruandum est, quod statuit Concil. Trident. sess. 25. cap. 3. de reformat. vbi disponitur, quòd excommunicationes, quæ monitionibus præmissis ad finem reuelationis pro deperditis, seu subtractis rebus fieri solent decernantur non aliàs, quàm ex re non vulgari, causaque diligenter, & magna cum maturitate per Episcopum examinata, quæ eius animum moueat ad eas concedendas, ex qua dispositione Concilij infertur, quod non pro qualibet causa ista monitoria sunt concedenda, vt fieri videtur, sed pro re graui, & pro summa notabi-
2 li, & non exigui valoris, vnde stylus Romanæ Curiæ obseruat non concedere monitoria, nisi rerum valor sit quinquaginta aureorum, vt patet ex forma monitoriorum in forma significauit, & vbiq; seruatur, quòd conceduntur pro quinquaginta, quadraginta, & aliquando

quando pro minori summa, & quantitate, considerata petentis paupertate, Lelius Zecch. in tract. de Rep. Ecclesiast. tit. de Prælat. cap. 1. num. 6. §. excommunicatio verò, & aliquando pro triginta, & viginti aureis Prax. Archiep. Cur. Neap. cap. 1. num. 3. & dicta monitoria debent esse generalia, non infamatoria, & debent continere certam quantitatem eius rei, de qua agitur, nisi fiant pro Ecclesijs, locis pijs, Vniuersitatibus, & Collegijs, vt habetur in Constitutione Pij Quinti relata à Quarant. in summ. Bullar. in verb. excommunicatio ad finem reuelationis, præterea nullo modo personæ sunt nominandæ, & maximè illæ, quæ præsumuntur rem detinere, & quandò testes prorsus ignorantur, nam ista monitoria conceduntur in subsidium, quando probatio alio modo haberi non potest, Silu. Nupt. in verb. Monitoriæ num. 28. Nauar. cons. 3. de censib. Abb. in cap. nouit. num. 28. de iudic. Felin. in cap. venerabilis num. 12. de except. & excommunicationem esse vltimum remedium dicit tex. in cap. Clericus de vit. & honest. Cler. & quandiù alia remedia habemus, extraordinarijs vtendum non est cap. ad nostram il 2. de iureiur. Neq; sunt concedenda de aliqua re, de qua pendet lis; ratio est, quia excommunicatio non compræhendit eos, qui sunt certi, & litigant, Felin. in cap. 2. de constitut. Gemin. in cap. fin. de elect. Ricc. in prax. for. Ecclesiast. in verb. Monitorialium decis. 279. num. 1. & debent concedi contra testes, qui prorsus ignorantur, vt videmus in monitorijs Romanæ Curiæ, in quibus apponuntur illa verba videlicet, quòd filij iniquitatis, quos prorsus ignorat, & cæt. & ideò bona est illa practica, vt petens monitorium iuret, se via ordinaria non posse petere illud, quod sibi debetur, cum nec plenam, nec semiplenam probationem habeat Petr. Anton. Lazar. in tract. de Monitorijs sectione 1. num. 2. vide infra post num. 6.

3 Sed notandum est primò, quòd ille, qui impugnat monitorium redditur suspectus quia per impedimentum, quod præstat, ne monitorium publicetur, videtur quòd non sit tutus in conscientia, & præsertim quando ob nimiam instantiam, & animositatem se opponit, maximum enim est inditium, & non leuis contra eum oritur suspitio, Crauet. cons. 181. nu. 6. & latius cons. 134. & cons. 100. n. 179. Petr. Anton. Lazar. de Monitor. tit. 3. q. 12. Ricc. in prax. in verb. Monitorialium decis. 269. num. 1. Prax. Cur. Archiep. Neap. cap. 1. num. 15.

4 Secundò notandum est, quòd licet in d. decreto Concilij Trident. sess. 25. cap. 3. de reformat. disponatur Episcopos tantùm, & non alios posse dicta monitoria decernere ex illis verbis à nemine prorsus præterquam ab Episcopo, quæ dictio prorsus est taxatiua alios exclu-

dens, tamen per Sacram Congregationem eiusdem Concilij fuit decisum sub die 18. Februarij 1583. his verbis: Vicarius generalis, & ad id potestatem habens ab Episcopo potest sine præuia cognitione facta ab ipsomet Episcopo, excommunicationem ad finem reuelationis pro rebus deperditis decernere, dum tamen ipse Vicarius cognitionem adhibeat, & sic Vicarius generalis potest ista monitoria decernere, sed ex speciali mandato Episcopi Bartholom. Vgolin. de offic. & potest. Episcop. quicquid dixerit Sbroz. de Vicar. Episcop. lib. 2. quæst. 171. num. 5. quem sequitur Lazar. de monitor. sect. 2. q. 5. & Sair. de cens. lib. 1. cap. 9. num. 33. vers. primum est, & malè, quatenus velint, quòd quando Concilium voluit excludere Vicarium, nominatim expressit pro vt sess. 24. cap. 6. de reformat. quia sine speciali mandato Episcopi Vicarius generalis non potest talia monitoria decernere, vt ex supradicta declaratione Sacræ Congregationis Concilij, idem est dicendum de Vicarijs foraneis, qui ex speciali mandato Episcopi possunt huiusmodi monitoria decernere ex declaratione eiusdem Sacræ Congregationis.

5 Tertiò notandum est, quòd à dicta facultate decernendi monitoria excipiuntur alij Prælati inferiores Episcopis, nam Concilium concessit, ab ipsis Episcopis tantum decerni posse huiusmodi monitoria, ergo non ab alijs iudicibus cap. nonne de præsumpt. & l. cum prætor ff. de iudic. quare Prælati, qui nullius Diœcesis sunt, concedere ea non poterunt, sic enim declarauit Sacra Congregatio Concilij interpres, & sic Abbates, & alij inferiores, quamuis nullius Diœcesis sint, & iurisdictionem quasi Episcopalem obtinentes non possunt post Concilium Trident. decernere ista monitoria pro rebus deperditis, & subtractis, quæ declaratio est his verbis. Congregatio Concilij censuit, Abbati, alijque inferiori quamuis nullius Diœceseos existant, & iurisdictionem quasi Episcopalem obtineant post Concilium non licere excommunicationes, quæ pro rebus deperditis, vel subtractis fieri solent, decernere, sed debere eius subditos ad eas obtinendas Sedem Apostolicam adire, idemq; esse obseruandum si huiusmodi inferior intra fines alicuius Diœceseos existens iurisdictionem quasi Episcopalem priuatiuè quoad Episcopum habeat, sitq; priuilegio Sedis Apostolicæ immediatè subiectus, nam huiusmodi excommunicationes decernendi in eius subditos, neque ad ipsum, neq; ad Episcopum pertinere, sed adire Sedem Apostolicam oportet, quòd si inferior iurisdictionem quidem quasi Episcopalem in certa parte Diœceseos habuerit, sed appellationes ab eo ad Episcopum deuoluatur, hanc facultatem in illius subditos ad Episcopum etiam perti-

pertinere nisi vbi ea iurisdictio esset inferiori per priuilegium quæsita
6 ex tenore priuilegij aliud resultaret. Sed Vicarius electus à Capitulo Sede vacante potest dicta monitoria decernere, Sair. de censur. lib. 1. cap. 9. num. 33. vers. primum est, Pauin. de potest. cap. Sede vacant. quęst. 16. num. 3. Lazar. lib. 1. canonicar. quæst. cap. 5. Ricc. in prax. verb. Monitorialium decis. 270. num. 5. ratio est, quia Capitulum Cathedralis Ecclesiæ succedit in Iurisdictione Episcopi, tàm necessaria, quàm voluntaria, & in administratione temporalium, & spiritualium cap. cum olim de maior. & obed. & præsertim in monitorijs concedendis testatur Pauin. loco citato. Tusc. pract. conclus. tom. 5. concl. 56. Ricc. loco citato, & ita censuit Sacra Congregatio Concilij Trident. vt refert Sair. de censur. lib. 1. cap. 9. nu. 33. sub die 14. Augusti anno 1586.

Quatenus autem supra dixi, quòd si de aliqua causa pendet lis, non possunt concedi monitoria super dicta causa, sciendum est, quòd si in dicta lite datus est terminus, & non sunt citati testes, possunt concedi monitoria, quia adhuc possunt testes ignorari, solet etiam practicari quòd quando testes sunt citati, quòd conceduntur monitoria cum clausula dummodo non recipiantur reuelationes testium citatorum, vel testes citati non comprehendantur in monitorio, sed quandò testes citati sunt in numero copioso, puta quindecim, vel viginti in totum denegantur monitoria, quia non est verisimile, quòd pars non possit scire veritatem negotij ab aliquibus ipsorum, hæc Ricc. in prax. for. Ecclesiast. in verb. Monitorialium decis. 275. nu. 4. & 5.

7 Quartò notandum est, quod non solùm contra testes, sed etiam contra principales detinentes rem, de qua in monitorio potest fieri excommunicatio, Abb. in cap. dilectus de excess. Prælat. Silua Nuptial. in verb. Monitoriæ nu. 29. & 30. sed dubium est an principalis teneatur reuelare, & respondendum est non teneri, quoniam nemo tenetur ad se patefaciendum, vel denuntiandum, neque prodere famam suam, cap. quidem maligni 5. q. 1. cap. quis aliquando de poenit. dist. 1. S. Thom. 2. 2. q. 69. art. 1. Tolet. lib. 5. Instruct. Sacerd. cap. 37. in fin. Nauar. in Manual. cap. 17. num. 10. Sed tenetur principalis restituere rem ipsam, vbi potest, & in casibus in quibus licitè eam non detinet, nam rem alienam illicitè detinens mortiferè peccat cap. si res aliena 14. q. 6. & peccatum non remittitur, nisi restituatur ablatum cap. peccatum de regul. iur. lib. 6. præsertim cum id in monitorio præceptum sit, quare contrafaciens in excommunicationem incidit, Petr. Anton. Lazarius de Monitor. sect. 4. quæst. 17. Barthol. Vgolin. de offic. & potestat. Episcop. par. 2. cap. 45. §. 4. in fin. Sed fallit

si inditia, infamia, vel vnicus testis, qui semiplenam facit probationem contra principalem præcesserint tenetur reuelare, Siluest. in verb. correctio, Silu. Nuptial. loco citato, Sot. de ration. tegen. membro 2. Barthol. Vgolin. loco citato.

8 Quintò notandum est, quod testes scientes, & principales quando tenentur reuelare, si reuelant Episcopo, vel eius Vicario, & etiam ipsimet parti oretenus non satisfaciunt, quia hi, quorum interest huiusmodi reuelatione vti non possunt, Nauar. conf. 5. nu. 5. de furt. sed tenentur reuelare in scriptis in banco iuris, Prax. Cur. Archiep. Neap. cap. 1. nu. 19. & sic etiam tenentur testes reuelare, & propalare, etiam si scirent rem, de qua in monitorio sub sigillo secreti, vel iuramenti, Abb. & Felin. in cap. intimauit de testib. idem Abb. in cap. si Sacerdos de officio Ordin. Sed sunt multi casus, quibus quis reuelare non tenetur.

9 In primis non tenetur reuelare quis quando scit rem, de qua in monitorio, ab aliquo, qui iam reuelauit. Nauar. in Manual. cap. 25. nu. 45. vers. quartum, sed si is, à quo audiuit, & sciuit, non reuelauerit, tenetur reuelare, quia licet testis de auditu non probet, l. testium C. de testib. tamen tenetur propalare eum, à quo audiuit, quia Iudex potest interrogare illum, qui forsan potest maiorem afferre lucem, Prax. Cur. Archiep. Neap. cap. 2. nu. 2. Sed si aliquis audiuit à personis non fide dignis per plateas, & vicos non tenetur reuelare, quia excommunicatio fulminatur contra scientes, & intelligitur de verè, & realiter scientibus, scire enim est veritatem visu perceptam, mente retinere, glos. in l. 2. §. ideo de aqu. pluu. arcen.

10 Item non tenentur reuelare, qui detinent rem alienam in recompensam crediti, Silua nuptial. in verb. Monitoriæ nu. 43. Nauar. in Manual. cap. 25. nu. 46. Iul. Clar. in §. furtum nu. 21. vbi Addent. ratio est, quia excommunicatio non potest ferri, nisi ob peccatum mortale, sed non peccat qui accipit illud, quòd sibi debetur, & non peccando non tenetur reuelare, Angel. in verb. furtum §. 41. etiam si in sententia excommunicationis diceretur, vt teneatur quis reuelare, etiam si animo compensandi rem detinet, quia tunc sententia contineret expressum errorem cap. per tuas de sent. excommun. cap. solet, & cap. venerabilis de sent. excom. lib. 6. Angel. loco citato, quòd intelligitur dummodò detinens in recompensam non possit via iuris suum debitum recuperare, vel sine iactura, & dummodò debitum, quòd detinetur in recompensam sit liquidum quia de liquido ad illiquidum non fit compensatio, l. fin. C. de compensat. & debitum fit liquidum, detentor debet aliquo modo admonere debitorem, vel hæredes, ne

iterum

iterum sibi, aut suis hæredibus soluant Nauar. in Manual. cap. 17. num. 113. Petr. Anton. Lazar. de Monitor. sect. 2. quæst. 8. nu. 3.

11 Item excusantur, & reuelare non tenentur, qui probabiliter timent sibi ex suo testimonio, & reuelatione aliquod malum corporis, vel damnum magnum spirituale, vel temporale suę personę, honoris, vel ammissionis bonorum, vel eorum magnæ partis sibi euenturum, Angel. in verb. familia nu. 7. siue timet inimicitiam capitalem nasci ex reuelatione, quia non tenetur testificare, Bal. & Felin. in cap. dilectorum de testib. cogen. Nauar. in Manual. cap. 25. nu. 50. Prax. Cur. Archiep. Neap. cap. 2. num. 6. quia nemini officium debet esse nociuum, cap. cum non deceat de elect. lib. 6. & Angel. loco citato dicit, quòd nemo tenetur cum iactura sua facere bonum proximi temporale, hinc est quod excusatur vassallus si non reuelat contra Dominum, Graff. cons. 6. nu. 29. de sentent. excomm.

12 Item non sunt excommunicati, & non tenentur reuelare, qui sunt impotentes ad restituendum, nam qui rem iniustè detinet, si re vera restituere non potest, cum non sit soluendo, non peccat, l. præses C. de aqu. quot. cap. faciat 22. q. 2. l. nepos Proculo ff. de verbo. significat. & ille dicitur non posse restituere non solùm, qui est in extrema necessitate, sed etiam qui commodè non potest sine probabili damno bonorum suorum altioris ordinis; qualia sunt vitæ, salutis, honoris, & famæ; quia proroganda est restitutio, Nauar. in Manual. cap. 17. n. 56. S. Anton. part. 2. tit. 2. cap. 8. Tole. in Summ. lib. 5. cap. 27. vnde qui fecit, quod potuit ad restitutionem faciendā iuxta consilium prudentis Confessarij excusatur, Nauar. cons. 4. num. 4. de iniur. & in Manual. cap. 17. num. 56. sed hoc intelligendum est, nisi ille, cui facienda est restitutio non sit in eadem, & æquali necessitate, vt quia oportet eum viuere indecenter, nisi restituantur ei sua bona ablata, vel iniustè detenta, nam non licet, cuiquam seruare ęstimationem sui status cum bonis alienis, Nauar. cap. 17. nu. 60. Siluest. in verb. excommunicatio 2. q. 23. Sair. de censur. lib. 1. cap. 9. num. 11. vnde citra tamen extremam necessitatem tenetur quis restituere, etiam si cadat à statu suo, Tolet. in Summ. cap. 24. num. 9. & quamuis, vt suprà dixi impotentem re vera non esse excommunicatum, si tamen postea factus est soluendo, non etiam incidit in excommunicationem latam tempore impotentiæ Sair. de censur. loco citato, sed tenetur restituere, ratio est, quia tempore excommunicationis, non erat obligatus restituere ob impotentiam, & excommunicatio non ligauit cap. nullus, & cap. nemo 11. q. 3. excommunicatio enim non habet tractum successiuum, Abb. in cap. à nobis il 1. num. 7. de sent. excomm. arg. cap. pastoralis

§.fin.& ibi glof.in verb.excommunicatio fecum trahat de appellat. & cap. 15.cui de fent.excomm.lib. 6. cenfura enim hominis præfentem culpam, & non futuram exigere videtur, vt colligitur ex cap. Romana Ecclefia §. caueant, & ibi glof. in verb.futuris de fentent.excomm. lib.6.Abb.in ca.licet ad euitanda nu.9.de elect.Couar.in c. alma mater par.1.§.10.in princ.de fent.excomm.lib.6.fed fi tempore, quo lata eft excommunicatio poterat reftituere; & non reftituit, fi poftea in paupertatem incidit, ex quo erat excommunicatus, femper remanet excommunicatus quoad forum Ecclefiæ, quia non reftituit quando potuit, quamuis quoad Deum poffit effe in gratia, Petr. Anton. Lazar.de Monitor.fect.4.quæft.4.num.5.

13 Item teftes abfentes non funt excommunicati fi non reuelant,quia degentes extra territorium Iudicis excommunicantis non funt fub eius iurifdictione cap.2.de conftit.lib.6.c.Epifcopum 11. q.3. Nauar. in Manual.ca.27.num.6. etiam fi fcirent talem excommunicationem d.c.2.cum ibi notatis, Armil.in verb.excommunicatio §.34.nec etiam fi reuertantur, tenentur reuelare, per rationem fupradictam,quòd excommunicatio non habet tractum fucceffiuum, fed opus eft noua fententia excommunicationis, nifi fe abfentaffent poft monitionem, vt reuelarent fub pęna excommunicationis quamuis poftea tempore excommunicationis reperiantur extra territorium excommunicantis, quia tunc funt excommunicati, fi non reuelant, glof. in c.præterea il 2.de appell.in verb.impedire,Abb.in ca. præterea de appell.Lazarius de Monitor.fect.4.quæft. 17.quia per monitorij citationem perpetuatur iurifdictio ca.propofuifti de for.compet.

14 Item Monachi, & Fratres Regulares fcientes rem, de qua in monitorio, fi non reuelant non funt excommunicati, quia funt exempti à iurifdictione Ordinariorum, qui decernunt huiufmodi monitoria cap. nifi praua de exceff. Prælat.Graff. par.1.lib.4.cap.3.num. 5. Mandof. de fignat.grat.in verb.exempt. cap. graue nimis de offic.Ordin.cap.fi Papa de priuileg. lib.6.Bart. Vgolin.de offic.& poteftat.Epifcop.par. 1.cap. 20. num. 1.

15 Item Aduocati, & Procuratores non tenentur reuelare fecreta caufæ,l.fi.ff.de teftib.cap.Romana de teftib. & atteft.lib. 6. Silu. Nuptial.in verb.Monitoriæ num.47.nifi aliter veritas haberi non poffet, & non reuelando fecreta clientuli immineret notabile damnum aduerfario,Surd.dec.190.Farin.quæft.60.num.228.Felin.in ca. 1. de teftib.Prax.Cur. Archiep. Neapol.cap.2.num.3.fed fi damnum,de quo agitur, non fit adeò graue, & notabile non licet Aduocatis, & Procuratoribus prodere fecreta clientuli, potius enim Aduocati debent

fecreta

secreta causæ custodire, quam leuia damna partis aduersæ curare, Petr.Ant.Lazar.de Monitor.sect.2.q.16.num. 10. vbi in sequenti nu 10.dat cautelam Aduocatis, & Procuratoribus, ne videantur præuaricatores iux.l.1. ff. de præuaric. & causæ proditores, vt in huiusmod casibus Aduocati, & Procuratores accedere debeant ad Iudicem Ecclesiasticum, & faciant se eximere ab obligatione reuelandi.nam Ordinarius vbi expedire sibi videbitur existente legitima causa potest eximere ab obligatione reuelandi in monitorio per eum concesso, vt idem Lazar.de Monitor.sect.2.q.2.num.2.imò potest Ordinarius hoc facere in Monitorio concesso à Sede Apostolica, cuius exequutio ipsi Ordinario concessa est, ex illis verbis, quæ regulariter apponi solent in Monitorijs Papalibus videlicet. Quocirca fraternitati tuæ, & cæter. Si causa diligenter, & magna maturitate per vos examinata, pro rei, loci, temporis, & personæ qualitatibus vobis pro vestra conscientia videbitur expedire,& cæt. Lazar.loco citato qui alios allegat, sed Nauarr. conf.6.nu.1.de pœnitent.& remiss. tenet Aduocatos, & procuratores non teneri reuelare, vide eundem Nauar. in Manual. cap.25.num.42.

16 Item consanguinei, & affines, alijq; numerati in l.Iulia ff.de testib. non tenentur reuelare, ex quo de iure non possunt Compelli ad testificandum contra alios consanguineos, & affines, prout sunt pater contra filium, & è contra, frater contra fratrem, vxor contra virum, & è contra Angel.in verb. denuntiatio num. 13. & in verb. familia §. 7. Silua Nupt. in verb. Monitoriæ num. 47. sed si veritas aliter haberi non posset, testificari, & reuelare tenentur cap. quamquam, & ibi glos. in verb. occultetur 14.q.2.cap.peruenit de testib. cogend. dummodo non timeatur damnum in persona, rebus, vel fama eorum arg. † cap.officij de pœnit.& remiss. Giurba decis.94.nu.15.

17 Item testes scientes aliquem rem iniustè detinere,& similiter scientes ipsum detinentem esse impotentem ad restituendum, non tenentur reuelare, quia principalis detinens rem non peccat, dum est impotens ad restituendum, nam ad impossibile nemo tenetur, §. impossibilium Instit.de inutil. stipulat.Prax.Cur. Archiep.Neap.cap. 2. nu. 4. verum si testis dubitaret de impotentia, vel potentia, tenetur reuelare, Sair. in clau.reg.lib.12.cap.14.num.31. Lazar.de Monitor.sect. 2.quæst. 13. num. 16.

18 Sextò notandum est, quòd licèt aliqui dicant, quòd quis reuelare non teneatur, quando ipse solus scit rem, de qua in monitorio,ex quo probare non potest, Felin.in cap. de cætero de sent. excomm. Angel. in verb. excommunicatio §. fin. Siluest. in verb. excommunicatio

il 2. §.

il 2. §.8.& est communis opinio per tex. in cap. sacerdos de pœnit. dist. 6. tamen hoc intelligitur de monitorijs ad finem denuntiandi, in quibus denuntiator cogitur probare Lazar. loco citato sect. 7. q. 11. num. 11. secus verò in monitorijs ad testificandum, prout communiter fiunt ista monitoria, nam tunc etiam si solus aliquis sciret tenetur reuelare, vt testis; ratio est, quia vnus testis facit semiplenam probationem, & quando est semiplenè probatum, poterit dari iuramentum suppletorium, Felin. in ca. cum in omni negotio nu. 5. de testib. glos. in cap. vbi, Abb. de procurat. maximè si actor est persona honesta, & legalis etiam si causa sit grauis cap. fin. de iureiur.

19 Septimò notandum est, quòd fulminata sententia excommunicationis si sunt, qui reuelauerunt Titium possidere rem in monitorio contentam, licet nonnulli dicant posse Titium excommunicari à Iudice Ecclesiastico præuia citatione facta nominatim Titio, tamē non obseruatur, sed practica est, quòd actor accepta copia reuelationum à Curia Ecclesiastica, adit Curiam secularem, & repetitis testibus reuelantibus cum iuramento parte citata, proceditur in dicta Curia sæculari via ordinaria si Titius est laicus de quo satis per Thorum in voto 17. & credo, quòd maximè procedit hodie ex dispositione Concilij Trident. sess. 25. cap. 3. §. in ciuilibus de reformat. vbi statuitur neminem esse excommunicandum, nisi prius facta diligentia de exequendo realiter, & personaliter.

Octauò est notandum, quòd si testes, qui reuelauerunt, in repetitione facta in iudicio cum iuramento deponant contrarium eius, quod reuelauerunt, licet stetur posteriori depositioni cum iuramento possunt tamen puniri de falso, Felin. in cap. tua de testib. Bart. in l. si quis legatum ff. de fals. & est communis opinio, Clar. in §. falsum nu. 12. dummodo talis falsitas sit nociua, alias non essent puniendi pœna ordinaria, Clar. loc. citat.

21 Nonò notandum est, quòd si quis inciderit in excommunicationem, ex quo non reuelauit virtute monitorij in termino præfixo, quod monitorium fuerit expeditum à Sede Apostolica, quamuis nonnulli teneant, quòd non possit absolui ab Ordinario, verior tamen, & magis communis opinio est, quòd potest absolui ab Ordinario, quia ab excommunicatione generali lata à Papa non reseruata, Ordinarius potest absoluere, vt colligitur ex ca. nuper, §. in secundo, & ibi glos. in verb. non retinuit, & ibi Abb. nu. 5. & Felin. nu. 3. de sent. excomm. Hostien. in Summ. lib. 5. tit. de sent. excomm. §. quis possit num: 12. Nauar. in Manual. cap. 27. num. 39. vers. 4. S. Anton. par. 3. tit. 24. ca. 77. Angel. verb. absolutio 3. nu. 2. Pisanell. in verb. absolutio 1. Tabien.

bien. verb. absolutio 2. nu. 4. Silu. verb. absolutio 1. nu. 4. Couar. in cap. alma mater par. 1. §. 12. nu. 4. de sent. excomm. quia cum Papa absolutionem specialiter sibi non reseruauit, tacitè videtur absolutionem Episcopis, & proprijs Prælatis concedere d. cap. nuper. Sair. de censur. lib. 2. cap. 19. num. 2.

22 Decimò notandum est, quòd sæpè contingit, quòd fulminata sententia excommunicationis, qui rem iniustè detinet vult facere restitutionem, ne restituens manifestetur, cautela est, quòd poterit restitutionem consignare alicui prudenti, & fideli Confessario [illegible] eam tacito nomine restituentis, parta tradat, nam Confessarij videntur personæ aptiores, vt per eorum manus huiusmodi restitutio fiat Lazar. de Monitor. sect. 4. quæst. 5. num. 4. dixi fideli Confessario, quia si forte Confessarius debitæ fidelitatis oblitus non tradat rem cui est restituenda, non liberabitur, qui ad restitutionem tenetur, S. Anton. par. 2. tit. 2. c. 4. §. 1. Nauar. in Manual. cap. 17. nu. 67. vnde consulunt DD. pœnitentem, qui vult restituere, debere procurare, vt Confessarius, quando tradit rem, vel pecuniam restituendam, recuperet Syngrapham, seu apocham, in [illegible] recipiens rem, seu pecuniam confiteatur à tali Confessario se recepisse tantam pecuniæ quantitatem ab incerta persona sibi debitam, & dictam apocham pœnitenti exhibeat, immò S. Anton. loco citato addit, ne multum fidant Prædicatoribus, & Confessarijs, qui quærunt pecunias, non animarum salutem, nisi persona Confessarij talis sit, [illegible] eius fide, & integritate dubitari non possit, Sair. in claui reg. par. 2. tract. 2. cap. 2. num. 3. Tolet. in Summ. lib. 5. cap. 24. num. 3.

23 Vndecimò notandum est, quòd monitoria sunt publicanda diebus Dominicis, & festiuis in Ecclesia inter missarum solemnia, dum ibi multitudo populi ad diuina conuenit publicè monendo in genere omnes, & singulos vtriusq; sexus sub pœna excommunicationis distinctè præcipiendo, quatenus ij, qui bona Titij detinent, habent, cœlant, occupant, seu dolo habere desierunt, & scientes infra tot dies, quorum primus, & cæt. assignantur manifestare, propalare, & reuelare debeant, & teneantur, & eorum dictum, & testimonium in scriptis producere, vel deponere habeant in banca iuris, & in Curia Episcopali, ita vt fidem faciant in iudicio, & extra, alioquin fulminabitur sententia excommunicationis, quæ forma monitorij colligitur ex extrauaganti Ioannis Vigesimisecundi de furt. & ad fulminationem sententiæ excommunicationis, sunt seruandæ quædam cæremoniæ, nempè aliquæ candelæ sunt extinguendæ, & campanæ paulatim pulsandæ, Sair. de censur. lib. 1. cap. 15. per totum, & hæc

sunt

fiunt ad terrorem, vt exeant à peccato restituendo, vel reuelando, Abb. in cap. 1. de offic. custod.

24 Demum notandum est, quòd si impetratur monitorium à Papa in forma significauit illud est publicandum de verbo ad verbum, provt iacet, non mutando verba, sermonem, & sensum, nec formare alia capita vltra expressa in eo, quia delegatus in causa sibi delegata, de-

25 bet seruare formam rescripti Dominic. in cap. Romana §. sed nec de sentent. excommun. lib. 6. Felin. in cap. cum sit num. 15. de appell. sed potest publicari vulgari, seu materna lingua pro faciliori intelligentia pro idiotis, vt declarauit Sacra Congregatio Concilij Trid. provt refert Prax. Cur. Archiep. Neapol. cap. 1. numer. 12. vers. duodecimo notandum.

CAPVT TERTIVM.

De Immunitate Ecclesiarum, & de Bulla Gregorij XIV.

SVMMARIVM.

1 *IVdex extrahens per vim aliquem à loco sacro peccat mortaliter.*
2 *Locorum sacrorum appellatione, qui veniunt.*
3 *Immunitate Ecclesiastica, qui non gaudent.*
4 *Latrones publici, qui dicuntur.*
5 *Grassatores viarum, qui sint.*
6 *Depopulatores agrorum, qui sint, & vnde dicti.*
7 *Delinquentes in Ecclesia an gaudeant immunitate.*
8 *Ecclesia non tuetur eum, qui ipsam offendit.*
9 *Existens intus Ecclesiam, & occidens cum sclopo, vel alijs armis existentem extra, & è contra an gaudeat immunitate.*
10 *Proditor, qui propriè dicatur.*
11 *Assassini, qui dicantur, & qui hæretici, num. 12.*
12 *Hæretici non gaudent immunitate pro crimine hæresis, nec pro alijs delictis.*
13 *Excommunicati an gaudeant immunitate Ecclesiastica.*
14 *Blasphemi an gaudeant hac immunitate.*
15 *Crimen læsæ maiestatis duplex.*
16 *Rei criminis læsæ maiestatis in personam Principis an gaudeant hac immunitate.*
17 *Confugientes ad Sacerdotem portante Sanctissimum Corpus Christi an gaudeant immunitate Ecclesiastica.*
18 *Ecclesia, in qua non dum sunt cœpta celebrari diuina officia an habeat priuilegium immunitatis.*

1 CVM rei criminis confugientes ad Ecclesiam ab ea violenter extrahendi non sint c. inter alia de immun. Eccl. & l. præsenti C. de his, qui ad Eccles. confug. & Summistæ in verb. immunitas, ideò fuit edita Constitutio à Gregorio XIV. quæ incipit: Cum alias Romæ nono Kalendi Iunij 1591. propterea sciendum est, quòd iudex extrahens per vim à loco sacro eum, qui ad illum confugit peccat mortaliter, Nauar. in Manual. cap. 25. num. 17. & appellatione loci sacri ve-
2 nit quælibet Ecclesia, Cappella, basilica hæremitorium, sacellum ad Missam dicendam auctoritate Episcopi constructum, ianua, & porticus Ecclesiæ, claustrum domus Episcopi, cohærens Ecclesiæ hospitale, domus Ecclesiæ ad habitationem Clericorum constructæ. Et hodie dicta Constitutio Gregorij XIV. est in viridi obseruantia, per
3 quam statuitur, quòd Laicis confugientibus ad Ecclesias, locaque sacra, si fuerint publici latrones, viarum grassatores, qui itinera frequentata, vel publicas stratas obsident, ac viatores ex insidijs aggrediuntur, aut depopulatores agrorum, quiuè homicidia, & mutilationes membrorum in ipsis Ecclesijs, eorumvè cœmiterijs committere non verentur, aut qui proditoriè proximum suum occiderint, aut assassini, vel hæresis, aut læsæ maiestatis in personam ipsiusmet Principis rei immunitas Ecclesiastica non suffragatur.

Exceptis ergo his casibus, in reliquis omnes confugientes ad Ecclesias

clesias locaque sacra ob alia quæcumque crimina gaudent immunitate Ecclesiastica, nam exceptio firmat regulam in contrarium l. quotiescumq; §. denique, ff. de fund. instruct. DD. in rub. de regul. iur. lib. 6. glos. in l. in his ff. de legat. 3.

4 Sed pro intelligentia inspiciamus de singulis, & primò publici latrones non gaudent hac immunitate Ecclesiastica, & aliqui dixerunt, quòd publici latrones sunt illi, qui non solùm palàm furantur, sed etiam homicidium committunt, & homines necant, & volunt, quòd si non faciunt homicidium, non sunt publici latrones, per tex. in l. capitalium, §. famosos ff. de pœn. sed veritas est, quòd sufficit id solùm, quòd publicè, & palàm furentur, vel publicè maneant in stratis, & transeuntes disrobent, absq; eo, quòd occidant, Abb. in cap. inter alia de immunit. Eccles. Peregrin. de immunit. Eccles. cap. 6. nu. 2. & 3. Marius Ital. eod. tract. cap. 5. §. 1. Correa de immunit. Eccles. par. 3. nu. 26. Farin. eod. tract. de immun. Eccles. à nu. 147. ad 154.

5 Secundò non gaudent immunitate Ecclesiastica grassatores viarum, est autem differentia inter publicum latronem, & viarum grassatorem, nam publicus latro est is, qui vias, & itinera foris obsidet, & vltimo supplicio punitur, dicta l. capitalium, §. grassatores, sed viarum grassator est, qui intra vrbem in itinere publico grassatur, Decian. lib. 6. cap. 28. num. 2. sed vt isti viarum grassatores priuentur immunitate Ecclesiastica, necesse est, quòd non semel, sed sæpius huius sceleris sint effecti rei, Ign. in l. 3. §. subuertitur nu. 107. ff. ad Sillan. qui testatur de communi, quia quando hoc scelus committant sunt proximi publicis latronibus, & non gaudent hac immunitate, Peregrin. vbi supra n. 4. Mar. Ital. ibidem num. 6. & 35. Farin. ibidem num. 162. ad 165.

6 Tertiò sunt depopulatores agrorum, qui non gaudent hac immunitate dicto c. inter alia, in quo erat illud verbũ: Nocturni, sed in hac Bulla Summ. Pontifex ademit hanc qualitatẽ, & sic siuè sit nocturnus, siue diurnus depopulator non gaudet hac immunitate, dicitur autem depopulator agrorum qui segetes, vineas, frumenta, ordea, fructus, & alia, quæ colliguntur ex agris depopulatur, & prædatur. l. 1. C. quand. lic. vnicuiq; & dicitur à depopulando, idest deprædando, Oldr. cons. 154. num. 2. per tex. in dicta l. 1. Peregr. ibi num. 12. & 13. Mar. Ital. d. cap. 5. §. 2. num. 1. Correa eod. tract. p. 3. num. 26. Farin. ibidem num. 158.

7 Quartò non suffragatur hæc immunitas ijs, qui committunt homicidia, & mutilationes membrorum in ipsis Ecclesijs, earumvè cœmeterijs, & licet de iure, vt in cap. fin. & ibi Abb. & cæteri de immunit. Eccles.

Eccles. Clar. quæst. 30. vers. item quæro, & in cap. ad Episcopos 17. q. 4. cautum erat, quod delinquentes in Ecclesia non gauderent immunitate Ecclesiastica, sed Pontifex in hac Constitutione restrinxit
8 ad homicidia, & membrorum mutilationem, quia ab Ecclesia tueri non debet, qui eam offendit dicto cap. fin. & cap. frustra de vsur. vnde vulnerans etiam proditoriè aliquem in Ecclesia gaudet immunitate Ecclesiastica, Decian. cons. 80. num. 18. & 19. Baiard. in addit. ad
9 Clar. in dicta quæst. 30. num. 17. Peregrin. ibi nu. 14. Ital. ad c. 5. §. 3. num. 1. & 20. Farin. ibi num. 111. & seq. Sed notandum est, quòd si aliquis existens extra Ecclesiam occiderit existentem intus ipsam cum archibusio, vel alio armorum genere non gaudet hac immunitate, & sic è contra si intus Ecclesiam occiderit existentem foris, Abb. in dicto cap. fin. num. 11. Prosper. Farinac. de carcer. & carcerat. quæst. 28. num. 6. Peregr. ibi à num. 16. cum seq. & idem Farinac. eod. tract. de immunit. num. 223.

10 Quintò qui proditoriè proximum suum occiderit, & is, dicitur proditoriè occidere, quando simul comedebat, vel amicabiliter conuersabatur cum aliquo, quem postea occidit, vel simul erant in itinere Bart. in l. respiciendum §. delinquunt de pœn. Doctores in c. 1. de homic. Cla. in §. homicidium vers. proditoriè verè, item dicitur proditor. qui dat potionem venenatam, Bal. in l. nemo clericus C. de sum. Trinit. & fid. cathol. Butr. in l. athletas §. Calumniator ff. de infam. August. in addit. ad Angel. in verb. fecit insultum, Felin. in cap. 1. de homicid. glos. in cap. clericus il 1. in verb. proditionibus dist. 46. Baiard. in addition. ad Clar. supra citat. num. 22. & sequen. sed si quis inimicum suum incautum, & retro offenderit, non dicitur proditoriè offendisse, cum inimicus semper possit, & debeat considerare præcauere ne ab inimico suo offendatur, quia semper inimicus præsumitur cogitare, & conari inimicum suum quouis modo, & omni tempore, quo potest velle offendere, Bart. in dicta l. respiciendum §. delinquunt, Angel. de malefic. in verb. fecit insultum vers. & benè nota, Farinac. quæst. 18. nu. 77. de delict. & pœn. Gomes. de delict. tit. de homicid. ca. 3. nu. 5. Peregr. eod. tract. cap. 7. Mar. Ital. d. ca. 5. §. 4. nu. 1. 4. & 7. Correa d. p. 3. num. 17. Farin. num. 136.

11 Sextò Assassinis non suffragatur hęc immunitas, & Assassini sunt qui pecunia, aliovè pretio, vel promissione facta Christianos occidunt, Doctores in cap. 1. de homicid. lib. 6. & qui fuerint isti assassini, & vnde effluxerint, vide Menoch. de arbitr. iudic. cas. 36. nu. 41. dixi qui pecunia, aliouè pretio accepto, vel promissione facta delinquit, Bart. in l. Citero ff. de pœn. & in l. non solum §. si mandato meo ff. de

iniur.

iur. Salicet. in l. qui sepulcra C. sepulcr. violat. Clar. in verb. Assassinium, & Bal.cons.256.p.volumin. dicit illam dici assassinum, qui pro pretio, vel spe premij homicidium committit, vel mandat. Io. Ant. de Nigr. in c.Regn.incip.frequens n.70. Viu. com.opin.opin.74.vers. 3.Assassini num.3.Dixi occidunt, quia non est assassinium nisi sequuta morte Io. Ant. de Nigr. loco citato, licet contrarium voluerit, Alex. cons.166. vol. 7. & malè. Demum dixi Christianum, quia necesse est, vt occisus sit Christianus,& fidelis,Baiard.in addit.ad Clar. §.assassinium num.13.late Pereg.d.c.7.nu.12. & seq. Mar.Ital.d.cap. 5.§.5.Farin.ibi num. 118.

12 Septimò hæretici excluduntur ab hac immunitate, quia cum principaliter contra Ecclesiam delinquant, non sunt aliquo modo sub eius tutela, & protectione, Couar.var.resolut.lib.2. cap. 2. num. 11. glos. in auth.de mandat. princip. §. neque autem, Hæretici autem sunt illi, qui cum sciant vera ab Ecclesia Romana doceri, nihilominus contrarium sentiunt, credunt, & tenent contra dogmata catholicæ Ecclesiæ ca. vnic.de Summ.Trinit.& fid.Cathol.lib.6.& clem.vnic.eod. largo tamen modo omnes Infideles, & Iudęi possint dici hæretici, glos.in c.illi, qui in rub. hæresi.n 24.q. 3. & licet contra Infideles Paganos, & Iudęos, Inquisitores hæreticæ prauitatis non procedant, sub tali tamen generali nomine hæreticorum compræhenduntur in hac materia, vt non gaudeant hac immunitate, l. 1. C. de his, qui ad Eccles. & ibi glos. Abb.in dicto cap. inter alia fallent, decimaoctaua, quicquid dicant alij, quia hæc est magis communis opinio, & vera, vt affirmat Clar. q.30.num.16.Peregrin.d.cap.12.num.1.Mar.Ital. d. cap.3.§.3.Farin.num.80.

Et hæretici non solum pro crimine hæresis non gaudent hac immunitate, vt habetur in hac Constitutione, sed nec etiam pro alijs criminibus non exceptis, pro quibus gauderent, si non essent hæretici, quia sunt inimici Ecclesiæ, & eius fauore non sunt digni, Couar. var. resolut. lib. 2. cap. vltim. num. 51. Boer. decis. 110. Farinac. de carcerib.quęst.28.num.68.verùm si hęretici post peractam pœnitentiam redierint ad gremium Ecclesiæ, non sunt priuati ista immunitate pro alijs delictis, Decian.lib.6.cap.28.num. 6. in fin. late Peregrin. quid d.tract.cap.8. Marius Ital.d.cap. 5. §. 6. num.1. Correa d.par.3. num.3.Farin.num.168.

13 Sed dicendum est de excommunicatis de quibus non disponitur in hac Constitutione? Resp. quicquid alij dicant communis opinio est, quòd gaudent immunitate Ecclesiastica Couar. var. resolut. lib. 2.cap.20.num.11.Clar.quæst.30.num.17.Nauar.cap.25.nu.19.Item suspen-

suspensi, interdicti, sacrilegij, qui non delinquunt in loco sacro gaudent hac immunitate, & similiter damnatus, qui per locum sacrum ducitur, Nauar. cap. 25. n. 19. Et banniti hac immunitate gaudent, si capitaliter condemnati fuissent pro delictis, pro quibus immunitas locum non haberet, sed solum quando fuissent banniti pro homicidio simplici, vel pro alijs delictis, quibus tali immunitate gaudere potuissent Farinac. quæst. 28. n. 47. Baiard. in addit. ad Clar. quæst. 30. num. 28. Pereg. d. tract. cap. 12. num. 2. Mar. Ital. eod. tract. c. 3. §. 2. Correa eod. tract. p. 3. num. 5. Farin. num. 44.

14 Blasphemi autem, qui non verentur blasphemare Deum, & Beatam Virginem Mariam non merentur esse digni immunitate Ecclesiastica Cappell. Tholosan. decis. 422. Boer. decis. 110. Baiard. in addit. ad Clar. quæst. 30. nu. 15. blasphemantes alios sanctos si sunt de illa specie, qui committunt blasphemiam, quam hæreticalem vocant credo, quod non sunt tuti in Ecclesia, cæteri autem, qui non habent istam qualitatem bene gaudent hac immunitate, Farinac. dicta qu. 28. num. 67. idem Peregr. d. cap. 12. num. 12. Ital. d. cap. 5. §. 6. Correa eod. tract. p. 3. num. 35.

15 Octauò non suffragatur immunitas Ecclesiastica reis criminis læsæ maiestatis, sed nota, quòd duplex est maiestas, diuina, & humana cap. duo sunt dist. 19. diuina consideratur respectu Dei, & hoc crimine læsæ maiestatis diuinæ sunt rei hæretici, de quibus diximus. Humana est respectu hominum, & concernit personam Principum, & hæc respicit duo capita: Primum est quando committitur contra Imperatorem, vel contra Rempublicam, l. fin. ff. ad leg. iul. maiest. & contra Regem, & quemlibet alium Dominum non recognoscentem Superiorem, vel contra personam Consiliarij Regis, l. quisquis C. ad legem iul. maiest. Andr. de Isern. in tit. quæ sint regal. §. bona committentium, Bart. in l. hostes ff. de cap. & post lim. reuers. Archid. in c. fœlicis de pœn. lib. 6. & est tex. in l. si familia ff. de iurisdic. omn. iudic. idem Bart. in l. lege duodecim tabularum, ff. ad leg. iul. maiest. Secundum caput est, quando non contra Imperatorem, Regem, vel Rempublicam, vel eorum Consiliarios, sed alio modo, glos. in l. fin. ff. ad leg. iul. maiest. Baiard. in addit. ad Clar. §. læsæ maiestatis, n. 2. Hinc infertur, quod si vasalli Baronum, qui recognoscunt Regem se rebellant contra Baronem, non tangendo Regem, non incidunt in crimen læsæ maiestatis, Bart. in l. exequutorem, de exequut. rei iudic. Oldr. cons. 43. sed alia pœna sunt puniendi, sed fallit si Baro habet merum, & mistum imperium, prout habent Barones in Regno, quia qui offenderet personam Baronis committeret crimen læsæ maiestatis,

iestatis, non tamen filij offendentis puniuntur, l. quisquis ff. ad leg. Iul. maiest. August. in addit. ad Angel. de malef. in verb. che hai tradito la tua patria. Sed in hac materia immunitatis Ecclesiasticæ in hac Constitutione excipiuntur tantum rei criminis lęsæ maiestatis in personam Principis tantum, vbi expresè hoc dicitur: Vnde si aliquis offenderet personam Consiliarij Principis, licet dicatur reus lęsæ maiestatis in primo capite, non tamen esset priuatus hac immunitate Ecclesiastica, quia solùm excipiuntur personæ Principum offendentes, de quo latissime per eundem Peregr. d. tract. cap. 9. & Mar. Ital. cap. 1. §. 7. num. 1. & 45. Correa d. p. 3. n. 3. Farinac. n. 186.

16 Sed quæro primò si aliquis confugerit ad Sacerdotem deferentem Sanctissimum Christi Corpus, & ipsum amplectetur an habeat hanc immunitatem? Resp. affirmatiuè, & non potest ab ipsò extrahi, non aliter, ac si ad Ecclesiam confugisset, & ista est communis opinio,

17 Gomes. in §. pęnales nu. 50. Instit. de act. Viu. comm. opin. in verb. condemnatus ad mortem. Clar. quæst. 30. num. 27. Farinac. tit. de carcer. quæst. 28. num. 45. quicquid in contrarium dixerit glos. in cap. quæsitum 13. q. 2. quia cum deferetur Christus Iesus, per quem Ecclesia habet hoc priuilegium immunitatis, multo magis in eo idem dicendum est, vt ait Clar. loco citato, Nauar. in Manual. c. 25. num. 18. qui testatur de communi Mar. Ital. eod. tract. cap. 4. §. 10. num. 1. vbi alia similia refert.

18 Secundò quæro si est ædificata Ecclesia aliqua auctoritate Episcopi, sed nondum ibi sunt cœpta celebrari diuina officia, an habeat immunitatem Ecclesiasticam? Resp. negatiuè, & confugientes ad eam possunt per curiam sęcularem extrahi Decian. lib. 6. cap. 24. num. 24. Peregrin. d. tract. cap. 4. nu. 9. Ital. d. tract. cap. 4. §. 3. n. 14. sic etiam est si aliqua Ecclesia sit diruta auctoritate Episcopi, vel est sine spe reædificandi non habet priuilegium immunitatis, Clar. qu. 30. num. 6. Farinac. de carcer. quæst. 28. num. 70. Peregr. ibidem num. 49. Ital. ibi num. 13.

19 Tertiò an domus Episcopi habeat hanc immunitatem? Resp. quod vera est communis opinio, quod habet immunitatem, per tex. in cap. id constituimus 17. q. 4. quamuis ab Ecclesia seiuncta sit, Nauar. in Manual. c. 25. nu. 18. sed si distat ab Ecclesia per quadraginta passus non habet hoc priuilegium, Decian. lib. 6. c. 25. n. 14. & ratio

20 est, quia hoc priuilegium non datur personis idest Episcopis, & Clericis, sed locis sacris, domus autem Episcoporum, & Clericorum non sunt sacræ, sed si adhærent loco sacro habent immunitatem, licet aliqui contrarium tenuerint, & præsertim, Farinac. tit. de carcer.

quæst.

quæst. 20. num. 38. & alij, quorum fundamentis respondet Decian. loco citato per validissimas rationes, per quas idem Farinac. recessit á dicta sua opinione, & adhæret Deciano: Veruntamen si domus Episcopalis habet capellam, seù oratorium in quo celebratur Missa, etiam si distaret ab Ecclesia vltra quadraginta passus hanc immunitatem Ecclesiasticam habet. Decian. loco citato, Peregr. d. cap. 4. num. 69. & seq. Genuens. in Praxi Arch. Neapol. cap. 21. num. 10. Ital. d. cap. 4. §. 9. n. 1. 4. 5. & 13.

21 Quartò quæro quid sit faciendum reo delinquente, & se recipiente in Ecclesia? Resp. quòd seruata forma dictæ bullæ si Curia sęcularis prætendat dictum delinquentem commisisse aliquod crimen exceptum, & non posse gaudere immunitate debet adire Episcopum, & non alios Superiores, etiam si essent Ordinarij, aut nullius Diœcesis, quia tunc ad Episcopum viciniorem, & cum eius interuentu, & cum expressa licentia ipsum delinquentem extrahere, & in carceribus Curiæ Episcopalis reponere, & cum opportuna custodia data, etiam si opus fuerit per ipsam Curiam sęcularem, & ibi detinendus est, nec tradendus, nisi cognito prius per Episcopum an delinquens verè crimen exceptum commiserit, & tunc demum de mandato ipsius Episcopi Iudici sęculari, quacumque appellatione postposita est consignandus, hæc colliguntur ex dicta Constitutione Pontificia, de quo etiam per Pereg. d. tract. cap. 3. sub n. 21. & 38. Correa d. tract. p. 4. num. 10. Sed est aduertendum, quòd non suf-

22 ficit per Curiam sęcularem ostendi, & exhiberi processum Episcopo, quò constat talem delinquentem patrasse crimen exceptum, quia per istam Constitutionem cognitio specialiter est demandata Episcopo per illa verba videlicet. Cognito prius per Episcopum, seù ab eo deputatum, &c. quia Iudex Ecclesiasticus non tenetur stare processui facto per Iudicem sęcularem, Gram. cons. 42. Clar. qu. 36. num. 49. Viu. comm. opin. in verb. Iudex laicus, nam processus factus a Iudice seculari nullam fidem facit in Curia Ecclesiastica, l. fin. C. si non à compet. iudic. & ideò in tali casu Episcopus debet formare, & fabricare processum ad probandum, an delictum sit de exceptis, Farinac. cons. 76. Ruin. cons. 7. n. 6. volum. 5. vbi attestatur de comm. Pereg. eodem loco n. 2. Mar. Ital. eod. tr. c. 6. n. 79. & 80.

23 Quintò quæro an delictum debeat cnostare per plenas probationes, vel saltem per inditia? Resp. quod cùm per dictam Constitutionem requiratur, quòd verè constet Episcopo, non sufficiunt inditia, & præsumptiones, vt patet ex illis verbis in dicta Constitutione vi-

24 delicet: An ipsi verè crimina expressa commiserint, & cæt. & vera

dicimus illa, quæ proprijs oculis inspicimus, vel indubitanter nouimus Innoc. in ca. cum causam de iuram. calum. ideo debet esse plena, & concludens probatio, & non sufficit probatio per inditia, & per præsumptiones l. huius, & ibi Bart. ff. de condit. & demonstrat. latè Pereg. d. cap.3. num.3. & seq.

Sextò quæro an Curia sęcularis possit auctoritate propria, & absq; licentia Episcopi, & interuentu personæ Ecclesiasticæ extrahere delinquentem ab Ecclesia inquisitum de crimine excepto? Resp. prout supra diximus, quòd postquam habemus determinationem Pontificiam, qua cauetur, prius constare debere Episcopo an delictum sit exceptum, vel nè, non potest iudex sęcularis extrahere absq; dicta licentia, Alex. Ambros. in tract. de immunit. Eccles. cap.11. nu.1.
25 idem Peregr. d. tract. c.16. num.22. & cap.14. nu.8. imò nec etiam Curia sęcularis potest ponere custodes circumcirca Ecclesiam in qua delinquens se recepit, nè ad eum alimenta deferantur, & si hoc faceret, esset violata immunitas Ecclesiastica, Couar. var. resolut. lib.2. cap.20. num.17. qui testatur de communi, Clar. dicta qu.30. n.20. per tex. in l. præsenti, C. de his, qui ad Eccles. confug. Abb. in d.cap. inter alia num.13. de immunit. Eccles. latius Peregr. d. tract. cap.13. n.9. & per totum vbi multa.

26 Septimò quæro an Clericus delinquens, & confugiens ad Ecclesiam gaudeat hac immunitate? Resp. quòd Abb. in dicto cap. inter alia per multa argumenta tenet, quòd non gaudet, sed alij tenent contrariam opinionem, & præcipuè Roman. in cons.234. qui respondet omnibus motiuis, & argumentis Abb. & probat, quòd gaudet immunitate, quæ opinio est verior, & tenenda, Diaz in pract. crim. Canon. cap.124. Couar. var. resol. lib.2. cap.20 nu.16. Clar. qu.30. n.15. Nauar. cap.25. n.22. Farinac. tit. de carcer. quæst.28. n.7. qui dicit, quòd de consuetudine non obseruatur, sed bona est distinctio, quam facit, Decian. in cap.26. nu.1. Aut enim Clericus vadit ad Ecclesiam ex alia causa, quàm vt gaudeat immunitate, & tunc non gaudet, aut confugit ad Ecclesiam, vt habeat immunitatem, & tunc erit tutus, & non potest iudex Ecclesiasticus eum extrahere, & carcerare, quia hoc priuilegium est concessum locis sacris, vt non possit ad ea confugiens extrahi ob reuerentiam, quæ eis est præstanda, cap. frater, cap. miror 17. q.4. & dicto c. inter alia, & fin. de immunit. Eccles. quæ ratio militat etiam in Clericis, ergò idem ius est seruandum, imò mul-
27 tò magis militat in Clericis, quia Ecclesia tenetur protegere magis suos Clericos subditos, quàm alienos arg. cap.1. de nat. & lib. vent. & non debent esse Clerici deterioris conditionis, quam laici,

Pere-

Peregr. eodem tract. cap. 12. num. 3. Genuens. vbi supra n. 11. Mar. Ital. d. tract. cap. 3. §. 1.

28 Octauò quæro an debitores possint gaudere dicta immunitate? Resp. affirmatiuè, Abb. in dicto cap. inter alia, Couarr. var. resolut. lib. 2. cap. 20. Gomes. in § superest Instit. de act. Farinac. dicto c. 28. num. 32. vbi testatur de cõmuni quamuis conetur probare, quòd debitores falliti, & decoctores non gaudent, assimilans eos publicis latronibus, quæ comparatio non est bona, & vera, cùm non concurrant ea, quæ requiruntur ad constituendum publicum latronem, & credo quod non sunt excludendi ab hoc beneficio, Nauar. cap. 25. num. 19. vers. tertium in fin. latè Peregr. d. tract. cap. 12. num. 4. & cap. 13. num. 7. Mar. Ital. d. cap. 5. §. 11. numer. 1. & 6. Correa eod. tract. p. 3. num. 10.

Sed post hæc scripta fuerunt publicatę quędam literę Sacræ Congregationis Episcopornm, & Regularium negotij præpositæ, de mandato S.D.N. Pauli Quinti directæ Illustrissimo Nuntio Neapoli residenti concernentes materiam se recipientium ad Monasteria, & loca sacra Regularium tenoris sequentis.

Molto Ill. & molto Reuerendo come Fratello. Benchę N.S. voglia che sia osseruata l'immunità Ecclesiastica, & la Constitutione di Gregorio XIV. Felic. mem. sia eseguita come stà, non li piace però che le chiese, nè gli altri luochi sacri seruano d'Asilo, nè di ricettacoli à tristi, onde mi hà commandato di scriuere à V.S. che faccia probibire, & intimare per parte di sua Beatitudine alli superiori di Monasteri di Regulari di tutti gli Ordini col mezo de gli Ordinarij ò come meglio parerà à lei, che per l'auenire non diano ricetto à sorte alcuna di condennati, ne banditi, ladri, ò altre genti di mal'affare, ne à Falliti, e debitori sotto pena della priuatione dell'officio, e di voce attiua, e passiua, si s'haurà notitia del ricetto, anchor che non siano trouati questi tali nelli Monasterij, & sotto altre pene ancor maggiori ad arbitrio della Santità sua, & vuole in oltre che stia auuertito di punir quelli c'hauranno ardire di contrauenire à questo ordine. Potrà dunque V.S. far publicare nel modo sudetto la detta prohibitione nelli luoghi doue ne sarà maggior bisogno, & di mano in mano per tutto, acciò non se ne possa pretendere ignoranza, & il Signore la consoli. di Roma li 13. di Agosto 1613. D.V.S. come Fratello affettionatissimo. Il Card. Sauli.

29 Nonò quæro, quę pęna sit imposita violãtibus immunitatẽ Ecclesiasticam? Resp. quòd Concil. Trid. cap. 20. sess. 25. de reformat. & hęc Constitutio non determinant pęnam præcisam, sed mandant puniri pęnis à sacris Canonibus, & Concilijs Oecomenicis impositis, quæ diuersæ sunt, nam in cap. quisquis 17. quæst. 4. est pęna excommunicationis, & sic in dicto cap. inter alia; de iure vero ciuili est

pœna vltimi supplicij. l. præsenti C. de his, qui ad Eccl. confug. sed hodie est in vsu pœna excommunicationis, in quam incurritur ipso facto per dictam Constitutionem, & violatores non absoluuntur nisi restituerint extractum ab Ecclesia, & satisfecerint pro omnibus damnis ab Ecclesia passis, latè Peregrin. d. tract. cap. 15. & absolutio, cum non sit reseruata Papæ potest dari ab Episcopo cap. nuper de sent. excommunic. Peregrin. ibidem num. 7. & 18. Ital. d. cap. 6. §. 2. num. 22.

30 Decimò quæro, an Hospitalia habeant hoc priuilegium immunitatis? Resp. affirmatiuè, ita quòd confugientes ad illa sunt tuti, non aliter, ac si ad Ecclesiam se recepissent, Archid. in ca. diffiniuit 17. q. 4. Bald. in l. si quis ad declinandum, §. in omnibus, & in l. si quis ad Ecclesiam, C. de Episc. & Cler. Ias. in l. plerîq; ff. de in ius vocand. Couar. var. resolut. cap. 20. num. 4. quia omnia priuilegia concessa Ecclesijs competunt Hospitalibus, & in eis sunt à iure translata, l. omnia C. de Sacros. Eccles. Fel. latè in cap. de quarta præscript. Dec. cons. 54. & 448. Nauar. in Manual. cap. 25. numer. 18. & Pereg. eodem tract. cap. 4. num. 65. Ital. d. tract. cap. 4. §. 3. num. 17. Correa d. tract. p. 2. num. 21.

31 Vndecimò quæro, an confugientes ad ostium Ecclesiæ, ad scalas, & ad cœmiterium sint tuti? Resp. qui ob reuerentiam ipsius Ecclesiæ ab his locis non possunt extrahi, non aliter, ac si ad ipsam Ecclesiam confugissent, Angel. de malefic. in verb. quod fama publica num. 59. & in verb. in scalis Sancti Petronij num. 3. Latius idem Pereg. eodem tract. cap. 4. num. 18. & seq. Ital. cap. 6. §. 2. numer. 61. Correa d. p. 2. num. 16. & 17. & sic decisum apud Ricc. in Praxi var. resol. in Resolut. 429. etiam si Ecclesiam clausam inuenissent, & manu ianuam appræhendissent, non possunt euelli absq; violatione immunitatis, Couar. loco citato nu. 18. Foller. in pract. crim. in verb. notatos numer. 6. ratio est, quia si immunitas extenditur per quadraginta passus circam matricem Ecclesiam, & per triginta circum alias, cap. sicut antiquitùs 17. q. 4. & cap. diffiniuit ead. quæst. & caus. tanto magis debet extendi ad loca prædicta, Peregr. eodem loco num. 31. & 32. Ital. in d. cap. 4. §. 6. Castil. dec. Sicil. 156. num. 28. Farinac. ibidem num. 285. & in materia immunitatis Ecclesiasticæ, est notandum quòd passus constat ex quinq; pedibus, & pes ex quindecim digitis, quorum passuum mille faciunt vnum milliare, lib. 3. & l. mille passus, ff. de verb. signif. Bart. in l. in itinere ff. eod. Alex. cons. 145. num. 7. Ias. in §. rursus, num. 58. Instit. de act. Sed hodie quoad dictos quadraginta, & triginta passus circum Ecclesiam non

est

est in vsu, Clar. quæst. 30. num. 2. Nauar. cap. 25. num. 8. licet Decian. distinguat intra Ecclesias extra muros Ciuitatis, situatas, & eas quæ sunt intra muros, & tenet prædicta intelligi de Ecclesijs, quæ sunt intra muros, quòd non habeant hoc priuilegium dictorum passuum secus de his, quæ sunt extra muros, quæ habent hanc immunitatem, quam distinctionem improbat Farinac. dict. quæst. 28. n. 12. vbi dicit hoc esse intelligendum, vbi adesset consuetudo in contrarium, de qua appareret non per dicta Doctorum, quia Doctori attestanti de consuetudine non creditur, nisi in illo loco, vbi versatus fuit Anton. Gabriel. commun. opin. tit. de probat. conclus. 4. numer. 3. Alex. Ambros. in comment. super dicta Constitut. Gregorij cap. 10. num. 4.

32 Vltimò quæro, qui sint effectus huius immunitatis Ecclesiasticæ? Resp. quòd de iure per cap. id constituimus, & cap. reum 17. qu. 4. confugientes ad loca sacra sunt securi ab omni genere pęnarum, quia Iudex nec pœnam aliquam eis dare potest, imò vitam, & membra custodire debet, & ideò Iudex sæcularis, quando ei consignatur confugiens ad Ecclesiam tenetur iurare ad Sancta Dei Euangelia, quòd de morte, & omni genere pœnarum sit securus, vt in dicto cap. constituimus, & dicto cap. inter alia de immunit. Eccles. imò si Iudex Ecclesiasticus viderit, quòd tanta sit seuitia Iudicis sęcularis, & quòd non sit ei confidendum de illius iuramento, etiam maior cautio, quàm iuratoria est per eum exigenda arg. cap. literas de restit. spoliat. secundum Innocent. in dicto cap. inter alia, quæ cautio non est exigenda in casibus exceptis in dicta Constitutione, nam Pontifex mandat Episcopis, quòd absq; irregularitatis nota, aut alterius censuræ ecclesiasticæ incursu reos consignent. Sed cum prędicta notauerim super dicta Constitutione, vt præ manibus illa habeatur, hic inserere censui.

33 Gregorius Episcopus seruus seruorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Cum alias nonnulli prædecessores nostri, & infra. Hac nostra perpetua valitura Constitutione, omnia, & quæcumq; priuilegia, & infra. Ita ad vanam tantum formam reducimus, & moderamur, vt laicis ad Ecclesias, locaq; sacra, & religiosa prædicta confugientibus, si fuerint publici latrones, viarumq; grassatores, qui itinera frequentata, vel publicas stratas obsident, ac viatores ex insidijs aggrediuntur, aut depopulatores agrorum, quiuè homicidia, & mutilationes membrorum in ipsis Ecclesijs, earumuè cœmiterijs committere non verentur, aut qui proditoriè proximum suum occiderint, aut assassini, vel hæresis, aut læsæ maiestatis in personam ipsius

met Principis rei, immunitas Ecclesiastica non suffiagetur, sed vniuersis, & singulis venerabilibus fratribus nostris Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, cęterisq; Ecclesiarum, & Monasteriorum Prelatis tàm sęcularibus, quàm cuiusuis Ordinis regularibus districtè præcipiendo mandamus, & præcipimus, vt laicos in casibus prædictis delinquentes ad eorum Ecclesias, Monasteria, domos, & alia loca supradicta sacra, seù religiosa respectiuè confugientes, & in eis se recipientes, atq; morantes, qui prædicta delicta, eorumuè aliquod iudicio suo commisisse videbuntur, quando à curia sęculari fuerint requisiti, & quilibet eorum fuerit requisitus ministris, & officialibus Curiæ sęcularis absq; irregularitatis nota, aut alicuius censuræ Ecclesiasticæ incursu tradi, & consignari curent, & faciant, & quilibet eorum curet, & faciat. Ne autem Curiæ sęcularis prædictæ ministri facultate illos per se, & propria auctoritate abstraendi, & abducendi sibi olim, vt pręfertur attributa, & per præsentes reuocata, abutantur volumus dictaq; auctoritate decernimus, & declaramus, vt Curia sęcularis, eiusq; Iudices, & Officiales ab Ecclesijs, Monasterijs locisq; sacris prædictis laicum aliquem vt præfertur delinquentem in nullo ex casibus prædictis sine licentia Episcopi, vel eius officialis, & cum interuentu personæ Ecclesiasticæ ab eo auctoritatem habentis, ad quos solos, & non alios Episcopis inferiores, etiam si ordinarij sint, aut nullius Diœcesis, aut Cōseruatores ab hac sede specialitèr, vel generaliter deputati prædictam licentiam dandi facultas pertineat, occurrente autem casu in loco exempto, & nullius Diœcesis, tunc ad Episcoporum viciniorem deuoluatur hæc cognitio, & non ad alios capere, extrahere, aut incarcerare non possint, nisi eo casu, quo ipse Episcopus, & dictæ personæ Ecclesiasticæ requisitæ illos in delictis superius expressis culpabiles tradere, aut capturæ, & carcerationi interuenire, & assistere recusauerint, tuncq; reuerentiæ Ecclesiæ, & locis sacris debitæ memores, prædictos delinquentes minori, quod id fieri cum scandalo, & tumultu extrahere curent, quodq; delinquentes laici prædicti, postquam vt pręfertur ab Ecclesijs, locisq; sacris extracti, & capti fuerint ad carceres Curiæ Ecclesiasticæ reponi, & inibi sub tuto, & firmo carcere, ac opportuna custodia illis, si opus fuerit per Curiam sæcularem data, detineri debeant, nec inde extrahi, Curięq; sæculari prædictæ consignari, nec tradi possint, nisi cognito prius per Episcopum, seù ab eo deputatum, an ipsi verè crimina superius expressa commiserint, tuncq; demùm de mandato Episcopi per Iudicem Ecclesiasticum Curiæ sæculari quacumq; appellatione postposita consignentur. De crimine verò hæresis cogni-

tio

tio ad forum Ecclesiasticum tota pertineat, neq; in ea Curia saecularis se quoquo modo intromittat, sicut etiam prohibemus, ne contra Ecclesiasticas personas seculares, aut cuiusuis, vel militię Sancti Ioannis Hierosolimitani Regulares quoquo modo, etiam vigore praedictorum priuilegiorum, indultorum, aut concessionum, quae omnia ad terminos iuris communis per pręsentes reducimus, procedant, aut se intromittant, illasuè ab Ecclesijs, Monasterijs, Domibus, locisq; Sacris, aut Religiosis, ac etiam in casibus in hac Constitutione expressis extrahere, abducere, capere, carcerare, aut cognoscere de criminibus ad Forum Ecclesiasticum pertinentibus, alias quàm de iure communi, & per Priuilegia eisdem Ordinibus, aut Militijs concessa permittitur, quomodolibet praesumant. Quòd si quis quacumq; dignitate, & auctoritate praeditus praemissorum, aut alio quouis praetextu quicquam pręter, aut contra huius nostrae Constitutionis tenorem attentare praesumpserit, declaramus eum ipso facto censuras, & pęnas easdem incurrere, quae contra libertatis iuris, & immunitatis Ecclesiasticae violatores per sacros Canones, & Conciliorum generalium, nostrorumq; Praedecessorum Constitutiones sunt promulgatę, sicq; per quoscumq; Iudices Ordinarios, & delegatos, & causarum Palatij Apostolici Auditores, & S.R.E. Cardinales, sublata eis, & cuilibet ipsorum quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate in quauis causa, & instantia iudicari, vel diffiniri debere, necnon irritum decernimus, & inane si secus super his per quoscumq; quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contingerit attentari. Non obstantibus pręmissis, tàm Sixti, & Pij V. quàm aliorum quorumcumq; praedecessorum nostrorum literis Apostolicis, priuilegijs, indultis, & facultatibus quibusuis personis, &c. Datum Romae in Monte Quirinali anno Incarnationis Dominicae Millesimo Quingentesimo nonagesimo primo. Nono Kalend. Iunij Pontificatus Nostri anno primo. Publicata Romae die 28. Maij 1591. Inditione quarta, quàm etiam posuit per ex tensum Peregrin. in d. tract. c. 16. post Genuens. in Prax. Archiep. Neap. cap. 21. in fine.

CAPVT IV.

De ingressu mulierum intra septa Monasteriorum, & aliqua de Monialibus.

SVMMARIVM.

1 *Mulieribus non licet ingredi Monasteria Regularium.*
2 *Mulieres ingredientes Monasteria Regularium sunt excommunicatae.*

3 Supe-

3 *Superiores Regularium introducentes mulieres in eorum Monasteria, qua pœna sunt puniendi.*
4 *Mulieres pauperes ob ingressum ad Monasteria à quo possint absolui.*
5 *Declaratio Pij V. circa ingressum Mulierum ad Monasteria.*
6 *Mulieres non habentes licentiam à Sede Apostolica ingrediendi Monasteria etiam comprehenduntur in Bulla Pij V.*
7 *Mulieres quando, & quomodo possint ingredi Monasteria Regularium.*
8 *Regulares ob ingressum in Monasteria Monialium excommunicati possunt absolui ab Episc. qui suo edicto talem pœnam imposuit.*
9 *Mulieres quando non incidant in excommunicationem ob ingressum in Monasteria.*
10 *Paulus V. fecit Constitutionem similem illi Pij V. reuocando licentias concessas mulieribus ingrediendi Monasteria Monialium.*
11 *Moniales non possunt exire à Monasterio, nisi in certis casibus.*
12 *Pœnæ Prælatorum ingredientium Monasteria Monialium.*
13 *Numerus Monialium est præfigendus in quolibet Monasterio.*
14 *Abbatissa debet eligi per vota secreta, & quæ habeat quadraginta annos.*
15 *Bona donata Monialibus, & quæsita ab eis sunt Monasterij.*
16 *Conditiones seruandę à Puellis introducendis in Monasteria educationis causa.*
17 *Abbatissę, & Moniales ab Episcopo, & similitèr Abb. sunt benedicendi.*
18 *Monasteria dum ædificantur an dicantur habere clausuram, vt mulieres intrantes incurrant excommunicationem.*

1 NOn licet mulieribus ingredi septa Monasteriorum, Conuentuum, & locorum Regularium vtriusq; sexus, est enim prohibitum sub pœna excommunicationis latæ sententiæ per Constitutionem Pij Quinti, quæ incipit *Regularium personarum* anno 1566. eius Pontificatus primo, & per aliam Gregorij XIII. quæ incipit: *Vbi*
2 *gratiæ* 1575. anno sui Pontificatus quarto, in quibus Constitutionibus prohibetur sub pœna excommunicationis ipso facto incurrenda mulieribus intra septa Monasteriorum Regularium ingredi præsumentibus, ipsasq; intreducentibus, à qua excommunicatione à nemine præterquam in mortis articulo absolui possit, statuerunt, ac etiam strictè præcipierunt sub eadem excommunicationis pœna omnibus Superioribus Monasteriorum vtriusq; sexus, nec non priuationis Dignitatis, beneficiorum, & officiorum suorum, & inhabilitatis ad illa, & ad alia in posterum obtinenda, nè in Monasteria, domos, & loca sua quamquam ingredi faciant, & permittant. Et similiter per Concilium Trident. sess. 25. cap. 5. de reformat. statutum est nemini licere ingredi intra septa Monasteriorum cuiuscumq;

gene-

generis, aut conditionis, sexus, vel ętatis sint sine Episcopi licentia in scriptis obtenta sub excommunicationis pęna ipso facto incurrenda, per quod decretum Concilij fuit innouatum cap. periculoso de stat. Regul. lib.6. Ex quibus verbis Concilij, & dicti cap. periculoso, Nauar. in cap. statuimus 19. q.3. num.59. comment.4. colligit, quod est vetitus, etiam ingressus fœminarum, puellorum, & puellarum, per illud verbum vniuersale, Nulli, in dicto cap. periculoso, & per illa verba Concilij cuiuscumq; ætatis, & sexus, quamuis censeat limitandum esse, vt non procedat in infantibus discretione adhuc carentibus, arg. l.1. C. de fals. monet. & cap. omnis de pęnit. & remission. & l. illud. ff. de iureiur. & cap. illud 15. q.1. In fatuis autem puberibus non videtur idem dicendum, quia licet non possint peccare, possunt tamen alios ad peccandum incitare, tumultos facere, & alia damnosa importare.

Sed notandum est, quòd quamuis dictæ Constitutiones Pontificiæ loquantur de ingredientibus Monasteria virtute facultatum, & licentiarum a Sede Apostolica concessarum, quæ sunt per dictos Pontifices reuocatæ, tamen dictus Pius V. declarauit mentem suam fuisse includi ingredientes, etiam sine licentia prædicta, vt testatur Nauar. in Manual. cap.27. num.150. vers. sexagesima prima, & patet ex infrascripta declaratione, & attestatione, & ita seruat Sacra Pęnitentiaria, & propterea mulieres ingredientes septa Monasteriorum

4 Regularium sunt excommunicatæ, & à Summo Pontifice absoluendæ, Nauar. cons.46. de sent. excommunic. nisi essent pauperes, & non solitę mendicare, quia excusantur ob impedimentum paupertatis accedere ad Vrbem, & eo casu possunt absolui ab Episcopo arg. cap. quod ab his, & cap. quamuis de sent. excom. & cap. eos eod. tit. lib.6. Nauar. cons.45. de sent. excommunic.

Declaratio mentis Pij Quinti facta Cardinali Alexandro Cribello nuncupato, vt sequitur videlicet.

5 Nos Alexander miseratione Diuina Tit. S. Ioannis ante Portam Latinam Presbyter Cardinalis Cribellus nuncupatus. Omnibus, & singulis præsentes nostras literas inspecturis, lecturis, & audituris fidem facimus indubiam, & in verbo veritatis attestamur qualiter Sanctissimus in Christo Pater, & Dominus noster D. Pius Diuina prouidentia Papa V. viuę vocis oraculo nobis facto dixit, & declarauit fuisse, & esse mentem, & intentionem suam, quòd literę in forma Breuis sub die 24. Octobris 1566. Pontif. sui anno primo editę, in quibus mulieribus quibuscunq; Monasteriorum Regularium ingressus cum derogatorijs, & irritantibus decretis prohibetur, non

solùm

ſolùm comprehenderent mulieres habentes, & habere prętendentes facultatem, & indulta ingrediendi huiuſmodi Monaſteria, ſed etiam omnes, & quaſcunque mulieres alias tam in genere, quam in ſpecie,
6 Significans nihilominus idem Sanctiſſimus D. N. eodem viuæ vocis oraculo nobis facto, quòd propter hoc, & per dictas ſuas literas non intellexit, nec intelligit, quod mulieribus præcludatur additus acce-
7 dendi ad Monaſteria, & loca Regularium, ac eorum clauſuras quando in eis Miſſæ, & alia diuina officia celebrantur, nec quando proceſſiones fiunt, & quando Chriſti fidelium cadauera ibi ſepeliuntur, ac etiam pro eis ſuffragia fiunt, ſed libere conceſſit, & concedit eiſdem omnibus facultatem, vt ad illa loca, in quibus dicta pia opera exercentur, & cum alijs Catholicis perſonis accedere libere, & licitè poſſint, valeant, & ſimiliter quando diuinum verbum in Eccleſiam Monaſteriorum, & Regularium locorum huiuſmodi proponitur, vel propter aliam quamcumq; cauſam eſt tantus concurſus populi, quòd cõmodè ingredi non poſſint, & egredi per portam principalem Eccleſiæ conceſſit, & concedit eodem viuæ vocis oraculo, vt dictæ mulieres vna cum alijs perſonis poſſint ingredi, & egredi per portam Clauſtri Monaſteriorum, & Regularium locorum huiuſmodi, dummodò recto tramite accedant ad portam, qua exitur à Monaſterio. Non obſtantibus priuilegijs, & literis Apoſtolicis, ac quibuſcumq; in contrarium facientibus. In quorum omnium, & ſingulorum fidem, & teſtimonium præmiſſorum præſentes noſtras literas exinde fieri fecimus, illaſque manu propria ſubſcripſimus, ſigillique noſtri, quo in talibus vtimur impreſſione communiuimus. Datum Romæ in Palatio Apoſtolico in ædibus noſtræ ſolitæ reſidentiæ ſub anno à Natiuitate Domini 1568. indictione vndecima die vero 27. menſis Ianuarij Pontificatus prælibati Sanctiſſimi D. N. Pij Papæ V. anno tertio. Alexander Cribellus. Robertus Fontanus. Loco † Sigilli.

Sed hodie credo, quod ceſſat ſupradicta declaratio mentis Pij V. Sanctæ memor. ex decreto infraſcripto Congregationis nouiter edito tenoris ſequentis.

Illuſtriſſimis, & Reuerendiſſimis Dominis Cardinalibus Cõgregationis Sacrorum Rituum pro Reuerendiſſimo Domino Epiſcopo Orioleñ.

Orioleñ.

Illuſtriſſimi, & Reuerendiſſimi DD. Archidiaconus Orioleñ exponit DD. VV. Illuſtriſſimis, & Reuerendiſſimis qualiter in Ciuitate Orioleñ vſu, ſeù forſan etiam conſuetudine immemorabili introductum eſt in aliquibus Monaſterijs Regularium, ſcientibus, & non

contra-

contradicentibus Episcopis pro tempore, vt annuatim faciant suas processiones, tàm solemnes Rogationum, Candelarum, Palmarum, de Sanctissimo Sacramento, ac alias, quàm priuatas de Cruce tempore Passionis, de Rosario, de Carmine, de Cingulo Sancti Francisci, de Corrigia, Sancti Augustini cum similibus singulis mensibus per claustra dictorum Monasteriorum, comitantibus vndiq; deuotionis, & Religionis causa vtriusq; sexus fidelibus, quòd cum videatur contrarium constitutionibus sanctæ mem. Pij V. & Gregorij XIII. quibus præcluditur aditus mulieribus accedendi ad claustra Regularium. Ideò orator supplicat declarari. An hoc iure liceat.

Sacra Rituum Congregatio respondit, non licere mulieribus comitari processiones per claustra Monasteriorum Regularium, nisi adsit in hoc expressa licentia Sedis Apostolicæ. Die 30. Septembris 1628. F. Fuluius Benig. Secretarius. Vnde hodie stante dicto decreto non licet mulieribus ingredi claustra Monasteriorum comitando processiones, absq; expressa licentia Sedis Apostolicæ.

8 Est etiam notandum, quod Regulares ingredientes Monasteria Monialium absque licentia Episcopi incidunt in excommunicationem, quam Episcoups suo edicto proposuit, nisi Regulares ipsi haberent priuilegium, vt non possent excommunicari, quia tunc deberent puniri à suis Superioribus alia pœna, quia Regulares ob ingressum ad Monasteria excommunicati non possunt absolui à suis Superioribus, sed ab Episcopo, qui sibi hanc absolutionem reseruauit, ita sacram Congregationem Concilij Trident. interpretem respondisse die 9. Aprilis 1587. refert F. Hieronymus à Sorbo Capuccinus in Compendio Priuilegiorum Regularium in verb. Accedere ad Monasteria Monialium.

9 Veruntamen excluduntur ab istis pęnis, & censuris mulieres illæ, quæ absque dolo, malitia, & præsumptione ingrediuntur septa Monasteriorum, sed ignoranter, & animi simplicitate inductæ, & hoc per illud verbum, *Audeant*, seu præsumant appositum in dictis Constitutionibus Pij V. & Gregorij XIII. nam verbum audeant, vel præsumant arguit dolum, & temeritatem contrafacientis, cap. 1. & cap. Monasteria de vit. & honest. Cler. cap. fin. ne prælat. vic. suas, cap. fin. de excess. prælat. auth. statuimus C. de Episcop. & Cleric. Cardinal. ab omnibus receptus in clem. 1. quæst. 38. de priuileg. Nauar. in repetit. cap. statuimus 19. q. 3. num. 62. ideò si inaduertenter, & ignoranter ingrediuntur in Monasteria Regularium non incidunt in excommunicationem, sicut dicimus de illo, qui sepelit hæreticum in loco sacro, qui est excommunicatus cap. quicumq; de hæret. lib. 6. &

tamen

tamen si simpliciter ex ignorantia ductus sepelit, non est excommunicatus, quia tex. in dicto cap. quicumq; excommunicat præsumentem sepelire, & sic per dolum, malitiam, & præsumptionem, similiter si quis confessarius non ex præsumptione, & temeritate, sed ex ignorantia non crassa, obliuione, & inaduertentia absolueret à casibus Bullæ Cœnæ Domini non incidit in excommunicationem, Nauar. in Manual. cap. 27. num. 73. vers. Declaratio prima, Alphons. Viual. in candelabr. aur. super expositione prædictæ Bullæ Cœnæ num. 138. Sayr. de censur. lib. 3. cap. 25. num. 8. Item excommunicationes contentæ in dicta Bulla Cœnæ Domini neminem excusant sub prætextu ignorantiæ, cùm publicentur semel in anno, & tamen excusant mulieres, & rusticos, quos constat semper iuris ignorantiam excusare, nisi publicatio fieret in illis locis, vbi dictæ personæ degunt, Syluest. in verb. ignorantia nu. 6. Grass. in decis. aur. cas. conscient. lib. 4. cap. 9. num. 28. Item excluduntur ab istis censuris illi qui mulierem aliquam intra Monasterium aliquo bono fine introducerent, & absconderent per eandem rationem, quia non ausu temerario, & ex præsumptione faciunt, sed cogitantes id sibi licere, benè verum est, quod possunt puniri alia salutari pęnitentia, Frat. Hieronym. à Sorb. Capuccin. in Compend. priuileg. Regular. in verb. Ingredi Monasteria Monialium.

10 Nouissimè verò Paulus Quintus per suam Constitutionem similem illi Pij Quinti, quæ incipit: *Monialium statui*, sub annulo Piscatoris die decimo Iulij 1612. Pontificatus anno octauo reuocauit, cassauit, & irritas fecit omnes, & singulas licentias ingrediendi Monasteria mulieribus cuiuscunque status, gradus, & conditionis existentibus, etiam Marchionali, & Ducali dignitate fulgentibus, tam à Sanctitate Sua, quàm à suis prædecessoribus ad tempus, vel in perpetuum concessas, inhibentes mulieribus prædictis licentiam huiusmodi habentibus sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, a qua nisi à Romano Pontifice præterquam in mortis articulo absolui possint, ne Monasteria Monialium prætextu licentiarum huiusmodi ingredi audeant, seu præsumant, ipsorum autem Monasteriorum Abbatissis, seu Priorissis, ac Superioribus sub eadem pœna, ac priuatione suorum officiorum, quæ obtinent, & inhabilitatis ad illa in posterum obtinenda ipso facto sine alia declaratione incurrendis pœnis, ne eas introducere, seu admittere, vel admissas quoquo modo retinere audeant, & præsumant.

11 Quo verò ad clausuram Monialium, illa perpetuò seruanda est Concil. Trid. sess. 25. cap. 5. de regular. vbi innouatur cap. 1. de regul. lib. 6.

lib.5. ità quòd nemini Monialium licitum est post professionem emissam à Monasterio exire, etiam ad breue tempus, quocunq; prætextu, nisi ex legitima causa ab Episcopo approbanda per Constitutionem Pij Quinti, quæ incipit, *Decori, & honestati*, editam Kalend. Februarij 1569. in qua exprimuntur causæ, quibus licet ipsis Monialibus egredi à Monasterio, vbi dicit. Vnde nos malo huic pro nostro pastoralis officij debito salubriter occurrere volentes, inhærentes etiam decreto Sacri Concilij Trident. de clausura Monialium disponenti, ac alijs nostris huiusmodi clausura literis adijcientes, volumus, sancimus, & ordinamus nulli Abbatissarum, Priorissarum, aliarumue Monialium cuiuscunque Ordinis, etiam Carthusiensiam, Cisterciensium, Sancti Benedicti, & Mendicantium, & quorumcunque aliorum Ordinum, etiam Militarum, ac statuum, graduum, conditionum, dignitatum, ac præeminentiarum existentium, etiam Regia, vel Illustri prosapia ortarum de cætero, etiam infirmitatis, seu aliorum Monasteriorum, etiam subiectorum, aut domorum parentum, aliorumuè consanguineorum visitandorum, aliauè occasione, ac prætextu, nisi ex causa magni incendij, vel infirmitatis lepræ, aut epidemiæ, quæ tamen infirmitas præter alios ordinum Superiores, quibus cura Monasteriorum incumberet, etiam per Episcopum, seu aliũ loci ordinarium, etiam si prædicta Monasteria, ab Episcoporum, & Ordinariorum iurisdictione exempta esse reperiantur cognita, & expresse in scriptis approbata sit à Monasterijs præfatis exire, sed nec in prædictis casibus extra illa, nisi ad necessarium tempus stare licere, alitèr quam, vt præfertur egredientes, seu licentiam, exeundi quomodocunque concedentes, necnon committentes, ac illarum receptatrices personas, siuè laicas, aut sęculares, aut Ecclesiasticas, consanguineas, vel non, excommunicationis maioris latæ sententiæ vinculo statim eo ipso absque alia declaratione subijacere, à quo pręterquam à Romano Pontifice, nisi in mortis articulo absolui nequeant, & insuper tam egressas; quam Præsidentes, & alios superiores prædictos eis licentiam huiusmodi concedentes dignitatibus, officijs, & administrationibus per eas, & eos tunc obtentis priuamus, & illas, & illos obtenta, & alia in posterum obtinenda inhabiles, & cæter. ex qua Constitutione elicitur, quòd non solùm Moniales nõ possint exire à Monasterio, sed nec Episcopi, & alij Superiores possunt concedere licentiam exeundi, nisi in casibus prædictis expressis in eadem Constitutione, & de hoc satis per Scortiam Theorem. 227. & 228.

An verò liceat Monialibus exire à Monasterio ob alias causas prêter iam dictas? vide Nauarr. in Comment. 4. de Regular. numer. 48.

& in

& in cap. ſtatuimus 19. qu. 3. num. 49. & in conſ. 70. num. 6. qui reſoluit eſſe licitum in caſibus ſimilibus, verbi gratia in caſu hoſtium inuadentium Monaſterium, in caſu ruinæ domus, & aliorum ſimilium incendio, & in alijs infirmitatibus contagioſis nociuis communitati Monialium, & in dicto cap. ſtatuimus num. 4. extendit dictam Conſtitutionem Pij ad infirmitatem ſoli Moniali nociuam, cui exeundo à Monaſterio rimedium adhibetur, ſi aliàs periculum vitæ, aut grauis, & diuturnæ infirmitatis probabiliter timetur, & ratio ſecundum ipſum Nauarr. in conſ. 5. numer. 4. de ſtat. Monachor. eſt quia caſus exceptus à regula ob aliquam æquitatem poteſt extendi ad alios ob ſimilem æquitatem cap. dilecta de confirmat. vtil. vel inutil. & ibi per multa tradita per Dec. Verum tamen additio in fine dicti Conſil. Nauarri 70. dicit hæc verba Aduertendum eſt pro eo, quòd de Monialibus dicitur vltra Sacrum Concilium adeſſe Bullam Pij V. quæ cauſas exeundi ad certas inibi expreſſas reſtrinxit, ferturq; Sacram Congregationem cenſuiſſe vltra illas cauſas non dari extenſionem, ſed vltra prædictos caſus ſcilicet magni incendij, vel infirmitatis lepræ, vel epidimiæ recurrendum eſt ad Sedem Apoſtolicam, infirmitatis cauſa prius per Epiſcopum, vel alium Ordinarium cognita, & in ſcriptis approbata, Ricc. in prax. deciſ. 645. Fuſch. de viſitat. Eccleſ. lib. 2. cap. 18. num. 17. Et an poſſint Moniales authoritate Epiſcopi tranſire de vno Monaſterio ad aliud cauſa correctionis, vel nouæ ædificationis Monaſterij? Nauar. affirmat conſ. 5. num. 6. de ſtat. Monachor. ſed refertur Sacram Congregationem cenſuiſſe recurrendum eſſe ad Sedem Apoſtolicam pro huiuſmodi licentia obtinenda.

12 Epiſcopi autem, & alij Prælati aduertere debent, quòd Gregorius XIII. per aliam Conſtitutionem, quæ incipit, Dubijs quæ ſub die 23. Decembris anno eius Pontificatus decimo declarauit, quòd Prælati Monaſteriorum Monialium in caſibus tantummodò neceſſarijs ea ingredi valeant, & tunc à paucis, iiſdemq; ſenioribus, & religioſis comitati, & ſi Epiſcopi contrafecerint, prima vice ingreſſu Eccleſiæ ſint priuati, ſecunda à munere Pontificali ſint ſuſpenſi, & deinceps ipſo facto excommunicati. Regulares verò omni officio, ac beneficio priuati excommunicationem incurrant. Nauar. in Manual. cap. 27. num. 150.

13 Determinare autem, numerum Monialium, vltra quem plures ad Monaſterium recipi non poſſe iuxta Concilium Trident. ſeſs. 25. c. 3. de reformat. Regul. pertinet ad Epiſcopum in quibuſuis Monaſterijs etiam Regularibus ſubiectis ex Conſtitutione Gregorij XIII. quæ

incipit

incipit, *Deo sacris* anno 1573. & de recipiendis vltra numerum præfixum Sacra Congregatio Regularium ordinauit his verbis: Quemadmodum Sacri olim Canones, & nouissimè Sacrum, & generale Concilium Trident. Summa ratione decreuit, vt in Monasterijs, & Domibus tàm virorum, quàm mulierum bona immobilia possidentibus, vel non possidentibus, is tantum numerus constituatur, ac in posterum conseruetur, qui ex redditibus proprijs Monasteriorum, vel ex consuetis eleemosinis commodè possit sustentari, ita quoq; sacra Congregatio S.R.E. Cardinalium, quæ negotijs, ac consultationibus Episcoporum, & Regularium præest, cui antiquius nihil quàm salutaria huiusmodi decreta debitæ exequutioni demandari curare sępius locorum Ordinarijs rescripsit, vt certum numerum in singulis Monasterijs Monialium iuxta cuiusq; Monasterij facultates præscriberent, & si quæ supra statutum numerum reciperentur, duplicem eleemosynam afferre, & supranumerarium locum tenere deberent. Verum quia in dubium plerumq; venit, num supranumerariæ prædictæ aliquibus ex numero in quolibet Monasterio definito decedentibus, in earum locum subrogari possent, aut deberent. Eadem Sacra Congregatio, quę peculiariter super re sæpenumerò rescripsit, prouidere volens, ne quis deinceps dubitationis locus relinquatur, huius generalis decreti tenore statuit, & declarat, Moniales, quæ supra numerum in quolibet Monasterio constitutum recipiuntur, in locum Monialium decidentium intra numerum nequaquam subrogari, neq; impedimento esse, quin aliæ in locum earundem ex numero mortuarum possint admitti, quinimo easdem sic supra numerum receptas supranumerarias semper ad hoc remanere, etiam si in cæteris ab alijs nihil differant, sed illis omnibus pares, & æquales iuxta cuiusq; Monasterij institutum esse debeant. Declarat insuper eadem Sacra Congregatio duplicis eleemosinæ nomine intelligi semper debere duplicatam summam eius, quæ in receptione cuiusq; Monialis intra numerum in quolibet Monasterio constitutum erogari pro tempore consueuerit, ita tamen vbi summa, quæ confertur, minor est scutis ducentis, ibi saltem ratione duplicatæ eleemosinæ, soluenda sint scuta quadraginta.

Eadem quoq; Sacra Congregatio districtè prohibet ne loca per obitum Monialium intra numerum decedentium pro tempore vacatura, cuiquam puellæ ad habitum regularem recipiendæ concedantur, neq; permittantur, nisi sequuta vera, & reali vacatione, atq; ita demum, & non antea de eis disponi, ac in Monialis demortuæ locum promissionem, ac receptionem in Capitulo, seù quouis alio mo-

do fieri iubet, dummodò tunc temporis puella ipsa recipienda, & ætatem habeat idoneam, & cæteras qualitates requisitas, quibus etiam præditas esse debere vult eas puellas, quæ supra numerum recipiendæ sunt, iam tunc cum eis loca, vel promittuntur, vel dantur. Si quid verò contra à quoquam fieri contingerit irritum, & inane, ac nullius roboris, & momenti fore, & esse decernit. Ac nihilominus Abbatissas, Priorissas, & alios quoscumque Superiores, qui cuiusuis puellæ receptioni, vel admissioni, aut locorum vacaturorum promissioni, seù concessioni aduersus præsentis decreti dispositionem consenserint, priuationi vocis actiuę, & passiuę alijsq; arbitrio eiusdem Congregationis infligendis pęnis obstrictos, & obnoxios fore declarat, saluis etiam semper, & in suo robore permanentibus alijs quibuscumq; ipsius Congregationis decretis aliàs latis præsenti decreto nō contrarijs, præsertim circa Monialium admissionem, & receptionem ad habitum, & professionem, & circa eleemosinarum dispositionem, solutionem, & erogationem in loco stabilia, quibus nullatenus derogare vult, & intendit. Romæ die 6. Septembris 1604. Alex. Cardin. Florent.

14 Item est notandum, quod Abbatissæ debent eligi per vota secreta Concil. Trid. sess. 25. c. 6. de reformat. Regul. neq; possunt ad vitam esse: sed per triennium tantum, & postea debent abstinere per triennium à die finitæ administrationis, quo elapso seruata forma eiusdem Concilij iterum, & pluries eligi possunt per Constitutionem Gregorij XIII. Romæ publicatam die 4. Ianuarij 1583. quæ incipit; *Exposcit debitum*, quæ in fine sic ait: Districtius inhibentes omnibus, & singulis dictorum Monasteriorum Conuentibus Superioribus, & personis aliquam Abbatissam, aut aliam Præfectam perpetuam, seù ad vitam, sed triennalem tantùm eligere, & præficere vllo modo audeant, vel præsumant, quòd si secus à quoquam quauis authoritate fuerit attentatum electionem, & pręfectionem huiusmodi, ac omnia, & singula, quæ inde sequentur irrita, nulla, & inania, nulliusq; roboris, & momenti fore, &c. Quam Constitutionem refert Quaranta in Sum. Bullar. in verb. Abbatissa, & licet Abbatissa de iure esse debeat annorum triginta, vt in cap. indemnitati de elect. l. 6. Dec. in cap. cū in cunctis num. 49. de elect. tamen hodie per Sacrum Conc. Trident. sess. 25. c. 7. de regular. necesse est, vt Abbatissa, Priorissa, vel Pręposita nō eligatur minor annis quadraginta, quę octo quidem annis post expressam professionem laudabiliter vixerit, nec potest eligi in Abbatissam, quæ non est professa expresse Conc. Trident. loco citato, atq; seruata etiam forma tradita per idem Concil. sess. 25. c. 15. & 17.

aliàs

aliàs professio esset nulla. Nec Abbatissa potest donare aliquid de bonis Monasterij cap.statuimus 12.q.2. Vinc.de Ann.alleg.1t.51.quia
15 bona immobilia, & mobilia, statim quòd reperiũtur acquisita à Monialibus, non licet illis illa tenere, & possidere tanquam propria, etiã nomine Monasterij, sed illicò traduntur Abbatissæ, & Conuentui incorporantur, Concil. Trident. sess.25.c.2.de regul.& refert Nauar. in Comment.2. de regul. n. 18. quòd Sacra Congregatio Cardinal. censuit, quòd Regulares, tàm fœminæ, quam masculi non possint retinere propria, sed omnia dare debent suis Superioribus, à quibus primò subueniendum est necessitatibus earum, vel eorum, quibus destinata fuerunt, itaq; non licet Monialibus possidere propria: sed si quid legatum, relictum, aut datum, donatumuè fuerit, vel earum labore, vel industria partũ, tradi debet Abbatissæ in vsum Monasterij. Quatenus autem diximus, quod Abbatissa non potest donare aliquid de bonis Monasterij, sciendum est, quod hodie extat quędam Constitutio Clementis Octaui publicata Romæ die 20. Iunij 1594. quæ incipit, *Religiosæ Congregationes*, quam ad verbum ponit Quarant. in Sum. Bullarij in verb. Munerum largitio, & Sorb. in Compend. Priuileg. Mendicant. in verb. Dare, quem vide pro declaratione dictæ Constitutionis, in qua Summus Pontifex interdicit vniuersis, & singulis cuiuscumq; Ordinis Mendicantium, & non Mendicantium Regularibus personis vtriusq; sexus, omnẽ, & quamcumq; largitionem, & missionem munerum, prętterquam leuiora esculenta, aut poculenta, seu ad deuotionem, vel Religionem pertinentia munuscula, communi tamen, nunquam verò particulari nomine (vbi Superiori, de consensu Conuentus videbitur) reddenda, & transgressorem omnibus, & singulis per eum obtentis dignitatibus, gradibus, muneribus, & officijs priuatum eo ipso, ac ad illa, & ad alia similia, & dissimilia in futurum obtinenda inhabilem perpetuò, & incapacem, ac perpetua infamia, & ignominia esse notatum, voluit, & decreuit.

16 Puellæ autem introducendæ in Monasterijs Monialium causa educationis debent habere has conditiones. Primò, quòd Monasterium consueuerit recipere huiusmodi puellas. Secundò, quòd Superior concedat licentiam in scriptis. Tertiò, quòd accedat consensus Monialium, qui consensus exquiratur capitulariter, & per vota secreta. Quartò, quòd tales puellæ eo vestitu vtantur, qui virginali decori, & modestiæ conueniat. Quintò, quòd nullam famulam secum ducere permittatur. Sextò, quòd non sint minores septennio, nec maiores vigintiquinque annis. Septimò, quòd in Monasterio adsit locus commodus, distinctus, & separatus ab habitatione Monialium.

Octauò, quòd puellæ præstent idoneam cautionem de soluendo alimenta solita, & anticipata pro quolibet mense pro rata. Nonò, quòd si semel exierint, non amplius recipiantur, nisi exierint causa infirmitatis curandæ, & cum licentia, Fusch. de visit. Eccles. lib. 2. c. 18. n. 28. Quarant. in Sum. Bullar. in verb. Monasteria Monialium.

17 Et notandum est, quòd Episcopus benedicit Abbates, Abbatissas, & Moniales, & dat illis velum consecrationis, vt probat tex. in cap. 1. de suppl. neglig. Prælat. vbi Abb. & alij, cap. 1. vbi Innoc. & alij de temp. ordin. Abb. in cap. quanto nu. 3. de consuet. glos. in §. confici in verb. Ordinis Inst. Canon. Lancilot. de Eccles. construct. Sbroz. de Vicar. Episcop. lib. 2. quæst. 8. nu. 1. Nauar. cons. 2. de Sacram. non iteran. nihilque pro hac benedictione recipere debet, alias committit simoniam cap. sicut certa de simon. Barbos. part. 2. allegat. 27. numer. 51.

18 Et aduertendum, & notandum est, quod Illustrissimus Cardinalis Alexandrinus nomine aliorum Cardinalium Congregationis Regularium scripsit Prælatis Capuccinorum anno 1584. his verbis: Monasteria, seù loca, quæ sunt in fieri, vel dum fabricantur, in quibus adhuc Conuentus ad ibi morandum non fuerit introductus, sed solum ibi aliqui habitauerint fratres pro fabricæ potius seruitio, quàm aliter, in eis clausuram vllam esse talem, vt si mulieres intrarent, pęnas propterea in supradicto Motu contentas incurreretur. Idemque est dicendum de domibus, seù infirmarijs in Ciuitate positis, cum nec Ecclesiam, nec Conuentum habeant, & ita testatur Fr. Hieronymus Capuccin. in Compend. priuileg. Conuentual. in ver. Ingredi Monasteria Monialium num. 11.

CAPVT V.

De Festis, & eorum obseruantia.

SVMMARIVM.

1 *Festa pro sanctificatione nominis Dei introducta sunt.*
2 *Festorum obseruatio est inchoatio beatæ vitæ.*
3 *Causæ, quæ excusant non obseruando festa.*
4 *Opera seruilia ordinata ad cultum Diuinum fieri possunt diebus festiuis.*
5 *Necessitas excusat non obseruando festa.*
6 *Operæ, quæ per se sunt pietatis excusant, non obseruando festa, non quæ per accidens.*

7 Damnum

7 *Damnum temporale imminens excusat ab obseruatione festorum.*
8 *Occasio magni lucri, quod alio tempore haberi non potest, excusat non obseruando festa.*
9 *Consuetudo præscripta excusat non obseruando festa.*
10 *Festa omnia etiam dies Dominici, sunt de iure positiuo.*
11 *Episcopus an possit statuere festa sine consensu Capituli, & populi.*
12 *Festa, quæ seruantur in Diœcesi, etiam ab exemptis, & Regularibus sunt seruanda.*
13 *Laborantes ob necessitatem non incidunt in excommunicationem emanatam ab Episcopo.*
14 *Notarij an possint stipulare instrumenta diebus festiuis.*
15 *Carcerari nemo potest diebus festiuis, nisi in certis casibus.*
16 *Obligatio penes acta stipulata diebus festiuis an valeat.*
17 *Decretum Sacræ Congregationis pro obseruantia festorum.*
18 *Decretum Sacræ Congregationis pro obseruantia festorum tempore nundinarum.*
19 *Regulares tenentur obseruare ritus eorum Religionum, quo ad celebranda diuina officia, & missas diebus festiuis.*
20 *Regulares quoad conciones debent se confirmare Euangelijs, & Epistolis, quibus clerus secularis vtitur.*

1 CVm festa pro sanctificatione nominis Dei introducta sint, ea maxima veneratione, & deuotione colere debemus, cap. 1. de fer. & cap. 1. de consecrat. dist. 3. & vt fiat deuota, & religiosa obseruatio festorum, ex decreto Concilij Trident. sess. 25. de delect. cib. & ieiun. & dieb. fest. ea obseruare debemus, quæ faciunt ad pieta-
2 tem augendam; obseruatio enim festorum est quædam inchoatio beatæ vitæ, quam expectamus, in qua erit assidua Dei laudatio, & in quibus Christianus magis debet memorare peccata, conteri, veniam petere, laudem Deo de beneficijs dare, & in Ecclesijs prolixius orare.

Et notandum est, quòd obseruatio festorum non est adeò strictè præceptiua, vt obseruabatur antiquum illud sabbatum; quia multa nobis diebus Dominicis fieri permittuntur, vt præparare cibos, iter agere, & huiusmodi, quæ in Sabbatis veteris legis nullatenus fieri poterant, S. Thom. 2. 2. q. 122. art. 4. ad 4. communiter receptus, Nauar. in Manual. cap. 13. numer. 2. vbi dicit, quod non præcipitur cultus diuinus interior, qui in meditando Deum consistit: sed tantùm exterior, qui consistit in audienda missa, cap. missas de consecrat. distinct. 1. & in abstinendo ab operibus seruilibus exterioribus,

cap. ieiunia, de consecrat. dist. 3. & prohibentur opera seruilia, quibus homo homini seruit, qualia sunt opera mechanica, & quæ ad agriculturam pertinent, dicitur Leuit. cap. 23. omne opus seruile non
3 facies in eo, & est communis sententia S. Thom. loco citato, Syluest. in verb. Dominica qu. 3. Nauar. num. 3. Hinc sequitur, quod plures sunt causæ, quibus excusantur facientes opera seruilia diebus festiuis, vt per Scortiam Theorem. 220.

4 Prima est, quòd omnia opera seruilia, quæ immediatè per se sunt ordinata ad diuinum cultum, sunt licita in diebus festiuis, vt portare crucem, & imagines Sanctorum in processione, vel sunt præparatoria ad cultum diuinum, vt pulsare campanas, conficere hostias, ornare templa, & alia huiusmodi, Graff. decis. aur. lib. 2. cap. 33.

5 Secunda est, necessitas, quæ vel est corporalis propria ad comparandum victum per quam excusantur pauperes laborantes sine scandalo die festo, vel est necessitas corporalis proximi, ob quam excusantur medici, pharmacopolæ infirmarij, Notarij conficientes testamenta, & alia huiusmodi, vt idem Graff. loco citato nu. 12. 13. 17. & per totum. Item tonsores, qui vni, vel alteri barbam tonderent, secus si multis, quia vt dicit Nauar. in Manual. cap. 13. num. 9. non est peccatum mortale, neq; etiam veniale; Item excusantur vendentes necessaria ad victum, vel vendentes, vt sunt macellarij, & pistores magnarum Vrbium.

6 Tertia causa est, pietas: sed illa opera, quæ per se sunt pietatis, sunt licita, vt seruire infirmis, sepelire mortuos, & huiusmodi: opera verò seruilia, quæ non per se, sed per accidens ad pietatem ordinantur, non sunt licita, nisi concurrat etiam necessitas, Nauar. cap. 13. nu. 4. hinc est, quod arare agros pauperum, & Ecclesiarum, & fabricare, vel ędificare Ecclesias, reficere pontes, & similia ex sola pietate non sunt licita fieri diebus festiuis, nisi vrgeat etiam necessitas, & in hoc est deceptus, Angel. in verb. feriæ, §. 28. & 32. Syluest. in verb. Dominica, §. 7. conclus. 3. nisi iusta intercedat necessitas, vt si Ecclesia esset adeò tenuis, & pauper, quòd rebus necessarijs careret, nec obstat tex. in cap. conquæstus de fer. quia intelligitur de operibus, quæ per se sunt pietatis, Gaet. quæst. 122. art. 4. Nauar. loco citato.

7 Quarta causa est, necessitas propter euitandum damnum imminens temporale proprium, vel alterius, & propterea possunt metere omnes, & vendemiare die festo, qui probabiliter timent periculum iacturæ; similiter qui segeres, vel frumenta in area purgant, ventilant, & conducunt ad ciuitatem, sic etiam excusantur artifices, qui sine graui detrimento non possunt sua opera intermittere, vt qui vitrum fundunt,

fundunt, qui calcem coquunt, & alij: similes similiter qui ferrant equos ad prosequendum iter, vel ad inchoandum, ne perdant societatem, Gaet. in verb. festum, Angel. in verb. feriæ, Syluest. in verb. Dominica, Sot. art. 4. citat. Nauar. cap. 13. n. 6. & nota quòd quando necessitas est certa, hæc possunt fieri sine licentia, in dubio autem petenda est ab ordinario, Tabien. verb. feriæ, §. 46. Angel. eod. §. 35.

8 Quinta est occasio magni lucri, quod alio tempore haberi non potest, vt piscare alices transeuntes, cap. licet de ferijs, dummodo non fiat in solemnioribus festis, & de captura detur portio Ecclesijs vicinis, vel pauperibus, vt ibidem habetur, & eadem ratione excusantur piscantes alios similes pisces, qui solum certo tempore transeunt, vt sunt tumni, & sardæ, Gaet. 2. 2. qu. 122. art. 4. Angel. in verb. feriæ, §. 34. Tabien. eodem §. 45. Nauar. in Manual. capit. 13. num. 9. & est communis, & idem dicendum de alijs repentè occurrentibus, Ricc. decis. Cur. Archiep. 189. p. 1. contrarium decidit regulariter: sed videatur Thoro in compend. decis. curiæ Archiep. verbo Episcopus, cum onere tamen prædicto faciendi honestam portionem Ecclesijs, quod quidem non est de præcepto: sed de consilio, vt docet Angel. in verb. feriæ §. 35. Tabien. eodem §. 46. Syluest. in verb. Dominica §. 6. Armilla in verb. festum §. 20. sed hodiè inoluit pessimus vsus, quod prælati, salua pace, bonorum sibi appropriant eleemosynas pro laborando diebus festiuis cum maxima animarum iactura.

9 Sexta est consuetudo præscripta, qua excusantur diebus festiuis conducentes frumenta, hordea, & alia vectigalia ex area, foueas aperientes, & frumentum educentes, vendentes carnes in macello, calceos in apoteca, & similiter vendentes pignora, & alia sub hasta, quando alijs diebus non solent conuenire emptores; item licitum est molere diebus festiuis, & præsertim in molendinis ad aquam, & ad ventum, eadem ratione consuetudinis sartores, qui aliqua hora noctis laborant, Rosell. in verb. feria. §. 4. Syluest. in verb. consuetudo. 9. Nauar. in Manual. cap. 13. num. 5. vers. ex quo infertur, ratio est;

10 quia omnia festa Christianorum, etiam dies Dominici non sunt de iure diuino, naturali, vel supra naturali, sed merè iure humano, vt optimè comprobat Nauar. in cap. licet de fer. & in cap. 5. de consecrat. dist. 3. & in Manual. cap. 13. num. 1. licet nonnulli contrarium teneant, saltem pro diebus Dominicis, vt Abb. in dicto cap. licet, & Syluest. in verb. Dominica, q. 1. vers. septimo, qui dicit esse communem, tamen prima opinio est verior, S. Thom. 2. 2. qu. 122. part. 4. S. Anton. part. 2. tit. 9. capit. 7. Archid. in cap. ieiunia de consecrat.

dist.3. Qua conclusione vera sic stante, quod obseruatio festorum est de iure positiuo, infertur quòd consuetudo legitimè præscripta est magnæ authoritatis circa obseruantiam festorum, arg. cap. fin. de consuetud. & l.2. C. quæ sit long. consuetud. quia cum sit præceptum humanum, potest humana consuetudine moderari, Nauar. cons.5. de fer. Hinc infertur, quòd non peccant muliones, famuli, & alij seruientes, qui ex consuetudine antiqua, & præscripta post Vesperas diei festi solent conducere equos, & iumenta onusta frugibus, herbis, frumento, hordeo, & huiusmodi, maximè tempore messium, & vindemiarum; quia talis consuetudo excusat, Nauar. loco citato, & licèt nonnulli adducant Constitutionem Pij Quinti, quæ incipit: Cum primum sexto calend. Aprilis 1566. qua statutum est conducentes animalia onusta diebus festiuis esse puniendos ammissione animalium, tamen dicta Constitutio non obseruatur, & cum hic casus accidisset in mea patria, & Curia Episcopalis quendam equum, qui die Dominico ducebatur onustus herbis, habito recursu ad Sacram Congregationem Illustrissimorum Cardinalium super Episcopos, fuit per dictam Sacram Congregationem iussum, equum restitui, cum magno rubore Episcopi, qui illum vendiderat, & cum allegasset dictam Constitutionem, non fuit accolitus, ex quo in ipsamet Vrbe Romæ magistratus Ecclesiasticus, ad quem spectat curare, vt festa seruentur, quamuis publico edicto mandet, vt nulla opera seruilia fiant diebus festiuis; tamen in exequutione remissius proceditur, & si aliquando aliquis fuerit depræhensus transgressor, soluta aliqua minima quantitate liber dimittitur, & ita pluries vidi in dicta alma Vrbe seruari, & testatur Nauar. cons.1. de fer. Similiter Neapoli contra non obseruantes festa, pęna tantum trium carolenorum puniuntur, absque sequestratione animalium, & si fuerint pauperes relaxantur ipsismet vti pauperibus, Quarant. in Summ. Bullar. verb. Dies festus, & non obseruatur exactio ducatorum sex, & ad minus quinque prout vidi obseruari, & si pijs vsibus applicantur, Deus scit.

11 Sed quæro quis possit statuere festa? Resp. quod Episcopus potest illa statuere: sed cum consensu Capituli, & populi, cap. conquestus de fer. Tabien. in verb. feriæ, §. 9. sed aliqui, quos refert Abb. in di-
12 cto cap. conquestus tenent non requiri consensum populi, & festa de præcepto seruanda sunt etiam à Regularibus, & alijs exemptis Concil. Trident. sess. 25. cap. 12. de reformat. Regular.

13 Secundò quæro, quid si Episcopus prohibeat laborari diebus festiuis sub pęna excommunicationis, an laborantes ex necessitate sint excommunicati? Resp. negatiuè; quia cùm non peccent, non inci-

dunt

dunt in dictam censuram, Syluest. in verb. Dominica in fin. Rosell. in verb. feriæ, §. vltim. Nauar. cap. 13. num. 15.

14 Tertiò quæro, an Notarij diebus festiuis, & Dominicis possint stipulare instrumenta? Resp. quòd cum pro obseruantia contractuum apponi debeat, & præstari iuramentum, quod diebus festiuis est prohibitum præstari, cap. 1. de fer. non possunt instrumenta stipulare, benè tamen possunt facere instrumenta, & contractus in quibus non datur iuramentum, vt sunt testamenta, possunt tamen contractus matrimonij fieri, cum sint pij, licèt apponatur iuramentum, S. Anton. part. 2. tit. 9. cap. 7. §. 5.

15 Quartò quæro, an Curia secularis possit aliquem capere, & carceribus mancipare diebus festiuis? Resp. quòd pro debito ciuili non potest, l. fin. & ibi communiter Doctores C. de fer. Correa de Immunit. Eccles. p. 3. sub nu. 10. nisi suspectos de fuga, glos. in dicta l. fin. in verb. fideiussionis, Bal. in l. 1. C. qui bon. ced. poss. & in l. fin. C. de exibend. reis, sed pro causa criminali maximè pro delicto graui, & enormi potest capere, & carcerare; quia etiam die feriato ad honorem Dei possunt delinquentes capi, & carcerari, arg. l. 3. cum ibi not. C. de Episcop. audient. Bal. in dicta l. fin. Alex. in l. 1. §. nuntiatio, ff. de oper. nou. nunt. quos refert. Foller. in pract. criminal. in verb.
16 notatos capiat num. 5. Veruntamen obligatio pęnes acta Curiæ stipulata die feriato ad honorem Dei est valida, & paratam habet exequutionem, ex quo est actus voluntariæ iurisdictionis per notata in glos. in authent. generaliter C. de Episcop. & Cler. & per Canonistas in cap. si quando de offic. delegat. Afflict. decis. 387. Viu. decis. 35. sed iuramentum est præstandum de licentia iudicis Ecclesiastici, Carauit. Rit. 128. num. 14.

17 Sed notandum est, quod pro obseruantia dierum festorum extat, infrascriptum decretum Sacræ Congregationis Concilij Trident. videlicet: Congregatio Concilij Trident. censuit licere diebus festiuis dare operam rebus ad vitam necessarijs, ac tempore perituris, præsertim tempore vindemiarum, & messium, & recollectionis fructuũ, vel si necessitas vrgeat, ac suadeat pietas. Cæterùm quoniam verendum est, ne priuatis effectibus, domesticarumque rerum studio aliqui abutantur, vt hac indulgentia in alijs casibus abutantur, ijdem Patres Illustrissimi adijciunt ad Ordinarij cuiusque iudicium, ac censuram pertinere, vt dignoscat num verè vlla ex causis suprascriptis subsit, propter quam liceat diebus festis rebus seruilibus vacare, vt nec dierum festorum vlla in re violetur, nec opera illis diebus summa cum ratione permissa impediantur, & ceter. Hier. Card. Matth.

18 Quo

18 Quo verò ad nundinas publicas quid sit obseruandum diebus festiuis, adest infrascriptum decretum eiusdem Sacræ Congregationis relatum à Quarant. in Sum. Bullar. in verb. Dies festus, tenoris videlicet: Præceptum de Dominicis, & festiuis diebus sanctificandis, & obseruandis sub prætextu mercatorum, nundinarum, & feriarum nullatenus est violandum, cæterum his diebus licere agasonibus, & alijs iumentorum vectoribus, seù mercium conductoribus, baiulis, & alijs huiusmodi seruientibus, ac ministris sarcinas, & onera nundinarum causa exonerare, & deponere, inceptumque iter, missa tamem prius audita transeundo prosequi, & continuare non autem debere, sarcinas componere, & iumenta onerare ad iter de nouo incipiendum, neque mercatoribus, & alijs ciuibus, & viatoribus ijs diebus, etiam clausis apotecis merces vendere, emere, aut asportare licere, nisi tantùm ad victum necessariæ, aut alia minuscula, & modici momenti opera iam conflata, & elaborata pro transeuntium hospitum, aduenarum, & exterorum vrgenti, & præsentanea necessitate, & opportunitate, in quo partes erunt Episcopi, præpositis edictis prouidere, vt in primis hi festi dies debita obseruatione colantur, simulque populorum, & confluentium necessitatibus, quantum sine diuina offensione fieri potest, consulatur. Quoad iudicia autem quæ Dominicis, & festis diebus silere debent, id obseruari poterit, quod iure communi permittitur in quibusdam vrgentibus casibus, qui moram, aut dilationem non patiuntur, in quibus, & alijs iurisdictionem Consulum nundinarum præpositorum concernentibus Constitutiones, & Summorum Pontificum, si quæ habent priuilegia, & allegatum Breue felic. recordat. Pij Quinti seruanda esse statuit; prout etiam meminit ibidem Pater Scortia relato loco.

19 Item notandum est, quòd similiter eadem Sacra Congregatio Concilij censuit, decretum Concilij Trident. in cap. 12. vers. dies autem festi sess. 25. de Regul. esse intelligendum, vt Regularium ritus illis festis semper maneant, quo ad missas celebrandas, & alia diuina officia, tam publicè, quam priuatim ab ipsis Regularibus in eorum Ecclesijs persoluenda, nec circa hoc ab Episcopis quoquo modo quicquam in contrarium eisdem Regularibus præcipi posse, quòd si de facto præciperetur, Regulares ne vtiquam ipsis Episcopis obedire te-
20 neri. Verum quò ad conciones, & lectiones, quas ijdem Regulares ad populum habuerint, debere se confirmare Euangelijs, & Epistolis, quibus Clerus secularis vtitur illis diebus.

CA-

CAPVT VI.

De alienatione rerum ecclesiarum.

SVMMARIVM.

1 *Res Ecclesiæ regulariter alienari non possunt.*
Alienari an possint vasa sacra, vestes, calices, & alia huiusmodi.
3 *Alienari an possint res destinatæ ad vsum sacrum, si habent materiam vendibilem.*
4 *Vasa Sacra, vestes, calices, & alia huiusmodi possunt ad vsum profanum mutata forma vendi.*
6 *Bona, & res particulares Clericorum possunt vendi, si non sunt ad titulum patrimonij pro ordine suscepto.*
7 *Bona Ecclesiastica non possunt alienari sine consensu Apostolico.*
8 *Res Ecclesiæ modici momenti de licentia Episcopi possunt alienari.*
9 *Alienatio rei Ecclesiasticæ requirit multas solemnitates.*
10 *Contractus alienationis rei Ecclesiæ cum clausula saluo assensu Apostolico impetrando an valeat.*
11 *Constitutum transfert possessionem ciuilem, & naturalem in emptorem, quando prætium est solutum, vel de eo habita fides.*
12 *Alienatio, vel permutatio rei Ecclesiæ quibus solet committi à Sede Apostolica.*
13 *Clausulæ vestram conscientiam onerantes, quid importat.*
14 *Clausula vocatis vocandis facit exequutorem mistum.*
15 *Permutatio rei Ecclesiæ cum re alterius Ecclesiæ differre permutatione, quæ fit cum re particularis personæ.*
16 *Spirituale cum spirituali an permutari possit.*
17 *Locatio rerum Ecclesiarum vltra triennium non valet.*
18 *Locatio rerum Ecclesiarum ad vitam an valeat.*
19 *Locatio rerum Ecclesiarum vltra triennium quo casu valet.*
20 *Extrauagans Ambitiosæ cupiditati in aliquibus locis, sed non est recepta quo ad locationem.*
21 *Terræ steriles Ecclesiæ possunt concedi in emphiteusim.*
22 *Locationes beneficiorum anticipatis solutionibus an valeant.*
23 *Iurisdictio Ecclesiastica an locari possit, vel deputatio Vicarij generalis.*
24 *Bona Confraternitatum laicorum an possint alienari.*
25 *Prohibitio de non alienandis bonis Ecclesiæ an habeat locum in bonis Confraternitatum laicorum.*

26 Cap.

26 *Cap. terrulas 12. q. 2. an sit sublatum per extrauag. Ambitiosæ, vel per Concilium Trident.*

27 *Regulares vtriusque sexus an possint alienare bona suarum Ecclesiarum.*

28 *Conditiones requisitæ in alienatione rerum Ecclesiarum Regularium.*

29 *Tractatus, & discussio inter fratres, & Moniales requiritur in alienatione rerum Monasteriorum.*

30 *Consensus duarum partium Regularium ex tribus requiritur in alienatione rerum Monasteriorum.*

31 *Assensus Generalis, vel Prouincialis sufficit in alienatione rerum Monasteriorum.*

32 *Res modici valoris quanta sit, relinquitur arbitrio iudicis.*

33 *Res Ecclesiæ, quæ potius sunt damnosæ, quam vtiles, possunt alienari.*

34 *Domus solita locari ad aliquod precium, eo non expresso intelligitur precio solito.*

35 *Res Ecclesiæ non possunt alienari etiam si fuerint donatæ, vel legatæ cum potestate alienandi.*

36 *Pœna imposita contra malè alienantes res Ecclesiæ.*

1 BOna, & res Ecclesiæ regulariter alienari prohibentur, nisi ob vtilitatem, vel necessitatem Ecclesiæ, & tunc non aliter nisi cum assensu, & beneplacito Sedis Apostolicæ tot. tit. de reb. Eccles. non alien. & per extrauag. Pauli Secundi, quæ incipit: Ambitiosæ cupiditati, de reb. Eccles. non alien. Verum tamen res Ecclesiæ sunt in duplici differentia. Aut enim sunt vasa sacra, vestes, calices, patenæ, pisides, paramenta, & omnia alia destinata ad ornamenta altaris. Aut sunt mobilia, seu immobilia, vt prædia rustica, vel vrbana, vt domus, territoria, census, & alia huiusmodi, cap. prædia 12. q. 2. de qua materia latè Nouar. in suo Pontific. nouo conclus. 1. de alienat. rer. Eccles.

2 Quo ad primam speciem bonorum, vt vasa sacra, vestes, calices, & huiusmodi, non possunt vendi, vel comodari ad. vsum profanum, cap. ad nuptiarum de consecrat. dist. 1. sed est distinguendum, aut di-
3 cta bona habent materiam vendibilem; & tunc si venduntur alteri Ecclesiæ, vel personis Ecclesiasticis ad eundem vsum sacrum, & possunt vendi, habita tamen ratione rei vendibilis, & non consecratio-
4 nis. Aut venduntur laicis, & artificibus, & sic ad vsum profanum, & tunc non possunt vendi, nisi mutata forma, l. sancimus aut. præterea,
5 & auth. hoc ius porrectum C. de Sacros. Eccles. Syluest. in verb. emptio, num. 10. Aut non habent materiam vendibilem, vt sunt Reliquiæ Sanctorum, & non possunt vllo modo vendi, sic etiam manna

fluens

fluens ex ossibus Sanctorum, quæ non potest vendi: sed potest sumi aliquid ratione vasorum, in quibus datur, cap. 2. & ibi glos. de reliq. & venerat. Sanct. l. nemo, C. de Sacros. Eccl. quia res sacra non recipit æstimationem, l. sacra loca §. vlt. ff. de rer. diuis. §. prætium, Instit. de empt. & vendit. & spiritualia vendi non possunt, nec spiritualibus annexa, cap. quæ relatum de simon.

6 Quo verò ad secundum speciem bonorum, aut sunt bona particularia Clericorum, & possunt alienari; quia non sunt bona Ecclesiastica, cap. relatum in lib. 2. de testam. Aut sunt bona clericorum, ad quorum titulum sunt ordinati; non possunt vendi sine licentia Episcopi, & causæ cognitione, donec beneficium Ecclesiasticum sufficiens sint adepti, vel aliunde habeant, vnde viuere possint, ex decreto Concilij Trident. Sess. 21. c. 2. de reformat. Et hic est notandum, quod bona ad cuius titulum qui ordinatus est, prohibita sunt alienari, tenent etiam Flam. Paris. de resignat. lib. 2. q. 6. num. 18. Redon. de reb. Eccles. non alien. cap. 13. numer. 51. Gonzal. ad regul. octauam Cancellar. glos. 5. §. 10. num. 3. Nauar. cons. 16. 41. & 46. de temp. ordinat. nec etiam permutare, Gonzal. loco citato, num. 35. cum seque. Veruntamen si quis post ordinationem illud patrimonium retrodonat, vel alienat, quamuis peccet mortaliter: quia facit contra Concilium; cum sit facta ob bonum publicum, & totius ordinis Clericalis, & possit castigari per Episcopum, nullam tamen suspensionem incurrit, secundum Nauar. in Manual. cap. 27. nu. 158. Sayr. de censur. lib. 4. cap. 15. num. 13. Graff. lib. 2. cap. 97. num. 67. quod quomodo procedit, dicam infra in tit. de pœnis contra malè promotos cap. 8. num. 6. & alienatio dictorum bonorum in patrimonium datorum est ipso iure nulla per Concilium Trident. dicto c. 2. vbi vtitur verbo *nullatenus*, quod est negatiuum, & dictio negatiua iuncta verbo necessitatem præcisam inducit glos. & alij omnes concorditer in cap. 1. de treg. & pac. lib. 6. & tollit potentiam ab actu Bart. & cæteri, in l. Gallus ff. de lib. & posth. glos. in Clem. 1. in Verb. nullatenus de sequestr. possess. & fruct. Nauar. Cons. 17. 21. & 22. de temp. ordinat. Paris. de resignat. lib. 2. quæst. 6. num. 16. & ista donatio facta à patre filio in patrimonium pro suscipiendis ordinibus virtute dicti decreti Concilij Trident. post mortem patris est conferenda in diuisione cum alijs fratribus: quia est donatio propter causam constituendi filium in eo statu, vt non abiectè, & indecorè viuat: sed non tenetur conferre fructus, quos percepit ex dicta

7 donatione. Couar. in cap. Rainaldus, §. 1. nu. 7. de testam. Molin. de iust. lib. 1. disputat. 238. in fin. Aut sunt bona Ecclesiæ, vt præ-

dia,

dia, territoria, domus, census, & alia huiusmodi immobilia, & non
8 possunt alienari sine licentia Sedis Apostolicæ. Episcopus Genuens. in sua praxi, cap.73. nu.2. sed si sunt modici valoris, vel quæ seruando seruari non possunt, vel minantur ruinam, & tunc possunt alienari cum licentia Episcopi, cap. terrulas, 12. quæst.2. & quæ dicantur res modici momenti, & valoris, vide infra num.31. nomine autem bonorum immobilium intelligitur etiam grex ouium, & caprarum, & vaccarum, de quorum fructibus emolumenta, & reditus recipit Ecclesia, sed possunt vendi arietes, agni, hirci, hędi, & vituli; non tamen potest alienari totus grex, nisi concurrentibus causis, & seruata forma. Molin.de contractib. disputat.465. num.4. quia grex seruari potest, §. Sed si gregis Instit. de rer. diuis. Quarant. in Sum. Bullar. in Verb. Alienatio rerum Ecclesiarum, num.24.

9 Sed notandum est, quòd in alienatione rerum Ecclesiasticarum pro solemnitatis forma, hæc seruanda sunt; Primò, quòd adsit iusta causa alienandi, vt necessitas, vtilitas, vel euidens Ecclesiæ cōmoditas. Auth. hoc ius porrectum C.de sacris Eccl. Necessitas est, quando seruientes illi Ecclesiæ essent adeò pauperes, quod non possent viuere dict.auth. hoc ius porrectum. Vtilitas est quotiescumq; alienatio in Ecclesiæ vtilitatem verteretur. Cōmoditas, vt quando domus Ecclesiæ minaretur ruinam, vel quia res alienanda magis esset damnosa, quàm vtilis Syluest. in verb.alienatio. Secundò, quod adsit tractatus Capituli congregati ad sonum campanæ, vel alias more solito ad videndum, an expediat, vel non alienatio, Abb.in cap.cum Apostolica de his, quæ fiunt à prælat. Tertiò quòd Canonici, & Clerici scribant consensum in deliberatione, quæ fit super huiusmodi tractatu, cap. tua nuper de his quæ fiunt à Prælat. Quartò, & vltimo, quòd impetretur licentia, & assensus Apostolicus, vt in dicta extrauag. Ambitiosæ: sed impetrato à sede Apostolica assensu, non sunt necessariæ dictæ solemnitates, Abb. cons.41. lib.2. Dec.cons.361. & ratio est secundum Quarant. in sum. Bullar. in verb. Alienatio rei Ecclesiasticæ, num.7. vers. inde eligitur: quia Papa est dominus, & dispensator omnium bonorum Ecclesiarum, & ad eius libitum potest de eis disponere, dummodò tamen, vt sit narratū verum in supplicatione, alias si fuerit subreptitiè impetrata commissio, erit nulla, vt declarat Dec. cons.142. num.5. Ruin. cons.157. num.4. & 11. latè, Scortia theorem 1. 2. 3. 116. 117. & 118.

10 Item notandum est, quòd si fuerit stipulatus contractus alienationis, vel permutationis rei Ecclesiasticæ cum conditione, seruato assensu, & beneplacito Apostolico impetrando, & donec impetretur

assen-

assensus non fuerit tradita possessio, contrahentes non incurrunt pęnas,& censuras; quia contractus huiusmodi sine traditione realis possessionis tacitam in se continet conditionem, si Papæ placuerit, Nauar. conf.1. de reb. Eccles. non alien. secus si traderetur possessio, quia illa conditio esset contraria facto, Gram. decis.49. Vinc. de Franch. decis.267. Sed in hoc est aduertendum, quòd alienantes licet non tradant corporalem possessionem, si tamen in instrumento apponant constitutum, prout Notarij communiter solent apponere, & dicere constituerunt se pręcario nomine possidere incidunt in censuras, & pęnas contra alienantes bona Ecclesiastica, quia per constitutum transit ciuilis, & naturalis possessio in emptorem, vt plenè per Alex. in l.quoties, C. de rei vendicat.idem Alex. conf.57. 1. volum.
11 Bart. in l. ab emptione, ff. de pact. Afflict. decis.139. nu.9. sed hoc procedit,quando pretium est solutum,vel fuit habita fides de eo,quia aliter neq; dominium, neque possessio aliqua per constitutum transfertur, Marant. in tract. de remed. possess. num.68. per tex.in §. venditæ Instit. de rer. diuis.

12 Et vt consulatur indemnitati Ecclesiarũ, alienationes,seù permutationes à sede Apostolica committuntur duabus personis, videlicet Ordinario loci, & vni ex Dignitatibus alicuius Ecclesiæ Cathedralis, qui vocatis vocandis coniunctim procedere debent, ita vt constito quòd in Ecclesiæ vtilitatem alienatio, vel permutatio cedat in euidentem vtilitatem, eorum conscientiam ad formam dictæ extrauag. Ambitiosæ onerando, contractum alienationis, vel permutationis
13 authoritate Apostolica confirment,quæ clausula conscientiam onerantes importat, quòd delegati non possunt subdelegare, sed debent ipsimet procedere; quia est electa industria personæ, l.inter artifices,
14 & ibi Bart. num.1. ff. de solut. Abb. & alij in cap. fin. de off. delegat. & clausula vocatis vocandis facit exequutorem mistum; quia ille, cui commissa est causa,debet procedere vocata parte, & seruatis seruandis, Felin. in cap. de cætero, num.10. de re iudic. & delegati debent procedere coniunctim, ita quòd vnus exequi non potest, cap. si duo ex tribus de off. delegat. lib.6. Abb. in cap. coram, numer.14. & ibi Felin. num.11. eod.

15 Tertiò notandum est, quòd permutationes rerum, & bonorum vnius Ecclesiæ cum bonis alterius Ecclesiæ differunt à permutationibus, quæ fiunt cum rebus laicorum, vel Clericorum de bonis eorum proprijs; quia cum talibus personis priuatis, non nisi cum euidenti vtilitate, vel necessitate Ecclesiæ fieri possunt, cap.1. de reb. Eccles. non alien. lib.6. sed in permutationibus bonorum vnius Ecclesiæ-

clesiæ cum alia sufficit, quòd pro vtriusque Ecclesiæ commoditate fiat permutatio, glos. in cap. hoc ius porrectum. §. item sibi inuicem
16 10. quæst. 2. quia spirituale cum spirituali permutari potest glos. in cap. ad quæstiones de rer. permut. in verb. quo, vt, accedente tamen decreto Episcopi, vel eius Vicarij facultatem habentis in permutationibus faciendis ab vna Ecclesia cum alia glos. in cap. 1. in verb. defensore de reb. Eccles. non alien. lib. 6. & non est opus assensu Apostolico, Ricc. in prax. decis. 38. & 74.
17 Quo verò ad locationem rerum Ecclesiarum est notandum, quod locationes non possunt fieri vltra triennium per dictam extrauag.
18 Ambitiosæ, alias locatio saperet naturam alienationis, Nauar. cons. 10. de reb. Eccl. non alien. verum si prędium redderet fructus bien-
19 nio, vel triennio posset locari ad sex, vel nouem annos, Couar. var. resolut. cap. 16. numer. 6. Nauar. in comment. de reb. Eccles. alien.
20 num. 21. Quarant. in verb. Alienat. rer. Eccles. num. 18. sed sciendum est, quòd dicta Extrauag. Ambitiosæ non procedit in illis locis, in quibus non fuit vsu recepta, & non obseruatur; quia ibi possunt fieri dictæ locationes, etiam vltra triennium, Gaet. in verb. excommunicatio cap. 75. Nauar. in Manual. cap. 23. nu. 62. & cap. 27. nu. 149. & in cons. 62. de reb. Eccl. non alien. Tolet. in summ. lib. 5. cap. 91. Felin. in cap. de quarta, nu. 3. de præscript. Boer. decis. 224. Syluest. in verb. excommunicatio 7. num. 83. Molin. de contract. disput. 466. num. 8. Redoan. de reb. Eccl. non alien. quæst. 36. n. 21. & quæst. 58. num. 25. Abb. & Felin. in cap. 1. de treg. & pac. Vrsill. ad Afflict. decis. 101. Sayr. de cens. lib. 3. cap. 32. num. 22. vers. tertius est, vbi dicit quòd in paucis locis est recepta, & subdit, ideò consulenda est praxis, prout in Ecclesia nostra Cathedrali Montispelusij, in qua locationes rerum dictæ Ecclesiæ factæ fuerunt non solum vltra triennium, sed per annos sex, & nouem, vt patet ex instrumentis, & contractibus antiquissimis excedentibus centum annos, & sępissimè fuerant locatæ domus, & vineæ ad vitam conductorum, quæ potuerunt fieri absque incursu censurarum, cum dicta extrauag. nunquam fuerit obseruata, Nauar. d. cons. 10. de reb. Eccles. non alien. vbi dicit quòd licet locatio ad vitam, sit datio ad longum tempus, Dec. cons. 204. tamen locans, vel accipiens ad longum tempus non est excommunicatus in locis, in quibus dicta extrauag. non seruatur, vt in d. nostra Ecclesia.
21 Quartò notandum est, quòd terræ Ecclesiæ steriles possent concedi in emphyteusim ei, cuius labore redactæ sunt ad culturam, cap. ad aures, & ibi Abb. num. 1. de reb. Eccl. non alien. & si postmodum

ad

ad culturam redactæ fuerint, hæredibus eorum, à quibus suo labore, vel parentum constiterit ad culturam redactas esse in casu deuolutionis poterunt iure ad censum concedi ratione vtilitatis habitæ, d. cap. ad aures, & ibi glos. in verb. tunc, & Abb. num. 4.

22 Quintò notandum est, quòd Concilium Trident. sess. 25. cap. 11. de reformat. statuit locationes beneficiorum anticipatis solutionibus factas non valere in præiudicium successorum, quocunq; indul-
23 tu, vel priuilegio non obstante, & similiter non possunt locari iurisdictiones Ecclesiasticæ, neq; facultas nominandi, seù deputandi Vicarium in spiritualibus generalem, dicto c. 11. Nauar. in Man. c. 27. num. 150.

24 Quintò res, & bona Confraternitatum laicorum possunt alienari sine solemnitate, & assensu Apostolico, Bal. in auth. hoc ius porrectum, C. de sacros. Eccles. quia licet istæ Confraternitates laicales sint licitæ, vt notatur in cap. si quis clericorum, in glos. 1. q. 1. tamen corpus Confraternitatum non est collegium pium, sunt omnes, vel maior pars Confratrum laici, Arg. l. quòd maior pars, ff. ad Municipal. Nauar. cons. 3. de for. compet. qui ad hoc allegat cap. omnes de Constit. & est Collegium laicale non priuilegiatum, & potest de bonis suis disponere, sicut cætera collegia secularia, vt in l. 1. §. quibus, ff. quòd cuius, vniuers. nom. & sic prohibitio de non alienandis
25 bonis Ecclesiæ non procedit in rebus Confraternitatum laicalium, Dec. cons. 72. Rodoan. in tract. de reb. Eccl. non alien. Verumtamen si dictæ Confraternitates fuerint erectæ authoritate Episcopi, prout præsumi debet, cum hodie Episcopi eas visitent, Concil. Trident. sess. 22. cap. 8. de reformat. & administratores bonorum dictarum Confraternitatum laicalium singulis annis tenentur reddere rationem eorum administrationis Ordinario, vt Concilium Trident. iubet sess. 22. cap. 9. de reform. Quarant. in Sum. Bullar. in verb. Alienatio rerum Eccles. numer. 28. dicendum est earum bona esse, sub prohibitione alienandi, sicut res Ecclesiasticæ, Ricc. in prax. decis. 45.

26 Sextò notandum, quòd refertur Sacram Congregationem Concilij Trident. censuisse neque extrauagant. prędictam Pauli Secundi incip. *Ambitiosæ*, neque decretum Concilij Trident. derogasse, cap. terrulas 12. q. 2.

27 Septimò notandum est, quòd quamuis alienatio bonorum Ecclesiasticorum de iure sit prohibita, vt supra, tamen Regulares cuiuscumque Ordinis ex priuilegijs concessis, vt infra, licitè, & absq; metu, & incursu pęnarum, absque licentia Sedis Apostolicæ possunt alienare, & permutare quęcumque bona suarum Ecclesiarum im-

mobilia, vel quasi, vt sunt census perpetui cuiuscumque qualitatis, & valoris, ac mobilia, etiam pretiosa, quæ sub nomine immobilium comprehenduntur, & possunt ad emphiteusim, siue liuellum, etiam ad longum tempus, & vltra triennium locare, etiam si dicta bona sint relicta Monasterijs cum conditione, quòd non possint alienari; & hoc permittitur ipsis Regularibus virtute priuilegiorum per plures Summos Pontifices Regularibus concessorum, vt per Leonem Decimum in eius Bulla Romæ die 27. Nouembris 1519. & per Clementem Septimum in Bulla die 25. Februarij 1531. & nouissimè per Gregorium XIV. die 5. Septembris 1572. quæ omnes Constitutiones sint concessæ Ordini Eremitarum Sancti Augustini, tamen per communicationem priuilegiorum inter eos factam per dictos Summos Pontifices, omnes Regulares vtriusque sextus cuiuscumq; ordinis dictis priuilegijs vti, potiri, & frui possunt, & valent: sed alie-
28 natio, & permutatio sunt faciendæ cum infrascriptis conditionibus. Primò, vt adsit legitima causa alienandi, vt si est emergens necessitas, vel euidens vtilitas Ecclesiæ, vel causa soluendi debita Mona-
29 sterij, vel si fratres non possent se substentare. Secundò, vt præcedat tractatus inter fratres, vel Moniales, & inter se discutiatur, an magis expediat alienare vnam rem, quàm aliam, vel si possent subuenire eorum necessitatibus, vel vtilitatibus absque bonorum alienatione, iuxta cap. nuper de his, quæ fiunt à maior. cap. & cap. du-
30 dum de reb. Eccles. non alien. lib. 6. Tertiò, vt concurrat consensus duarum partium ex tribus partibus fratrum, seu Monialium illius Monasterij, domus, vel loci, cuius bona alienanda sunt, & non sufficit maior pars eorum. Quartò, & vltimò, vt dicta alienatio à Gene-
31 rali, vel Prouinciali Ordinum Regularium diligenter examinetur, per duos, vel tres probos viros, & non per ipsos fratres examinatos constat euidenter de vtilitate, vel necessitate, quæ omnia in processu super huiusmodi informatione fabricando per Notarium publicum redigantur, quibus diligenter consideratis, interponitur assensus, & authoritas Generalis, vel Ministri Prouincialis, & ex inde fit instrumentum, & tunc alienatio, permutatio, seu locatio cum his conditionibus factæ, statim ei Sede Apostolica approbatæ, & confirmatæ censentur. Et si forma prædicta seruata non fuerit, alienatio, & contractus celebrati sunt, & esse censentur nulli, inualidi, ac nullius roboris, vel momenti, quæ conditiones colliguntur ex prædictis Constitutionibus, & Bullis Pontificijs, & hæc quoad alienationem bonorum Regularium.
32 Quatenus supra dictum est res Ecclesiæ modici valoris posse alie-
nari

nari sine licentia Sedis Apostolicæ, notandum est, quòd modicum potest esse vsque ad quinquaginta aureos, alibi vsque ad viginti, & alibi vsque ad decem, siue minus, siue plus respectu qualitatum, & conditionum locorum, seu personarum, & ideò relinquitur arbitrio iudicis, Mascard. de probat. conclus.75. num.27.

33 Octauò notandum est, quòd si aliqua res Ecclesiæ potius afferret incommoditatem, quàm vtilitatem, vt quia nullus, seu modicus ex ea percipitur fructus, & quando expenderetur plusquam redderet, potest alienari, cap. sine exceptione 12.q.2. Abb. in cap. nulli de reb. Eccles. non alien. & per glos. in summ. 12.q.2. seruata tamen forma tradicta in dicto cap. sine exceptione.

34 Nonò notandum est, quòd si domus, vel aliquod prædium, quod solet locari ad aliquod pretium, si locatur non expresso pretio certo, intelligitur domus locata pretio consueto, l.excepto, & ibi glos. in verb. consuetudine, C. de locat. & conduct. & ibi Bal. num.1.

35 Decimò notandum est, quòd si fuerit legata, vel donata res aliqua Ecclesiæ cum expressa conditione, vt possit illam Ecclesia ad eius libitum alienare, adhuc oportet impetrari assensus Apostolicus, non obstante voluntate testatoris, vel donatoris, vt possit alienari, quæ tamquam illicita non est seruanda, cap. tua, & ibi Couar.nu.6. de testam. l. nemo potest, ff. de legat.1. Quarant.in Summ. Bullar. in verb. Alienatio rerum Eccles.num.31.

36 Demùm est notandum, quòd alienantes bona Ecclesiastica sine licentia Sedis Apostolicæ incidunt in pœnas expressas in dicta extrauag. *Ambitiosæ*, quæ quatuor sunt. Prima est nullitas contractus. Secunda est, quoad personas excommunicatio, tàm contra alienantes, quàm recipientes. Tertia interdictus Ecclesiæ ipso iure quoad Episcopos, & Abbates cum suspensione sex mensium eo ipso à regimine, & administratione Ecclesiæ. Quarta, quoad beneficiatos vltra excommunicationem, est priuatio ipso facto illius beneficij cuius bona alienauerint, Nauar. cons.4. & 18. de reb. Eccles. non alien. Quarant. loco citato, nu.49. sed absolutio à prędicta excommunicatione est Episcopalis, cum non sit reseruata Papæ cap. nuper de sent. excom.

CAVT VII.

De ordinibus conferendis, & qualitate ordinandorum.

SVMMARIVM.

1 *Prima tonsura confertur ijs, qui confirmati legere, & scribere sciunt.*
2 *Minores ordines conferuntur ijs, qui saltem linguam latinam intelligunt.*
3 *Subdiaconi, Diaconi, & Præsbyteri quas qualitates habere debent.*
4 *Ordinandi ad maiores ordines debent habere beneficium sufficiens ad victum.*
5 *Patrimonium ad quod quis est ordinandus, debet consistere in rebus immobilibus.*
6 *Necessitas, & vtilitas Ecclesiæ requiritur ijs, qui ad titulum patrimonij ordinantur.*
7 *Necessitas, & vtilitas Ecclesiæ quæ sit.*
8 *Abbates possunt conferre primam tonsuram, & ordines minores suis subditis.*
9 *Abbates non possunt conferre primam tonsuram, & ordines minores suis Nouitijs.*
10 *Laicus aliquis si fuerit ordinatus ab Abbate non habente munus benedictionis, & vsum mitræ, an sit verè ordinatus.*
11 *Regulares ordinandi sunt ab Episcopo, in cuius Diœcesi sita sunt Monasteria, in quibus degunt.*
12 *Interstitia temporum in ordinibus conferendis Regularibus à quo sunt remittenda.*
13 *Litteræ dimissoriæ ad ordines, an expirent morte concedentis.*
14 *Vicarius generalis Episcopi, an possit concedere litteras dimissorias ad ordines.*
15 *Vicarij Apostolici possunt concedere litteras dimissorias ad ordines.*
16 *Episcopi, quibus remissi sunt ordinandi approbati de doctrina, an debeant illos examinare.*
17 *Regulares ordinandi etiam si fuerint approbati à suis superioribus, sunt examinandi.*
18 *Episcopus potest suum familiarem non subditum ordinare, si per triennium cum eo commoratus fuerit.*
19 *Episcopi titulares non possunt ordinare suos familiares triennales.*
20 *Episcopus ordinans nihil ab ordinatis accipere potest.*
21 *Gioia Dragomanius Episcopus Montispelusi, laudatur.*
22 *Paschalis Verronus Archidiaconus Montispelusi, laudatur.*

23 *Actua-*

1 NEmo initiari debet prima tonsura, nisi prius fuerit Sacramento Chrismatis confirmatus, & fidei rudimenta benè sciuerit, & nisi legere, & scribere sciat, & quòd probabilis coniectura non sit, eum secularis iudicij fugiendi fraude; sed quòd in obsequium Dei ordinatur, Concil. Trident. sess. 23. cap.4. de reformat.

2 Minoribus ordinandus debet habere bonum testimonium à proprio Parocho, & à suo magistro scholæ, ac linguam latinam intelligere; qui minores ordines conferendi sunt per temporum interstitia, nisi aliud Episcopo magis expedire videbitur, Concil. Trident. sess. 23. cap.11. de reform.

3 Subdiaconi ordinandi debent habere viginti duos annos inceptos, & Diaconi vigesimum tertium annum inceptum, & habere bonum testimonium, & in minoribus ordinibus probati, ac litteris, & ijs, quæ ad ordinem exercendum pertinent instructi, quòd debeant esse constituti in ætate supradicta, est cap.is Concil. Trid. sess. 23. & saltem diebus Dominicis, & solemnibus, cùm altari ministrauerint, Sacram Communionem percipere, vt si per annum saltem in eo non sunt versati, ad altiorem gradum, nisi aliud Episcopo videbitur ascendere non permittuntur, Concil. Trid. ead. sess. cap. 13. & Sacra Congregatio Concilij censuit eos, qui ad Subdiaconatus Ordinem quatuor temporibus quadragesimæ promoti fuerint, posse anno sequenti eisdem quatuor temporibus quadragesimæ ad Diaconatum promoueri, cùm futuro anno Paschæ festum celerius, quàm superiori celebretur, refert Addit. ad Quarant. in Summ. Bullar. in verb. Ordo; quia attenditur annus Ecclesiasticus, & non solaris. Ad presbyteratus ordinem promouendi debent esse constituti in ætate vigintiquinq; annorum, qui saltem sint incepti, & qui piè, & fideliter in ministerijs ante actis se gesserint, & qui non modo in Diaconatu ad minus annum integrum, nisi ob Ecclesiæ vtilitatem, ac necessitatem aliud Episcopo videretur, ministrauerint; sed etiam ad populum docendum ea, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem,

ac administranda Sacramenta, diligenti examine præcedente, idonei comprobentur, atque ita pietate, ac castis moribus conspicui, vt præclarum bonorum operum exemplum, & vitæ monita ab eis expectari possint, & de ijs omnibus perscrutatur. Scortia Theorem. 110. 111.
4 Item promouendi ad ordines maiores debent habere aliquod beneficium sufficiens ad vitæ substentationem, ad cuius titulum ordinari debent, alias non possunt promoueri, Concil. Trident. sess. 21. cap. 2. de reformat. & si in defectum beneficij Ecclesiastici ordinari
5 voluerint ad titulum patrimonij possent, Concil. Trident. loco citato, sed notandum est, quod patrimonium debet consistere super re immobili, Nauar. cons. 34. de temp. ordin. Barbos. part. 2. allegat.
6 19. num. 55. & ordinandi ad titulum patrimonij debent esse vtiles, vel necessarij Ecclesiæ, ita quòd cessante vtilitate, vel necessitate Ecclesiæ, etiam si haberent amplissimum patrimonium nullatenus sunt ordinandi, dicto cap. 2. sess. 21. Nauar. cons. 14. num. 4. vbi dicit fuisse denegatam ordinationem cuidam, qui habebat patrimonium trium millium ducatorum, cum non subesset necessitas, vel vtilitas
7 Ecclesiæ, sed quæ sit necessitas, vel commoditas, & vtilitas Ecclesiæ, est videndus S. Anton. par. 3. tit. 23. cap. 16. §. 18. vbi dicit hoc casu, quòd tunc dicitur Ecclesiam habere necessitatem, quando alios ministros non habet, qui Ecclesiæ deseruiant, vtilitas est quando, licèt ministros habeat, & Sacerdotes, non tamen idoneos, cum pro vtilitate Ecclesiæ prouidendum sit de ministris, & Sacerdotibus idoneis.

Quatenus autem supra dictum est ordines esse conferendos per temporum interstitia, notandum est, quòd Episcopus potest dispensare super interstitijs in minoribus ordinibus, & in Diaconatu ob quamlibet leuem causam, quæ iudicio Episcopi videbitur sufficiens cum in Concilio Trident. sess. 23. cap. 11. & cap. 13. iudicio Episcopi simpliciter relinquatur, sed à susceptione postremi ordinis ad Subdiaconatum, & à Diaconatu ad presbyteratum nullo modo potest dispensare, nisi necessitas, aut vtilitas Ecclesiæ iudicio Episcopi illud poscat; & sic vrgentior causa requiritur, quæ iudicio Episcopi relinquitur secundum locum, tempus, & personæ conditionem, ita quod altera ipsarum sufficit scilicet, vtilitas, aut necessitas, sed à Diaconatu presbyteratum vtraque coniunctim requiritur, & non sufficit vna ipsarum, vt habetur eadem sess. 23. cap. 14. vbi dicitur, qui non modo in Diaconatu annum integrum, nisi ob Ecclesiæ vtilitatem, ac necessitatem aliud Episcopo videbitur.
8 Abbates verò, & alij quicumque exempti intra fines alicuius Diœ-
cesis

cesis existentes, ac etiam nullius Dioecesis suis tantùm subditis Regularibus primam tonsuram, & ordines minores possunt conferre, Concil. Trident. sess. 23. cap. 10. de reform. & possunt etiam conferre primam tonsuram, & ordines minores secularibus Episcopi iurisdictioni subditis, si modò ipsius Episcopi consensus accedat, vt declarauit sacra Congregatio eiusdem Concilij Tridentini his verbis: Abbates Regulares habentes ius baculum deferendi, & mitram, postquam Sacerdotalem ordinem, & munus benedictionis susceperint, possunt tonsuram, & ordines minores secularibus Episcopi iurisdictioni subditis conferre, cum consensu tamen, & litteris dimissorijs ipsius Episcopi. Verùm quando dicti Abbates conferuntur primam tonsuram, & ordines minores Regularibus suis subditis, non est opus, quòd dicti ordinandi examinentur super doctrina per ipsos Episcopos, non obstante decreto Concilij Trident. sess. 23. cap. 12. de reformat. quia sicut ipsis Abbatibus est concessa facultas minores ordines conferendi, ita videtur concessa facultas à fortiori, etiam examinandi, cap. cum contingat. de ætate, & qualit. ord. Nauar. cons. 14. num. 5. de priuileg. decretum enim prædictum Concilij Trid. si rectè perpenditur, loquitur, & disponit, solùm de maioribus, & sacris Ordinibus.

9 Et licet Abbates possint primam tonsuram, & minores ordines conferre Monacis suorum Monasteriorum cap. Abbates de priuileg. lib. 6. cap. cum contingat de ætat. & qualit. ord. cap. 1. & ibi glos. in verb. à non Episcopis de ordin. ad Episc. qui renun. Episcop. & ibi glos. in verb. alia de supplen. neglig. prælat. Nauar. cons. 13. num. 13. de priuileg. non tamen possunt conferre nouitijs, qui non veniunt sub appellatione subditorum Regularium, de quibus in Concilio Trident. sess. 23. cap. 10. de reformat. sed otdinandi sunt ab Episcopis, in quorum Dioecesi situm est Monasterium, quod incolunt tempore Nouitiatus Anch. in cap. cum nullus, num. 3. & ibi Franch. de temp. ordinat. ratio est, quòd Abbates nequeunt nouitijs suis minores ordines conferre, aut dimissorias pro ipsis suscipiendis concedere; quia nouitij possunt retrogredi, & illorum aufugere superioritatem, alioquin ordinantes huiusmodi nouitios incurrerent suspensionem comminatam in Concilio Trid. dicto cap. 10. sess. 23. & sic etiam Ordi-
10 nati, Barbos. de offic. & potest. Episcop. part. 3. allegat. 3. num. 8. & 9. Sed quid si aliquis laicus fuerit ordinatus ad primam tonsuram, aut minores ordines ab aliquo Abbate, qui virtute Concilij Trid. in dicto cap. 10. sess. 23. non potest conferre ordines nisi suis Monacis, vel ab alio exempto intra fines alicuius Dioecesis, vt supra dictum

est, an indigeat dispensatione, vel necesse habeat, si cupit esse Clericus, iterum ordinari ad dictos ordines tamquam ei nulliter collatos? Resp. quod indiget dispensatione, quia est suspensus ab ordinum exequutione, tamquam ordinatus à non proprio Episcopo, Concil. Trident. sess. 23. cap. 8. de reformat. quo verò ad dubium, an debeat iterum ordinari? Respon. autem Abbas, qui ordinauit habet ius Baculi deferendi, & Mitram, & Sacerdotalem ordinem, ac munus benedictionis suscepit, & tunc non est necesse, vt iterum ordinetur, quia caracter est iam impressus. Aut non habet benedictionem cum vsu Baculi, & Mitræ, vel potestatem, ex priuilegio à Sede Apostolica, & tunc iterum debet ordinari, cap. presbyteri dist. 68. & cap. Dibertum 1. q. 7. & sic fuit obseruatum in Ciuitate Altamuræ, in qua illius Archipresbyter nullam benedictionem cum vsu baculi, & mitræ, nec priuilegium habens ordinauerat, fuit declaratum, quòd ordinati ab ipso in prima tonsura, & minoribus ordinibus, tamquam ordinati ad maiores per saltum, iterum ordinentur.

11 Et notandum est, quòd Regulares debent ordines suscipere ab Episcopis, in quorum Diœcesibus sita sunt Monasteria, in quibus degunt ipsi Regulares, & à suis Superioribus sunt assignati, cum litteris tamen dimissorijs suorum Superiorum Regularium; sic enim declarauit Sacra Congregatio Concilij Trident. per hæc verba: Congregatio Concilij Trident. censuit Superiores Regulares posse suis subditis Regularibus, qui præditi qualitatibus requisitis voluerint ordines suscipere, litteras dimissorias concedere ad Episcopum tamen Diœcesanum nempè illius Monasterij, in cuius familia ab ijs, ad quos pertinet, fuerit assignatus; & si Diœcesanus abfuerit, vel non esset habiturus ordinationem, ad quemcumque alium Episcopum, dum tamen ab eo Episcopo, qui ordines contulerit, examinentur quoad doctrinam, & dummodò ipsi Regulares non distulerint de industria concessionem dimissoriarum in id tempus, in quo Diœcesanus, vel absfuturus, vel nullas habiturus esset ordinationes. Verùm à Superioribus Regularibus Episcopo Diœcesano absente, vel ordinationem non habente, cùm litteræ dimissoriæ ad alium Episcopum dabuntur, in eis vtiq; huiusmodi caussam absentiæ Diœcesani Episcopi, vel ordinationem non habendam, esse exprimendam. Hæc sacra Congregatio. Quando verò Abbates suis Regularibus subditis ordines minores contulerint iuxta concessam ipsis facultatem à Concilio Trident. sess. 23. cap. 10. poterunt vtique sine dubio super interstitijs dispensare, Sorb. in comp. end. priuileg. Regul. in verb. Ordines sacri. Vide Nouarium conciul. 4. de ordinibus.

12 Verùm-

12 Verùmtamen quoad remittenda temporum interstitia pro conferendis ordinibus Regularibus, pluries fuit resolutum in sacra Congregatione Concilij, non ipsos Superiores Regulares posse dispensare, sed ipsos Episcopos ordinantes, & propterea debent ipsi Regulares Superiores in suis litteris dimissorijs, quando cum ordinandis dispensandum expedire iudicauerint, Episcopum rogare, vt cum tali ordinando dignetur dispensare, attenta tali causa, quæ ipsi Ordinaturo in talibus dimissorijs exprimatur, ita declarauit sacra Congregatio Concilij Trident. vt testatur Sorb. in compend. priuileg. Regular. in verb. ordines sacri.

13 Secundò notandum est, quòd litteræ dimissoriæ ad ordines non expirant morte Episcopi concedentis; quia cum contineant licentiam de promouendo concessam, est gratia iam facta, vt ad ordines promoueatur, Cardinal. in Clem. fin. nu. 9. de elect. & Imol. ibi n. 3. Rebuff. in prax. beneficial. in formula litterarum dimissoriarum, numer. 42. Rolan. cons. 38. num. 1. Pauin. de potest. cap. sed. vac. part. 1. numer. 9. Nauar. cons. 5. de rescript. & idem est dicendum finita Episcopi potestate, vt si in alium Episcopatum transferatur; quia eadem militat ratio, cum non minus expiret potestas morte illius, quàm translatione in aliam Ecclesiam, iuxta glos. in cap. si Episcopus in verb. mortem de supplend. negligen. prælat. lib. 6. idemque est dicendum de litteris dimissorijs concessis à Capitulo, vel Vicario sede vacante, quando eas concedere potest, videlicet, post annum à die vacationis sedis Episcopalis, Concil. Trid. sess. 7. c. 10. de reformat. non enim expirant finita Capituli potestate per noui Episcopi aduentum, & tandem per eandem rationem est dicendum de litteris dimissorijs concessis à Vicario Episcopi, eo quòd Episcopus sit in remotis, iux. tex. in cap. 3. de temp. ordinat. vel de speciali Episcopi commissione, & de litteris concessis à Superioribus Religiosorum, & à quibusuis alijs habentibus potestatem concedendi; quia militat eadem ratio, nam nec morte, nec depositione Vicarij, vel Superioris, nec aduentu Episcopi noui, nec qui in remotis erat, expirant, ex eo quòd continent gratiam factam, Sanchez de Matrimon. lib. 8. disput. 28. num. 83.

14 Tertiò notandum est, quòd Vicarius generalis Episcopi non potest concedere litteras dimissorias ad ordines, nisi de speciali mandato, vel nisi Episcopo degente in remotis, cap. cum nullus, §. inferiores de temp. ordinat. lib. 6. vel nisi Vicarius non habens speciale mandatum, & facultatem concedendi litteras ad ordines successerit aliquibus prioribus, qui eam habuerant; quia illam concedere posset,

indu-

inductus iusta credulitate, vt latè comprobat Mandol. in Regul.
15 Cancellar. 24. cap. 3. de male promotis, quaſt. 6. num. 15. Item Vicarius Papæ in Vrbe, & Vicarij Episcoporum deputati per Papam, quos Apostolicos vocant, vt idem Mandoſ. loco citato, numer. 13. Graff. part. 2. lib. 3. cap. 13. de Clericis circa ordines.
16 Quartò notandum eſt, quòd ſi Episcopus non poteſt habere ordinationem, & ſuos ſubditos alijs Episcopis ordinandos remiſerit cum
16 litteris dimiſſorijs, in quibus approbat illos de omnibus neceſſarijs, iuxta decreta Concilij Trident. dicens ſe examinaſſe, & idoneos inueniſſe, approbans de doctrina, non oportet, vt Episcopus illos ordinans iterum examinet, aliàs videretur, quòd Episcopus proprius malè approbauerit, & ſuæ conſcientiæ prodigus fuerit, quòd non eſt dicendum, Sorb. in compend. priuileg. Regular. in verb. Ordines ſacri, verſ. immò ſolum. Si verò ſciret aliquem indignum, peccaret
17 ordinando eum, ſed Regulares ordinandi, ſunt ſemper examinandi ab Episcopo ordinante, de doctrina, ſiue fuerint, ſiue non approbati à ſuis Superioribus, Concil. Trident. ſeſs. 23. cap. 12. de reformat. Scortia Theorem. 176.
18 Quintò notandum, quòd Episcopus poteſt familiarem ſuum non ſibi ſubditum ordinare, ſi per triennium ſecum fuerit commoratus, dummodo ſtatim, & ſine fraude ei beneficium conferat, ex decreto Concilij Trident. ſeſs. 23. cap. 9. de reformat. quæ collatio beneficij eodem tempore concurrere debet; & ratio eſt, quia ordinatus à non ſuo Episcopo ratione beneficij, efficitur de eius foro, ſitque ei ſubditus, cap. cum nullus de temp. ordinat. lib. 6. Quarant. in Summ. Bullar. in verb. Ordo, verſ. limita, & poteſt conferre, tàm minores, quàm maiores ordines, & vtroque caſu opus eſt, vt conferat beneficium, prout cenſuit Sacra Congregatio Concilij, vt teſtatur Quarant. loco citato. Sed quamuis Episcopus poſſit ordinare familiarem ſuum triennalem ſibi non ſubditum, tamen non poteſt diſpenſare ſuper interſtitijs temporum, neque ſi eſſet illegitimus, ad minores ordines illum habilitare, Nauar. conſ. 27. & 28. de temp. ordinat. in antiq. Quarant. loco citato, veruntamen Episcopi Titulares non poſſunt alterius ſubditum, etiam prætextu familiaritatis continuæ commenſationis ſuæ abſque ſui proprij Prælati expreſſo conſenſu, aut litteris dimiſſorijs ad aliquos ſacros, aut minores Ordines, vel primam tonſuram promouere, ſeù ordinare poſſunt, Concil. Trident. ſeſs. 14.
19 cap. 2. de reformat. Inſuper eſt notandum, quòd Episcopus poteſt ordinare ſuum familiarem triennalem etiam quòd tempus triennij inceperit, antequam eſſet Episcopus, vt fertur ſacram Congregationem

tionem censuisse.

20 Sextò est notandum, quòd Episcopus ordinans, vel cui fuerint remissi ordinandi, nullo modo potest aliquid accipere, & si quid datur, vel accipitur, Simonia committitur, per tex. in extrauag. Detestabile de Simon. immò nec mantilia, nec forbices, nec pectines, Episcopi ordinantes possunt accipere ex declaratione Sacræ Congregationis Concilij Trident. super cap. 1. sess. 21. de reformat. quia ab Ecclesiastico ordine omnis auaritiæ suspitio abesse debet, & nihil pro collatione quorumcumque Ordinum, etiam Clericalis tonsuræ, nec pro litteris dimissorijs, aut testimonialibus, nec pro sigillo, nec alia quacumq; de causa, etiam sponte oblatum Episcopi, & alij Ordinum collatores, aut eorum ministri quo vis prætextu accipere possunt, vt habetur in dicto decreto Concilij, Tolet. de instruct. sacerdot. lib. 5. cap. 88. num. 9. vbi dicit periculosum esse accipere etiam candelas; quia Concilium generaliter loquitur: sed video malè seruatum; quia Episcopi indifferenter accipiunt mantilia, forbices, pectines, & candelas, non obstante quod Concilium in d. c. 2. sess. 21. abstulerit omnem consuetudinem, quæ potius abusus, & corruptela est, & Simoniacæ prauitati fauens: sed quoad candelas puto Episcopos posse eas accipere; quia in libro Pontificali per Clementem Octauum reformato adest rubrica, vt ordinati debeant offerre candelas accensas Episcopo ordinanti. Similiter Archidiaconus, & quilibet alius examinator nihil pro approbatione potest accipere, Concil. Trident. sess. 24. cap. 18. §. Caueantq; nec ante nec post examen, & ideo aduertere debent Episcopi, vt velint vti ministris timoratæ conscientiæ, prout Reuerendiss. D. Gioia Dragomanius meritissi-

21 mus Episcopus Pientiæ in Aetrisia, & olim Montis Pelusij, qui vtebatur ministris, & personis fidelibus, ac omni auaritiæ suspitione carentibus, prout vnus ex eis erat Dominus Paschalis Verronus D. D.D. & eiusdem Ecclesiæ Archidiaconus meritissimus, ac colendissimus meus præceptor, cui animæ multùm debeo, vir equidem probatæ, ac integerrimæ vitæ, & omni eruditione, & doctrina clarissimus, non solum latinis, sed etiam hæbraicis litteris eruditissimus, qui

23 Romæ tempore Gregorij XIII. cui multum fuit carus, Neophyteorum præfuit collegio. Item Notarij, seù Actuarij neque pro litteris dimissorijs, neque testimonialibus, neq; pro sigillo, quocumq; prętextu, & consuetudine non obstante, possunt aliquid accipere, etiam spontè oblatum, nisi decimam partem auri, idest carolenum vnum; quando nullum eis est constitutum salarium, vel vbi non viget laudabilis consuetudo nihil accipiendi, Conc. Trid. dicta sess. 21. c. 1. de ref.

Septimò

Septimò notandum est, quod sacra Congregatio declarauit, quòd licet Concilium Trident. non expresserit an vota examinatorum, qui in synodo sunt electi ad examinandum eos, qui concurrunt ad obtinenda beneficia, vel volunt ordinari ad ordines, palam, aut secretè fieri debeant, magis tamen expedit, vt examinatores palam inter se sua vota conferant, deinde Notario iubeant, vt in actibus simpliciter scribat non esse, vel esse approbatum, vt Romæ fit.

24 Octauò notandum est, quòd Episcopi non possunt ordinare nisi suos subditos tùm per antiquos canones, cap. 1. dist. 71. iuncto cap. salonitæ, dist. 3. tùm etiam per Concilium Trident. sess. 6. cap. 5. de reformat. & sess. 14. cap. 2. de reformat. & sess. 23. cap. 8. de reformat. Maiol. lib. 4. de irregul. cap. 5. Angel. in verb. irregularis, §. 32. Alfons. Viual. in candelab. aur. de suspens. num. 126. Et ideò sciendum est, quòd quis triplici modo fit de foro Episcopi, & efficitur subditus, Quarant. in verb. Ordo scilicet ratione originis, domicilij, & beneficij. Primò ratione originis est ille, qui natus est in Diœcesi glos. in cap. 1. in verb. alienigenas de vsur. lib. 6. l. qui ex vico, ff. ad municip. originarius, seù oriundus dicitur à sua propria origine, l. 4. C. de incol. lib. 10. Ioseph Ludouic. decis. Perus. 3. num. 16. similiter est inspicienda origo patris ad ordines suscipiendos; ita quòd ratione paternæ originis possit promoueri ad ordines ab Episcopo loci, in quo eius pater natus est, Nauar. cons. 19. de temp. ordinat. & non solùm sufficit, quòd sit natus in loco: sed quòd parentes ibi domicilium traxerint; Doctores in cap. Rodulphus de rescript. sed origo matris non inspicitur; nam filius sequitur originem patris, & non matris, l. 3. C. de municip. & origin. lib. 10. nisi pater esset naturalis; quia tunc inspicitur origo matris quoad filium illegitimum, l. 1. in fin. ff. de municip. & l. eius qui, ff. eod. item quando deest patris domicilium, maternum est sequendum, Barbos. de Episcop. potest. part. 2. allegat. 4. num. 26. Secundò ratione domicilij, vt si quis se transferat ad habitandum in aliquo loco, & declarat expresse se habere animum ibi contrahendi domicilium, l. ciues, C. de incol. lib. 10. cap. cum nullus, vbi glos. verb. domicilium de tempor. Ordin. lib. 6. Ma-
25 scard. de probat. conclus. 535. num. 13. & differunt domicilium, & habitatio; quia domicilium est locus originis, vel perpetuæ habitationis: habitatio autem est commoratio in loco non animo ibi permanendi, Ioseph. Ludouic. decis. Perus. 76. nu. 15. & sequitur quod qui non longo tempore degit in aliquo loco, habens tamen animum ibi perpetuò permanendi, potest ab illius Episcopo ordinari; Nauar. cons. 21. de temp. ord. in nou. sed animum expresse declarare debet,

& vltra

& vltrà verba, si emit aliquam possessionem, & maiorem partem bonorum transfert, Barbos. loco citato: sed si dubitatur de animo, quem quis nunquam declarauit recurrendum est ad coniecturas, vt si assidua probetur habitatio non minori tempore decem annorum,
26 lib. 2. C. de incol. lib. 10. Mascard. conclus. 354. numer. 7. similiter Barones, & eorum filij possunt promoueri ad ordines ab Episcopis, in quorum Dioecesi habent feudum, Barbos. loco citato allegat. 4. nu. 32. & 33. maximè in Regno, cum Barones sint primi ciues Marin. de sub feud. in 18. authoritate Baronis, & est regia pragmatica,
27 quæ incipit: Volumus autem, vt ipsi Barones sub tit. de Baronibus, & eorum officio, Vinc. de Franch. decis. 197. num. 1. Tertiò ratione beneficij, cap. cum nullus de temp. ordinat. lib. 6. Nauar. de hor. Canon. cap. 21. num. 11. quòd aliqui limitant, nisi beneficium esset tenue; quia ratione beneficij tenuis Episcopi non possunt conferre ordines, Quarant. in verb. Ordo, quæ opinio non sic de facili potest procedere; quia dictum cap. cum nullus, non explicat valorem beneficij: sed posset procedere, quando beneficium esset tenuissimum ratione pręsumptæ fraudis, vt si redderet quatuor ducatos, vel ad summum septem, Sot. de iust. & iur. lib. 11. qu. 5. art. 3. Barbos. allegat. 4. num. 46. in parte secunda.

28 Episcopi aduertere debent, ne in Ecclesijs sit multitudo Clericorum in minoribus; quia sanctius est Ecclesiam Dei paucos bonos, & litteratos Clericos habere, quam plures malos, & ignaros, cap. cum sit ars artium de ætat. & qualit. & cap. tales 23. dist. cum hodie videatur tanta Clericorum multitudo, quæ sine dubio vilipendium affert; & quòd peius, sunt adeo ignari, vt nomen Clericorum habere non merent, de quibus Episcopi strictè reddituri rationem sunt Deo.

Demum est notandum, quòd quamuis Ordo Sacer sit distinctus in septem partes, scilicet in Ostiarium, Lectorem, Exorcistam, Accolytum, Subdiaconum, Diaconum, & Presbyterum, tamē est vnum Sacramentum, & plenitudo eius est in Sacerdotio: sed in alijs est quædam participatio Ordinis, & omnes ordinantur ad vnum finem, videlicet ad Sacerdotium ratione consecrationis Corporis Christi, Tabien. in verb. Ordo. 1. num. 4. Syluest. in verb. Ordo. 1. numer. 2. Diu. Anton. part. 3. tit. 14. cap. 16. & hoc Sacramentum, sicut alia, institutum fuit à Iesu Christo D. N. Suarez de Sacrament. tom. 3. disput. 12. Henriq; in summ. lib. 2. cap. 1. quæst. vnic. Nauar. in cap. nouit. de iudic. & nouissimè diffinitum est per Concil. Trident. sess. 7. de Sacrament. in genere can. 1. Sed videamus de eius institutione.

Ostiarius est primus ex ordinibus minoribus, & fuit institutus à Christo,

Christo, quando eiecit ementes, & vendentes de templo; ideò quando quis ordinatur ad Ostiariatum, ei traduntur claues Ecclesiæ, vt sacras ædes aperire, recludere, & omnia, quæ sunt intus, & extra custodire, infideles, & excommunicatos expellere debeat, Graff. decis. aur. par. 2. lib. 1. cap. 9. nu. 6. Rodulph. Cupers in repetit. cap. oportebat, dist. 79. in tit. de Ordine Ostiarij, Carol. de Grass. in tract. de effect. Cleric. in præludio, num. 283.

Lector est secundus Ordo minor; & dicitur à legendo, cuius officium est legere lectiones, & veteris testamenti, ac Sacrarum historiarum libros populo pronuntiare, & ideò cum quis ordinatur ad talem ordinem, datur liber; & tunc D. N. Iesus Christus instituit hunc ordinem, quando in medio seniorum librum Isaiæ aperiens, & legens dixit: *Spiritus Domini super me*, Rodulf. Cupers in repetitione dicti cap. oportebat, in tit. de Ordine lectoris, art. 1. per totum, Carol. de Grass. loco citato, num. 285.

Exorcista est tertius Ordo minor, & ad ipsum pertinet manus super energumenos, & à malis spiritibus obsessos exorcizandos imponere, adiurando eos, vt exeat ab eis Sathanas; quod misterium pluries Dominus operatus est, vt legitur in pluribus Euangelijs, quod multos Dęmones expulsit: & ex hoc in eorum promotione traditur liber exorcismorum. Graff. & Carol. & de Grass. locis citatis, Rodulf. in dicto cap. oportebat, dist. 79. in tit. de Exorcistis art. 1.

Acolytus est quartus Ordo minor, cuius officium est luminaria, & vrceolos ad altare deferre, & omnia necessaria pro Eucharistiæ ministerio Subdiaconis præparare; & hoc vsus est Dominus, quando dixit: *Eg sum lux Mundi, qui sequitur me non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ*; ideò quando ordinatur, traditur candelabrum cum candela, & vrceolis, Carol. de Grass. loc. citat. num. 287. Graff. ibidem, num. 6. Rodulf. in eodem cap. oportebat. art. 2. Acolytus grecè latinè dicitur Ceroferarius, cap. Cleros, dist. 21.

Subdiaconus est primus Ordo Sacer, siue maior, qui ideò sic appellatur; quia subiacet præceptis, & officijs Leuitarum; & eius onus est oblationes percipere, calices, & patenam tractare, & ad sacrificium deferre vinum, & aquam in vrceolis. Diaconis administrare, mantile, seu manutergium tenere, & pro lauandis ante altare manibus, Sacerdotibus aquam præbere, & hoc officio functus est Iesus Christus D. N. quando linteo se præcinxit ad lauandos pedes discipulorum; & quando in nuptijs de aqua fecit vinum, & ideò in promotione dantur calix vacuus cum patena, & vrceoli cum vino, & aqua, bacile cum manutergio, Graff. & Carol. de Grass. locis citatis.

tis. Diaconus græcè latinè dicitur minister, d. cap. cleros dist. 21.

Diaconus est secundus Ordo Sacer, & officium Diaconi principale est gentibus prædicare verbum Dei, & Sacerdotibus in sacris Ecclesiæ actibus deseruire; quod officium D.N. exercuit, quando post cœnam Sacramentum sanguinis, & carnis ministrabat discipulis, & quando prædicabat Euangelium; & ideò in promotione assignatur ei liber Euangeliorum, & stola in modum iugi alteri tantumodò eius humero imposita. Rodulf. loco citato art. 1. n. 38. Carol. de Grass. loco citato num. 290. & Graff. vbi supra.

Præsbyteratus, seu Sacerdotium est tertius, & vltimus Ordo sacer, cuius officium est sacramentum corporis, & sanguinis Domini in altare Dei conficere; & tunc Dominus Apostolos Sacerdotes ordinauit, & dedit hanc potestatem, quando ipse ex pane corpus suum consecrauit, accipiens panem, ac dicens: *Hoc est corpus meum, Hic calix, &c.* & quando pro peccatis humani generis se ipsum in ara crucis, obtulit Patri; & sic habentes ordinem sacerdotalem possunt panem in corpus, & vinum in sanguinem Christi conuertere; & ideò in promotione traditur calix cum vino, & aqua, & patena cum hostia. Appellantur presbyteri, idest seniores, quod refertur tàm ad ætatem, quàm ad dignitatem: ex quo prudentia, & grauitate debent cæteris esse venerabiliores; de quorum Sacerdotum præeminentia, & dignitate, latè loquitur Cassan. in Catalag. glor. mund. part. 4. quasi per totum.

Et hi postremi Ordines dicuntur sacri, quia ordinati in eis, aut habent sacra tangere, aut sacramentum prospicere, Aluarez in specul. iuris Pontif. cap. 81. vers. circa istum articulum, sed Flamin. Paris. in tract. de resignat. benefic. lib. 5. quæst. 6. aliam ponit rationem, scilicet; quia in eis est annexum votum castitatis, non vt essentialiter, sed accidentaliter ex statuto Ecclesiæ, cap. nullum, & cap. decernimus, dist. 28. cap. 1. de vot. licet quatuor Ordines minores largo modo etiam sacri dicantur, Abb. in cap. clericis nu. 8. Ne cleric. vel monach. qui allegat glos. dist. 32. in summ. Carol. de Grass. de effect. cleric. in prælud. num. 296.

Sunt autem, qui dicunt, & præsertim Canonistæ nouem esse Ordines, connumerantes inter eos primam tonsuram, & Episcopatum; quæ quidem prima tonsura reuera non est Ordo, sed ianua, gradus, vel dispositio ad Ordines, vt dixit S. Thom. in summ. part. 3. qu. 35. art. 2. & q. 4. art. 2. Diu. Anton. part. 3. tit. 14. §. 6. Menoch. præsumpt. lib. 6. & præsumpt. 76. num. 37. Carol. de Grass. de effect. cleric. in præludio, num. 298. & alij allegati per ipsum. Episcopatus similiter

non

non est Ordo, sed Ordinum culmen, & dignitatum cacumen, immò dignitas dignitatum, cap. venerabilis de præbend. Barbat. in tract. de præstant. Cardin. part. 1. num. 16. ideò quandoque Episcopi vocantur Pontifices, quandoque summi Sacerdotes, cap. inclita, & cap. de persona 11. quæst. 1. & c. qui Ecclesiasticis, cap. si officia, dist. 59.

Et demùm pro complemento huius materiæ Ordinis Ecclesiastici, est notandum, quòd Clemens Octauus ad coarcendam temeritatem quorundam, qui ad sacrum presbyteratus Ordinem minimè promoti sunt, Sacerdotis tamen authoritatem sibi temerè assumentes, Missarum celebrationem vsurpare, & Sacramentum Pœnitentiæ Christi fidelibus ministrare præsumunt, edidit Constitutionem, quæ incipit: *Et si aliàs*, sub anulo Piscatoris die prima Decembris 1601. anno sui Pontificatus decimo, statuens, vt quicumque non promotus ad presbyteratus Ordinem repertus fuerit Missarum celebrationem vsurpare, vel sacramentalem confessionem audiuisse, à Iudicibus Sanctæ Inquisitionis, vel locorum Ordinarijs à foro Ecclesiastico abijciatur, & Ordinibus Ecclesiasticis, si quos habuerit ritè degradatus, statim Curiæ Seculari tradatur per Iudices seculares debitis pœnis plectendus.

C A P V T VIII.

De pœnis contra malè promotos, & Episcopos malè ordinantes.

S V M M A R I V M.

1 *Ordinatus ab alieno Episcopo sine litteris dimissorijs sui Episcopi est suspensus.*

2 *Ordinatus ante legitimam ætatem est ipso iure suspensus.*

3 *Episcopus potest dispensare cum ordinato ante legitimam ætatem, si delictum est occultum.*

4 *Ætas legitima ad ordines quæ sit.*

5 *Minores ordines quibus diebus possunt conferri.*

6 *Ordinatus sine titulo an sit suspensus.*

7 *Concilium Trident. sess. 21. cap. 2. de reformat. quas pœnas innouauit.*

8 *Episcopi alere tenentur suis sumptibus ordinatos ab eis sine titulo, & num. 9.*

9 *Prohibetur alienatio patrim. ad cuius tit. ordinatus est.*

10 *Episcopi non possunt dispensare, vt quis possit promoueri ad titulum patrimonij nisi pro vtilitate, vel necessitate Ecclesiæ.*

11 *Ordinari an possit aliquis ad titulum Ecclesiæ, cui ascribitur.*

12 *Tem-*

12 *Tempora ordinationum à iure statuta, quæ sunt.*

13 *Ordinatus ad duos sacros ordines eodem die est suspensus ab exequutione postremi ordinis.*

14 *Ordinatus ad ordines minores, & ad subdiaconatum eodem die an sit suspensus.*

15 *Ordinatus per saltum ad aliquem ordinem est suspensus.*

16 *Regulares, qui ordinantur sine titulo ante emissam professionem sunt suspensi.*

17 *Ordinatus in minoribus non seruatis interstitijs non est suspensus.*

18 *Episcopus conferens primam tonsuram infanti, siue illitterato est suspensus.*

19 *Infans quis dicatur.*

20 *Illitteratus ad effectum suscipiendi primam tonsuram quis dicatur.*

21 *Episcopus ordinans clericos alienos sine litteris dimissorijs sui Episcopi est suspensus.*

22 *Episcopus ordinans clericos in aliena Diœcesi sine licentia, est suspensus.*

23 *Episcopus in aliena Diœcesi ordinans non subiectos Ordinario, cuius est Diœcesis, est suspensus.*

24 *Episcopus ordinans Regulares non professos sine titulo, est suspensus.*

25 *Episcopus ordinans eodem die, & sequenti continuato ieiunio aliquem duobus maioribus ordinibus, est suspensus.*

26 *Episcopus ordinans minores legitima ætate est suspendendus.*

27 *Prælatus inferior Episcopo quantumcumq; Ordinarius, & exemptus non potest concedere litteras dimissorias ad ordines.*

28 *Episcopus ordinans Sacerdotem indignum, est suspensus.*

29 *Sacerdotij dignitas est maior omni dignitate sæculari.*

30 *Illitterati, qui dicuntur.*

31 *Suspensus si ordinatur, quando concelebrat cum Episcopo ordinante, an efficiatur irregularis.*

32 *Suspensus ab aliquo ordine ascendendo ad altiorem gradum, an fiat irregularis.*

33 *Suspensus ex eo, quòd ante legitimam ætatem est ordinatus, an elapso tempore suspensionis ipso iure restituatur.*

34 *Capitulum sede vacante non potest concedere litteras dimissorias ad ordines etiam ad primam tonsuram infra annum à die vacationis.*

35 *Archidiaconus an peccet interrogatus, nesciens ordinandos dignos esse, respondet, scio & testificor, &c.*

36 *Litteræ testimoniales ordinum si sunt deperditæ, quomodo probari possint.*

37 *Bulla Pij Secundi de malè promotis.*
38 *Decretum Congregationis pro negotijs iurisdictionalibus Regni Neapolitan circa ordinandos ad primam tonsuram, & minores ordines.*
39 *Littera dimissoria pro prima tonsura, & quatuor ordinibus minoribus sint dirigendæ vni, & certo Episcopo.*
40 *Suspensio tàm contra ordinantes, quàm ordinatos ad primam tonsuram, & ad ordines minores, non seruata forma decreti sacræ Congregationis.*

1 PRimò ordinatus ab alieno Episcopo sine litteris dimissorijs proprij Episcopi, est suspensus arbitrio sui Episcopi, tum per antiquos Canones, capit. 1. dist. 71. tum etiam per Concilium Trident. sess. 6. cap. 5. & sess. 23. cap. 8. de reformat. Simon. Maiol. de irregularit. lib. 4. cap. 5. Angel. in Verb. irregularis, §. 32. Alfons. Viual. in candelab. aur. de susp. n. 126.

2 Secundò ordinatus ante legitimam ætatem, est ipso iure suspensus per extrauag. Pij Secundi, quæ incipit: *Cum ex sacrorum*, quæ intelligitur de ordinibus maioribus, & non de minoribus, vbi habetur: promotum ad aliquem ordinem maiorem ante legitimam ætatem, aut ab alienis Episcopis, vel extra tempora ipso iure suspensum esse; & si in eiusdem ordinibus ministrauerit, irregularem effici, cum quo
3 solus Papa dispensare potest: verùm si delictum fuerit occultum, potest Episcopus dispensare ex decreto Concilij Trident. sess. 24. cap. 6. de reformat. quæ extrauag. Pij Secundi est innouata, & confirmata per Clementem Octauum per eius nouissimam Constitutionem editam pridie calend. Martij, anno 1591. quæ incipit. *Romanum Pontificem*

4 AEtas verò legitima ad ordines hodie secundum Concilium Trident. sess. 23. capit. 12. de reformat. est pro subdiaconatu annus vigesimus secundus, pro Diaconatu annus vigesimus tertius, & pro presbyteratu vigesimus quintus: & sufficit, quòd anni prædicti sint inchoati, licet non finiti. Nauar. in Manual. capit. 25. numer. 116. ordinandus verò ad primam tonsuram debet habere annos septem: Ostiarius autem, lector, & exorcista debent habere duodecim an-
5 nos, & Acolytus quatuordecim, Barbos. de offic. & potest. Episcop. part. 2. allegat. 11. numer. 1. & 2. & hi minores ordines sunt conferendi diebus Dominicis, & festis de præcepto, capit. 1. de tem-

tempor. ordin. Barbos. loco citato, numer. 18. & sunt conferendi de mane tantùm: prima verò tonsura potest conferri omni tempore, loco, & hora. Host. in cap. consultationi de temp. ordinat. Armill. in verb. Ordo numer. 7. & habetur in Pontificali Romano nuper edito.

6 Tertiò ordinatos aliquo ordine maiori sine titulo, visum est aliquibus esse suspensos per Concil. Trident. sess. 21. capit. 2. de reformat. vbi innouat antiquorum Canonum pœnas contra ordinatos sine titulo; & expresse tenet, & hanc opinionem defendit Maiol. de irregularit. lib. 4. numer. 15. quia de iure antiquo ordinatus sine titulo erat suspensus, hanc opinionem tenet etiam Nauarr. cons. 1. numer. 45. de constitut. & cons. vltim. de temp. ordin. per cap. neminem, & cap. sanctorum dist. 70. quibus erant suspensi ordinati sine titulo, Sanchez de Matrimon. lib. 6. disputat. 32. ad finem. Alij verò dixerunt contrarium, nempe ordinatum sine titulo non esse suspensum, quia ante Concilium Trident. Alexander Tertius in cap. cum secundum de præbend. dictam pœnam suspensionis sustulerat, & statuit, quod Episcopi eos, qui sine titulo, aut beneficio, de quo necessaria vitæ percipiunt, ordinassent, suis sum-
7 ptibus alere tenerentur, & Concilium Tridentinum innouauit solùm pœnas prædictorum Canonum, scilicet cap. cum secundum, & cap. Episcopus de præbend. quibus cauetur, vt Episcopi alere debeant suis sumptibus ordinatos ab eis sine titulo; & sic ordinatum sine titulo non esse suspensum, nec aliquam pœnam incurre-
8 re, sed Episcopum cogendum esse illi prouidere. Henriq. in sum. lib. 13. capit. 37. §. 2. & pro hac parte Gonzal. ad regul. 8. Cancellar. plures decisiones sacræ Congregationis adducit, Viual. in candelab. aur. tit. de suspensione, numer. 25. in fini. Sayr. de censur. lib. 4. capit. 14. numer. 16. sed Quarant. in Sum. Bullar. in verb. Ordo facit tres casus.

Primus casus est, quando carens titulo, exposuit suo Episcopo nullum habere titulum, & Episcopus hoc sciens, illum absque titulo ordinauit, tunc ordinatus non incurrit suspensionem, sed habet actionem contra Episcopum, vt sibi prouideat de aliquo beneficio, vel sibi præstet alimenta, dicto cap. cum secundum, & cap. Episcopus de præbend. & cap. accepimus, de ætat. & qualit. ordin.

Secundus casus est; quando quis exponit suo Episcopo se habere titulum, sed non sufficientem ad vitæ substentationem, & Episcopus

ſcopus non obſtante, quòd ſciebat patrimonium, ſeù beneficium eſſe tenue, eum ordinauit, & tunc ipſe ordinatus non incurrit ſuſpenſionem: ſed agere poteſt contra Epiſcopum ad ſupplementum alimentorum; cap. tuis de præbend. Franch. in dicto cap. Epiſcopus: ſed an titulus ſit ſufficiens, relinquitur arbitrio proprij Epiſcopi conſiderata qualitate, vel dignitate perſonæ, loci, & temporis.

Tertius caſus eſt, quando ordinatus fuit in culpa exponendo Epiſcopo ſe habere patrimonium ſufficiens, quod non habebat, vt ſi oſtendit Epiſcopo inſtrumentum donationis alicuius rei ſibi donatæ, cum pacto tamen inito cum donante, de ipſam rem donatam reſtituendo, quam poſt donationem retroceſſit ipſi donanti; & hoc caſu non habet actionem contra Epiſcopum pro alimentis, & ſecundum Quarant. loco citato incurrit ſuſpenſionem. Ita tenet etiam Nauar. in conſ. 14. & 46. de temp. ordinat. verumtamen ſi non præceſſit pactum, ſeu conuentio de retrocedendo rem donatam donanti, non incurrit ſuſpenſionem. Nauar. in Manual. capit. 27. numer. 158. quia ex Concilio Trident. in dicto capit. 2. prohibetur alienatio patrimonij, ad cuius titulum, quis eſt ordinatus, & ſic illa retroceſſio rei donatæ eſt nulla, & inualida, &
9 ſacra Congregatio, vt teſtatur Gonzal. in regul. octaua Cancellar. gloſ. 1. §. 10. numer. 24. cenſuit his verbis: Concilium Trident. renouat tantùm pœnas, cap. cum ſecundum de præbend. in hoc capite, & notatur apud Nauar. conſ. 1. numer. 45. de conſtit. eſt & alia declaratio his verbis: Ordinatus contra formam huius decreti ſine beneficio, aut patrimonio non eſt per hoc ſuſpenſus, nec aliquam pœnam incurrit, ſed cogendus eſt Ordinarius, ei prouidere iuxt. cap. cum ſecundum extra de præbend. & hic ſolus canon. & non alij à Concilio renouatus eſt; niſi ordinatus impoſuerit Ordinatori falsò ſe habere prouiſionem.

10 Et notandum eſt, quòd Epiſcopus non habet facultatem diſpenſandi, vt quis poſſit promoueri ad titulum patrimonij, niſi pro neceſſitate, vel vtilitate Eccleſiæ; vnde ſi non adeſt neceſſitas, vel vtilitas Eccleſiæ, non poteſt, cap. cum ceſſante, de appellat. Nauar. in conſ. 14. de temp. ordinat. Barboſ. de offic. & poteſt. Epiſcop. part. 2. allegat. 4. numero 55.

11 Sed an loco beneficij, vel patrimonij poſſit quis ordinari ad titulum, & portionem alicuius Eccleſiæ, cui adſcribitur, iux.

decre-

decretum Concilij Trident. sess. 23. cap. 6. de reformat. Resp. quòd potest secundum Sim. Maiol. de irregular. lib. 4. cap. 16. nu. 2. Garz. de benefic. part. 2. cap. 5. num. 10. vbi dicit, quod potest Episcopus ordinare suos subditos ad ordinem Subdiaconatus, & Diaconatus ad titulum, & portionem Ecclesiarum matricum, non obstante, quòd non participent de fructibus illarum, nisi post susceptum presbyteratus ordinem; facit etiam Breue Sixti Quinti sub anulo Piscatoris die 30. Decembris 1590. directum Patriarchæ Veneto, quod incip. *Romanum Pontificem*, in quo habetur, quòd qui vitâ, moribus, doctrina, & alijs qualitatibus à iure requisitis idonei reperti fuerint, quique titulo beneficij, vel annuæ pensionis non sunt prouisi, aut patrimonialia, aliaque non possideant, alicui Ecclesiæ de consensu tamen Rectoris fuerint adscripti, ex cuius seruitio aliquid ad substentationem vitæ, & victus capere possint, & dummodò ab eadem Ecclesia, cui adscripti fuerint, vllo vmquam tempore recedere possint, & debeant, nisi de beneficio, aut aliqua pensione ei prouisum fuerit, ad quatuòr ordines minores, nec non sacros etiam presbyteratus promoueri licitè, & liberè possint, & valeant, non obstantibus, &c. Hinc est, quòd si aliquis ascribi voluerit seruitio alicuius Ecclesiæ cathedralis, siue collegiatæ, vel parochialis, debet habere prius consensum, & licentiam Capituli, & Rectorum Ecclesiarum, vt dicitur in dicto Breui Sixti Quinti in illis verbis: De consensu tamen Rectoris, &c. & ita fuit dispositum per Gregorium XIII. ad fauorem Capituli Ciuitatis Tarenti, dum hæc quæstio verteretur inter ipsum Capitulum, & Archiepiscopum Tarentinum per hæc verba: Insuperq; quòd clericorum eiusdem Metropolitanæ Ecclesiæ seruitio addictorum, vel addicendorum electio, siue aggregatio ad clerum, & Capitulum, seu Canonicos prędictos absque aliqua ipsius Archiepiscopi, siue eius Vicarij confirmatione, institutione, vel approbatione pertineat; ita tamen vt electi, & aggregati huiusmodi ab ipso Archiepiscopo, seu eius Vicario mandatum de se se ad dictum gremium admittendis, prout hactenus consuetum extitit, petere teneantur; ac reseruato eidem Archiepiscopo iure, & facultate omnes ordines conferendi, licentiamque eisdem clericis de se promouendo, concedendi, ac eosdem ad sacramentorum administrationem admittendi, idoneos tamen præuio examine approbandos, &c. vt per Breue dicti Gregorij XIII. sub anulo Piscatoris die 2. Maij 1579. Pontificatus sui anno septimo.

12 Quartò ordinatus aliquo ordine maiori extra tempora à iure statuta, est ipso facto suspensus, cap. sanè, & cap. cum quidam, de temp.

ordinat. & per dictam extrauag. Pij II. Tempora autem à iure statuta sunt Sabbata quatuor temporum, Sabbatum ante Dominicam de Passione, & Sabbatum Sanctum, cap. ordinationes, dist. 75. cap. de eo autem, de temp. ordinat.

13 Quintò recipiens eodem die duos maiores ordines, est suspensus ab executione ordinis posterioris, cap. litteras, de temp. ordinat. Nauar. in Manuali, cap. 25. num. 71. cap. dilectus, iuncta glos. de temp. ordin.

14 Sextò recipiens eodem die minores ordines, vel alterum eorum, & Subdiaconatum, est suspensus ab ipso Subdiaconatus, cap. 2. de eo, qui furt. ordin. recep. nec valet consuetudo in aliquibus Ecclesijs, vt vno die possint conferri vltimus ex ordinibus minoribus, & Subdiaconatus Maiol. de irregularit. lib. 4. cap. 11. num. 1. Ignat. Lopez in addit. ad pract. Diaz cap. 25. in verb. Vna, & eadem die, Menoch. de arbitr. iudic. cas. 564. centur. 6. qui dicit, quòd Concilium Trident. substulit omnem consuetudinem in contrarium, Carol. de Grass. de effect. Cleric. in prelud. num. 34. quidquid dicat Nauar. in Manual. cap. 25. num. 71. cuius opinio tenetur.

15 Septimò Ordinatus per saltum est suspensus, cap. sollicitudo, dist. 5. & cap. vnic. de Cleric. per salt. promot. sed super dicta suspensione, si non ministrauerit, Episcopus potest dispensare, Concil. Trid. sess. 23. cap. 14. de reformat. & sacra Congregatio Concilij intelligendum esse censuit de ordinibus tàm maioribus, quàm minoribus, & Nauar. in Manual. cap. 25. num. 71. dicit, quòd Episcopus potest dispensare, modò antequam vtatur dispensatione, omissum ordinem suscipiat.

16 Octauò Regulares, qui nō emiserunt professionem, si ad ordines maiores promouentur sine titulo, sunt suspensi, siue sint ex religione, quæ solet emittere professionem, siue non solet, ex quocumque Ordine, aut Congregatione clericorum secularium viuentium in communi more Religiosorum, per Constitutionem Pij Quinti, quæ incipit: *Romanus Pontifex*, idibus Octobris anno 1568. à qua Gregorius XIII. in quadam eius Constitutione exemit clericos Societatis Iesu.

17 Demùm notandum est, quòd licet ordines minores per temporum interstitia conferendi sint, Concil. Trident. sess. 23. cap. 11. de reformat. tamen qui aliàs canonicè ordinatus est, sed non seruatis interstitijs temporum, quamuis ab Episcopo suspendi, & alijs pœnis ob canonis trangressionem puniri possit, ipso tamen iure nec suspensus, nec irregularis est; cum neque à Concilio Trident. neque à iure talis

pœna

pœna imposita sit ei, qui non seruatis interstitijs ordinatur, Nauar.in consl.4. de temp. ordinat. Modo videamus de pœnis Episcoporum malè ordinantium.

18 Primò, Episcopus non potest conferre primam tonsuram clericalem infanti, siue illiterato, & contrafaciens in eo, in quo delinquit, punitur; quia à collatione clericalis tonsuræ dumtaxat est ipso iure

19 suspensus per annum, cap. fin. de tempor. ordinat. lib.6. Infans autem dicitur is, qui nondum septennium compleuit, glos.in dicto cap.

20 fin. in Verb. infanti, Sayr. de censur. lib.4.cap.12. num.18. Et illiteratus, ad effectum suscipiendi primam tonsuram, est ille, qui nescit legere, & scribere, Concil. Trident. sess.23. cap.4. de reformat.

21 Secundò, Episcopus ordinans clericum alienum sine litteris dimissorijs sui Episcopi, à collatione ordinum est suspensus, cap. cum nullus, cap. eos de temp. ordinat. lib.6. Concil. Trident. sess.23.cap. 8. de reform. nec Episcopus, cui Concilium Trident. sess.23. cap.9. de reformat. concedit, vt possit ordinare suum familiarem triennalem, potest cum eo dispensare super interstitijs, vt supra dictum est in cap. præcedenti, num.18. nec super defectum natalium ad ordines minores, vt potest proprius Episcopus, Nauar. consl.26. & 27. de temp. ordinat. quia sublato vno impedimento non censetur alterum sublatum distinctum, cap. ex tuarum, de auth. & vs. pall.l. si domus, ff. de seruit. vrban. præd. sed in hoc impedimentum duplex concurrit, videlicet defectus subiectionis, & impedimentum irregularitatis: sublato ergo priori, non aufertur posterius; item quia à separatis non fit illatio, cap. ad audientiam, de decim.l. Papinianus, ff. de minor. sed potestas ordinandi concessa à Concilio, est separata à potestate dispensandi.

22 Tertiò, ordinans in alienà Diœcesi sine expressa Ordinarij loci licentia, ab exercitio pontificalium per annum est suspensus, Concil. Trident. sess.6. cap.5. & sess.14. capit.2. de reformat. ordinatus autem ab exequutione ordinum susceptorum est suspensus ad arbitrium proprij Episcopi, dicto cap.2. sess.14.

23 Quartò, Episcopus in aliena Diœcesi ordinans etiam de licentia Ordinarij loci, si tamen ordinat personas eidem Ordinario non subiectas, suspensionem incurrit, Concil. Trident. sess.6. cap.6. & sess. 14. cap.2. de reformat. nisi ordinati haberent litteras dimissorias generales, vt possint ordinari à quocumq; Episcopo, prout sacra Congregatio Concilij per decretum eiusdem Concilij sess.23. cap.10. de reformat.

24 Quintò, Episcopus ordinans Religiosos, siue Seculares more Re-

ligiosorum in communi viuentes, qui nondum professionem emiserunt, siue solent, siue non emittere sine legitimo titulo beneficij, vel patrimonij, iux. cap. 2. Concil. Trident. sess. 21. de reformat. per annum a collatione talium ordinum ipso iure est suspensus, vt in dicta Constitutione Pij Quinti, quæ incip. *Romanus Pontifex*, 1568. ne sic promoti, & à claustro exeuntes, & per sęculum vagantes, vel mendicare, vel sordidum quæstum exercere, non sine eorum dedecore, & ordinis vilipendio cogantur, Concil. Trid. in dicto cap. 2. exceptis clericis societatis Iesu, vt supra, num. 16. dictum est.

25 Sextò, Episcopus conferens duos ordines maiores vno die, vel die sequenti continuato ieiunio, à collatione eorundem Ordinum est suspensus, donec à Sede Apostolica gratiam meruerit obtinere, cap. literas, & cap. dilectus, de tempor. ordinat.

26 Septimò, Episcopus ordinans minores legitima ætate, vel extra tempora est suspendendus, cap. vel non est compos, de tempor. ordinat. cap. si qui Episcopi, 1. q. 1.

27 Octauò, quicumque Prælatus inferior Episcopo, etiam si sit exemptus, non potest concedere licentiam, seu litteras dimissorias suscipiendi ordines, sed illas concedere debet Episcopus, in cuius Diœcesi locus est situs, & si nullius sit Diœcesis Episcopus vicinior, Concil. Trident. sess. 23 cap. 10. de reformat. & ita pluries censuit sacra Congregatio eiusdem Concilij, vt supra præcedenti cap. n. 8. dictum est.

28 Nonò, ordinans Sacerdotem indignum, & qualem esse non decet, à collatione ordinis est suspensus, cap. si qui Episcopi 1. quæst. 1. quod intelligitur solùm de ordinante Sacerdotem; quia si ordinaret Diaconum, vel Subdiaconum, non habet locum ista suspensio, glos. ibidem in verb. illi, quæ dicit etiam, quod poterit conferre alios ordines: non autem Sacerdotium, quia cum cap. loquatur de Sacerdotio, non est extendenda Arg. cap. litteras de tempor. ordinat. Sayr. de censur. lib. 4. cap. 14. num. 17. Hinc notandum est, quòd inter alias qualitates, quæ indignos faciunt Sacerdotes, præcipuè est litterarum ignorantia, cap. illiteratos, dist. 36. cap. pœnitentes, dist. 55. cap. cum in cunctis, de elect. cap. fin. de tempor. ordinat. lib. 6. & meritò hanc Patrum veterum optimam constitutionem in Ecclesia Dei tàm salubrem, & necessariam innouauit Concilium Trident. sess. 23. cap. 14. de reformat. ideò summa ope niti debent Episcopi eos tantùm ad ordines, & maximè ad Sacerdotium promouere, quos litterarum scientia, doctrina, & probata vita dignos facit, cap. nisi cum pridem, §. pro defectu de renunt. & propterea Io. Monac. & Cardin. in cap. cum ex eo, de elect. aiunt. Ecclesiam Dei indigere viris litteratis, & non asinis

29 asinis ferratis; Sacerdotij enim dignitas est maior omni dignitate seculari; vnde tex. in cap. duo sunt dist. 96. ait, quòd aurum non tàm preciosius est plumbo, quàm regia potestate sit altior ordo sacerdotalis, & Abb. in cap. solitæ, de maior. & obedient. dicit, quòd nulla dignitas laicalis est similis Sacerdotio; hinc est quòd de Sacerdote bonæ opinionis, & famæ nihil mali est suspicandum, cap. absit 11. q. 3. immò nefas est sacerdotibus detrahere, cap. sacerdotes 6. qu. 1. vndè Sacerdotes ipsos secundum Chrysostomum lib. 3. de Sacerdotio, meritò non modò plus vereri debemus, quàm vel Principes, vel Reges: verùm etiam maiori honore, quàm parentes proprios honorare; hi enim sanguine nos genuerunt: illi verò authores nobis sunt natiuitatis eius, quam à Deo habemus beatæ regenerationis illius libertatis veræ, atque adeò adoptionis eius, qua nos per gratiam filij Dei sumus effecti; & hisce temporibus nostris miserrimis propter imperitiam Sacerdotes effecti sunt contemptibiles, sed quanta, & qua-
30 lis scientia requiratur in promouendis, vide Concilium Trident. sess. 23. cap. 11. 13. & 14. de reformat. vbi illitterati dicuntur ad ordines minores, qui saltem linguam latinam non intelligunt; ex quo conijci potest, quæ scientia requiratur ijs, qui promouendi sunt ad ordines maiores; cum in minoribus requiratur saltèm intelligentia linguæ latinæ; illitteratus enim est irregularis, cap. illitteratus, dist. 36. & hodie Concilium Trident. sess. 23. cap. 4. & 11. de reformat. videtur facere irregularem etiam ad primam tonsuram eum, qui nescit legere, & scribere; & ad quatuor ordines minores eum, qui saltem linguam Latinam ignorat, Nauar. in Manual. cap. 27. num. 205. qui in tract. de horis Canonicis cap. 7. num. 6. dicit hæc verba, Magna laude dignos esse Episcopos, qui primam tonsuram, & quatuor ordines minores non conferunt nisi ei, qui per se, si fuerit adultus, aut per parentes, si puer iurauerit se velle legitimo tempore ascendere ad maiores; è diuerso vituperio dignos esse eos, qui nullo præuio examine faciliùs omnibus petentibus eos conferunt, quàm in macello conferuntur carnes illis pro suis nummis petentibus, hæc ille; & ob hoc assiduis laudibus dignus est Gioia Dragomannius Episcopus Pientiæ in Hetruria, qui dum præfuit nostræ Ecclesiæ Montispilusij non nisi delectos, dignos, litteratos, vita probatos, ac Ecclesiæ vtiles, & necessarios promouebat.

31 Sed quæro, an ille, qui quando ordinatur ad Sacerdotium, non habet legitimam ætatem vel alia requisita, ob quæ incidit in suspensionem, concelebrando cum Episcopo ordinante, fiat irregularis? Resp. negatiuè, quicquid dicant Nauar. in cons. 4. de cler. excom.

mini-

ministr. Sorb. in compendio priuileg. Regul. in Verb. Ordines sacri, Couar. in cap. alma mater, part. 2. nu. 3. vers. septimo de sent. excommunic. Quarant. in summ. Bullar. in Verb. Ordo; quatenus velint fieri irregularem, quia probabilior, & verior sententia est non fieri irregularem, Barthom. Medin. de instruct. Confess. lib. 1. cap. 11. §. 8. vbi asserit ordinatum ante tempus celebrantem Missam cum Episcopo ipsum ordinante, irregularem non esse; quia Ecclesia reputat pro prima missa illam solùm, quam quis per se celebrat, idem tenet Henriq. de irregularit. capit. 3. §. 6. in fin. Sayr. de censur. lib. 4. capit. 16. num. 23.

32 Secundò quæro, an suspensus ab aliquo ordine, si ascendit ad altiorem ordinem absque eo, quòd illos exerceat, efficiatur irregularis? Resp. quòd secundum Couar. in dicto cap. alma mater, loco citato, & Maiol. de irregularit. lib. 4. cap. 34. num. 1. & 2. efficitur irregularis, sed Sayr. de censur. lib. 4. cap. 16. num. 22. tenet contrarium, & probat validissimis rationibus irregularem non fieri, cuius opinioni tamquam iuri consonæ, & magis æquè adhęreo.

33 Tertiò, si aliquis est suspensus eo, quòd ante legitimam ætatem est ordinatus, & non exercuit ordinem susceptum, an perueniente ætate legitima, possit absque dispensatione exercere illum ordinem absque incursu irregularitatis? Resp. de iure affirmatiuè per glos. in clem. 1. in verb. donec, de sent. excomm. & melius glos. in clem. generalem in verb. obseruantiam in fin. de ętat. & qualitat. & ita tenet Sorb. in Compend. priuileg. Regular. in verb. Ordines sacri, vers. item notandum secundò; & tantò magis, qui se abstinuit ab exercitio ordinis vsq; ad legitimam ætatem, putans id sibi licere bona fide, postea ordinem exercuit per ea, quæ voluit, glos. in cap. solet in verb. in officijs de sent. excomm. lib. 6. & Card. in clem. 1. de priuileg. sed contrarium audio obseruari in Romana Curia, & ratio potest esse, quia licèt de iure communi pręditca procedere possent, tamen post Bullam prædictam Pij II. quæ incip. *Cum ex sacrorum*, per quam suspenduntur ordinati ante legitimam ætatem ipso iure, quæ verba ipso iure inducunt perpetuitatem, nam quando in sententia iuris non apponitur præfinitum tempus poenæ, illa poena perpetua censetur, cap. si autem vbi glos. in verb. spoliare de cohabitat. cler. & mulier. & in cap. cupientes §. cæterum in verb. perpetuo de elect. lib. 6. c. 1. dist. 50. & l. seruus C. de poen. ideò efficitur irregularis si exercet ordinem, etiam adueniente ætate absque dispensatione prius obtenta.

34 Sed notandum est, quòd Capitulum sede vacante licet de iure communi poterat concedere litteras dimissorias ad ordines statim quòd suc-

succedebat sedes vacans, per tex. in cap. cum nullus de temp. ordinat. lib. 6. hodie tamen non potest, nisi post annum a die vacationis per Concil. Trid. sess. 7. cap. 10. & sess. 23. cap. 10. de reformat. vbi est apposita pœna interdicti, quæ pœna in dicto cap. 10. sess. 23. extenditur etiam ad illos, qui, easdem litteras non à Capitulo, sed ab alijs quibusuis in iurisdictione Episcopi loco Capituli sede vacante succedunt, impetrant, vt sunt Vicarij Capitulares, & sic ordinati, si in minoribus constituti fuerint nullo priuilegio clericali, præsertim in criminalibus gaudent, in maioribus verò ab executione ordinum ad beneplacitum futuri Prælati sunt ipso iure suspensi, sed fallit in vno casu, quando scilicet aliquis est ordinandus ratione beneficij recepti, siue recipiendi, vt habetur in dicto cap. 10. sess. 7. quòd intelligendum est si illud beneficium talem ordinem requirat, Henriq. lib. 13. de excommunic. & interd. quòd ampliatur etiam ad litteras dimissorias ad primam tonsuram, glos. in c. 1. in verb. clericum de temp. ordin. lib. 6. Maiol. de irregularit. lib. 4. cap. 2. Quarant. in summ. Bullar. in verb. Capitulum sede vadante vers. decimo quarto, quia secundum Canonistas prima tonsura est ordo cap. cum contingat, vbi Doctores de ætat. & qualit. glos. in cap. eos, qui in verb. ordinare de temp. ordinat. lib. 6. Ricc. in decis. 23. Curiæ Archiep. Neapolit.

35 Item notandum est, quòd non peccat Archidiaconus, quando interrogatus ab Episcopo ordinante, an sciat ordinandos dignos esse, respondet: scio, & testificor illos dignos esse, cap. vnic. de scrutin. in ordin. facien. licet ipse non examinauerit, dummodò contra cōscientiam non testificetur; quia, quem indignum non nouit, dignum existimare debet.

36 Similiter notandum est, quòd si litteræ testimoniales ordinum receptorum fuerint deperditæ, potest ordinatio per testes probari, per publicam famam, vel per iuramentum concurrente fama; quia ea, in quibus non agitur de præiudicio alicuius iuramento probari possunt, Nauar. cons. 4. de præsumpt. vel si quis esset bonæ famæ, & longo tempore in ordine ministrauerit, licet non habeat litteras, præsumitur ordinatus. Innoc. in cap. innotuit de cler. per salt. promot. posset tamen probari contrarium: sed opponenti incumbit onus probandi, Felin. cap. super his, num. 18. de accusat. & tanto magis si quis ostenderit bullam, qua constiterit fuisse ordinatum in sacerdotali ordine, præsumitur præcedentibus ordinibus fuisse insignitum, & non tenētur aliorum ordinum bullas exhibere, Innoc. cap. 1. de cler. Peregrin. Abb. in cap. nisi de præbend. quia posito subsequenti, supponitur antecedens, Bal. in l. 2. C. de dot. promiss. vbi ex solutione vsurarum,

debi-

debitum principale sortis probatur, vide Ignat. Lopez in addit. ad pract. Diaz. cap.24.

Et vt dicta Constitutio Pij II. de qua supra pluries fecimus mentionem, præ manibus habeatur, libuit hic inserere.

37 Pius Episcopus seruus seruorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Cum ex sacrorum ordinum collatione character inuisibilis animæ imprimatur, sacra misteria dispensentur, & ipsorum cura tribuatur animarum, in eorum susceptione excessus graues, tantò magis plectendi sunt, quantò ex illis maiora in mentibus fidelium scandala generantur. Cùm itaq; sicut dignorum relatione, non nisi molestè accepimus, non nulli clerici extra tempora à iure statuta, quidam ante legitimam ætatem, aliqui verò sine dimissorijs litteris contra sanctiones canonicas se faciunt ad ordines promouere. Nos eorundem temeritatem tali castigatione reprimentes, vt alijs in posterum committendi similia aditus præcludatur, authoritate hac Apostolica perpetua valitura statuimus, & ordinamus, quod omnes, & singuli, qui absq; dispensatione canonica, aut legitima licentia, siue extra tempora à iure statuta, siue ante legitimam ætatem, vel absq; dimissorijs litteris ad aliquem ex sacris ordinibus se fecerint promouere, à suorum ordinum exequutione ipso iure suspensi sint; & si huiusmodi suspensione durante in eisdem ordinibus ministrare præsumpserint, eo ipso incurrant irregularitatem, præter alias pœnas in tales generaliter inflictas, beneficijs Ecclesiasticis possint iure priuari. Volumus autem, quòd præsens Constitutio in Romana Curia existentes post quindecim dies, absentes Italicos post duos menses, alios verò vltra montanos post sex menses ab ipsius in Audientia contradictarum, & Cancellaria Apostolica publicatione, & affixione ligare incipiat. Nulli ergo hominum &c. Datum Romæ apud sanctum Petrum anno ab Incarnatione Dominica 1461. xv. calend. Decembris, Pontificatus nostri anno quarto. Sed post hæc scripta emanauit infrascriptum decretum à Romana Curia.

38 Sacra Congregatio Cardinalium negotijs iurisdictionalibus Regni Neapolitani præpositorum, iustis grauibusque adducta causis de Sanctissimi D. N. Gregorij XV. speciali ordine viuæ vocis oraculo desuper habito expresse præcipit, & mandat omnibus, & singulis eiusdem Regni Archiepiscopis, & Episcopis, & alijs inferioribus legitimam facultatem habentibus, vt antequam ad primam tonsuram, siue ad minores ordines aliquem promoueant, Parocho, seù alteri, cui magis expedire videbitur, committant, vt nominibus, & desiderio eorum, qui volunt promoueri publicè in Ecclesia propositis de ipso

ipsorum ordinandorum natalibus, ætate, moribus, & vita à fide dignis diligenter inquirat, & litteras testimoniales ipsam inquisitionem factam continentes, ad ipsum, committentem quam primum transmittat, ad hoc, vt tam ab his, & alijs ex sacri Concilij Trident. præscripto in capit. 7. sess. 23. de reform. adhibendis diligentijs sibi constet promouendos illis esse qualitatibus præditos, quæ per sacros Canones, idemque Concilium requiruntur, quod, & obseruent, & in litteris dimissorijs concedendis, in quibus exprimatur pręfatas di-
39 ligentias præcessisse, dictæ autem litteræ dimissoriæ vni tantum, & certo ordinario ad electionem concedentis in posterum dirigantur,
40 & pluribus directæ sint nullæ, prædictaque vult inuiolabiliter obseruari, donec aliud fuerit ordinatum, si qui verò contra formam præsentis decreti fuerit ad primam tonsuram, siue ad minores ordines promotus ab exequutione collati ordinis, & à susceptione superioris perpetuò suspensus sit, & vlterius condignis pœnis puniatur, Ordinans verò, vel dimissorias concedens vltra diuinam vltionem, quam incurret à collatione ordinum per annum suspensus sit eo ipso. Præterea eisdem Ordinarijs enixè iniungit, vt decreta per sacros Canones, sacrumque Concilium, & Apostolicas Constitutiones, quo ad delationem clericalis habitus, & tonsuræ, seruitiumque Ecclesiæ pręstandum, ita curent per huiusmodi clericos obseruari, & in eos, qui contra fuerint statutis per ea animaduertere, vt ipsi nequeant de damnabili circa hæc negligentia redargui. Romæ x. calend. Iulij 1623. Oct. Cardin. Bandinus, Lau. Cap. Secret. Locus Sigilli.

CAPVT IX.

De visitandis liminibus Apostolorum per Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, & Episcopos.

SVMMARIVM.

1 *Patriarchæ, Primates, Archiepiscopi, & Episcopi tenentur visitare limina Apostolorum.*
2 *Tempus visitandi limina Apostolorum quando incipit currere.*
3 *Episcopi, & alij Superiores Prælati non visitantes limina Apostolorum, qua pœna puniuntur.*
4 *Liminum appellatione, quid intelligatur.*

QVoniam ex antiquitate constat ad solemnitatem Sanctorum Petri, & Pauli Apostolorum ex diuersis Orbis regionibus inume-

numerabilem hominum multitudinem religionis ergo Romam, & præcipuè Episcopos confluere consueuisse, vt ex Epistola decima tertia Paulini ad Seuerum, & decima sexta ad Delphinum clarè patet, vbi solemnem hanc appellat consuetudinem, satis exploratum habetur, vt semel in anno omnes Episcopi limina adirent Apostolorum, Anacleti, & Zachariæ summi Pontificis decretis statutum
1 est, cap. iuxta sanctorum, dist. 93. vbi habetur; quod Episcopi omnes debeant personaliter visitare limina Apostolorum, omni occasione remota, si propinqui sint, sin verò remoti non personaliter, sed per chirographum hoc adimplere debeant, & habetur etiam in cap. ego de iureiur. Hinc Sixtus V. in sua Constitutione edita anno 1585. decimo tertio calend. Ianuarij, Pontificatus sui anno primo, quæ incipit: Romanus Pontifex statuit, & ordinauit, quod omnes Patriarchæ, Primates, Archiepiscopi, & Episcopi per vniuersum orbem constituti, etiam si Cardinalatus honore præfulgeant, statutis quidem temporibus personaliter, ac per seipsos beatissimorum Apostolorum Petri, & Pauli limina visitare debeant, aut si legitimè impediti fuerint per certum nuntium ad id speciale mandatum habentem de gremio suorum Capitulorum, aut alium in dignitate Ecclesiastica constitutum, seù alias personatum habentem, aut si huiusmodi hominem Ecclesiastica dignitate, aut si huiusmodi hominem Ecclesiastica dignitate, aut personatu præditum non habeant, per Diœcesanum sacerdotem, & si clero careant, omninò per aliquem alium presbyterum sęcularem, vel Regularem spectatę probitatis, & religionis, benè de omnibus instructum hoc ipsum adimpleant.

2 Tempus, vt hoc debitum visitationis officium fieri debeat, est, quòd omnes Primates, Archiepiscopi, Patriarchæ, & Episcopi, Itali videlicet, vel Italicis insulis, vndè in Italiam traijci potest, veluti Siculi, Sardi, Corsi, & alij adiacentium Prouinciarum Italiæ, ac etiam Dalmatiæ, & Græcarum, quæ è regione Italiæ, & Siciliæ oris sunt, tertiò anno.

Germani verò Galli, Hispani, Belgæ, Boemi, Vngari, Poloni, Angli, Scoti, Hiberni, & cæteri omnes, qui in Europa sunt citra mare Germanicum, ac omnium insularum maris Mediterranei, quarto anno.

Et qui intra Europæ fines his prouincijs remotiores, ac etiam Africam littoribus nostris aduersi, ac insulę maris Oceani septemtrionalis, & Occidentalis Europæ, & Africæ citra continentem noui Orbis, tàm qui nunc sunt, quàm qui ad catholicam fidem per misericordiam Dei aliquando redierint, quinto anno.

Asia-

Asiatici verò, & qui extra Asiam, & in alijs nouis terris Orientalibus, & denique in quibuslibet Mundi partibus decimo anno iter suscipere debent, & Deo concedente perficiant, idemque insti utum tertio quoque quarto, & quinto, & decimo anno repetant, & obseruent.

Hæc autem annorum spatia à tempore suscepti muneris consecrationis, vel pallij traditionis, aut translationis ad Ecclesiam aliam incipiant, & ne longius differatur iter, statuit; quòd tempus qualecumque excursum alicui ex supradictis Præsulibus, qui siue morte præuentus, siue alia quacumque de causa ob non finitum tempus ei præfixum, & præscriptum, dicta limina non visitauerint, ita illius successoris effluxisse, & excurrisse intelligatur, vt termino ipso iuxta prædicta non completo, debitam tunc visitationem, quamprimùm conficere teneantur.

Qui verò iam sunt ordinati, aut pallium à sede Apostolica susceperunt, aut ad aliam Ecclesiam translati, prout cuique distantia locorum, & temporum interualla præscripta sunt ad prædicta omnia obseruanda à die publicationis præsentis Constitutionis omninò teneantur; & in virtute sanctæ obedientiæ iubet supradictis omnibus Antistibus præsentibus, & futuris, vt visitationem prædictam sibi, suisque Ecclesijs adeò vtilem, & necessariam iuxta prædictam formam omninò conficere teneantur.

3 Si verò non egerint, eos ab ingressu Ecclesiæ, & ab administratione tàm spiritualium, quàm temporalium, necnon à perceptione fructuum suarum Ecclesiarum à Capitulis omni exceptione, ac mora cessante interim liberè exigendorum, & in opus fabricæ, siue ornamentorum Ecclesiæ emptionem, prout maior exegerit necessitas insumendorum ipso facto, tandiù suspensi remaneant, donec à contumacia resipiscentes relaxationem suspensionis huiusmodi à sede Apostolica meruerint obtinere. Hæc in dicta Constitutione.

4 Sed notandum est, quòd appellatione liminum Apostolorum secundum Abb. in dicto cap. ego N. num. 6. de iureiurand. intelligitur Curia Romana, vbi dicit, quod Roma censetur esse, vbi est Papa.

Adueniente ergo tempore dictę sacrarum liminum visitationis faciendæ, qui ad id perficiendum tenetur, debet personaliter ad Vrbem accedere, & sui Pastoralis officij rationem reddere, ac totius eius Ecclesiæ status relationem facere, sed si fuerit legitimè impeditus, vt si fuerit infirmitate detentus, debet per certum nuntium, seu procuratorem de gremio sui Capituli ad id speciale mandatum habentem, cum documento legitimi impedimenti hoc ipsum adimplere, cum re-

latione

latione status Ecclesiæ ad sacram Concilij Tridentini Congregationem transmittenda, cum subscriptione, & sigillo ipsius Prælati. Forma autem dictæ relationis solet esse talis, vel similis.

Ciuitas Montispelusij est sita in finibus Prouinciæ Lucaniæ, quæ vulgò Basilicata dicitur, sub ditione Nicolai Grimaldi nobilissimi Genuensis. Cathedralis Ecclesia sub inuocatione Beatæ Mariæ Virginis, Sanctæ sedi Apostolicæ, immediate subiecta habet Campanile cum sex Campanis, & organum, Sacrarium quoq; varijs Sanctorum Reliquijs exornatum, præcipuè Brachio sanctæ Euphemiæ Virginis, & martyris de Calcedonia eiusdem Ciuitatis patronæ, & tribus spinis Coronæ D. N. Iesu Christi in Sacristia suppellectili oportuno, & necessario satis abundè conferta decenter asseruatis. Eidem Ecclesiæ ministrant quatuor Dignitates, videlicet, Archidiaconus, qui maior est Pontificalem, Archipresbyter, Cantor, & Primicerius, & quatuordecim Canonici, cum vigintiquinque circiter præsbyteris, quos Capellanos appellant; quorum omnium tertia pars in qualibet hebdomada Ecclesiæ deseruit; in Dominicis verò, & festis de præcepto omnes conueniunt. Animarum cura per Archipresbyterum, & tres alios coadiutores de gremio Capituli in tota Ciuitate exercetur, nec adest alia Parochialis, vel Collegiata Ecclesia. Diœcesi omninò caret, habet quatuor Monasteria, videlicet Sancti Francisci Ordinis Conuentualium, Sancti Augustini, Capuccinorum, & Monialium sub inuocatione Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis. Adest Hospitale sub titulo Sanctæ Mariæ de Niue, & Sancti Antonij Patauini. Adsunt quoque quatuor Confraternitates laicales, videlicet Sanctissimi Corporis Christi, Sanctissimi Rosarij, Sancti Antonij Patauini, & Sanctæ Mariæ de Niue, quæ pauperibus, & præsertim puellis nubendis subsidia, & eleemosinas indies elargiuntur. Redditus Mensæ Episcopalis taxantur in libris Cameræ floren. sexaginta sex, sed ascendunt ad ducatos circiter mille, & quingentum monetæ Regni. Habet Palatium Episcopale pro Episcopi, & eius familiæ congrua habitatione. Capitulum verò, & clerus habet in distributionibus quotidianis annuos ducatos circiter octingentos, qui æque portione interessentibus diuinis officijs distribuuntur; Onus mensæ Episcopalis est Ecclesiæ Cathedrali de paramentis necessarijs prouidere, ac ceram pro qualibet Missa Conuentuali, quæ quotidiè celebratur, & pro solemnitatibus, tàm in Vesperis, quàm in Missis peremniter ministrare: necnon in die festo Purificationis Beatæ Mariæ populo distribuere candelas, tenetur etiam eandem Ecclesiam reparare, Campanile, campanas, & organum quomodocumque & qualiter-

litercumque indigeant. Datum Montispelusij, &c.

Sed si Ecclesia fuerit Metropolitana, vltra prædicta, referendum est etiam, quot Suffraganeos habet sub se, & an fuerit institutum Collegium Seminarij puerorum, & quot pueri ibi reperiuntur, & an viuant ex redditibus Beneficiorum vnitorum, vel ex portione fructuum ex Beneficijs detractorum.

Sacra autem Congregatio Concilij Tridentini, cui trasmittitur dicta status Ecclesiæ relatio, solet in infrascripta, vel simili forma rescribere Episcopo, qui per nuntium Apostolorum limina visitauit.

Relationem, quam N. de gremio istius Capituli existens Amplitudinis tuæ nomine exhibuit sacræ Congregationi Cardinalium Concilij Tridentini interpretum iuxta felic. recordat. Sixti V. Constitutionem, de Beatorum Apostolorum liminibus visitandis, Eminentissimi Patres benignè exceperunt, cognoueruntque ex ea quanta animi cura, ac diligentia Amplitudo tua commisso sibi gregi inuigilet, & pastoralia munia expleat. Quapropter ipsam tantùm monitam esse voluerunt Synodum, qua nihil ad ægras Ecclesiæ partes reficiendas aptius, vitiaque radicitus extirpanda accomodatius quolibet anno celebrare, istamque Diœcesim visitare non prætermittat, simulque iurisdictionem Ecclesiasticam acerrimè semper,& vbique tueatur, & Deus Amplitudini tuæ in vinea sibi credita desudanti, suæ gratiæ dona impertiatur. Romæ die, &c. Amplitudinis tuæ Romæ vti frater Cardinalis Vbaldinus. Franciscus Paulùtius S. C. Secretarius.

CAPVT X.

De Testamentis ad pias causas, & de Sepulturis, & de legatis pijs.

SVMARIVM.

1 *Episcopi an possint facere testamenta ad pias causas ijs, qui ab intestato decedunt, vel non electa sepultura.*

2 *Moriens non electa per eum sepultura, vbi est sepeliendus.*

3 *Clerici vbi sunt sepeliendi, si non eligunt sibi sepulturam.*

4 *Mulier est sepelienda in sepulcro viri.*

5 *Sepeliendus est in loco prophano, qui non confitetur saltem semel in anno, & non communicat in Pascha.*

6 *Captatoria voluntas secundum veriorem opinionem Doctorum recentium quæ sit.*
7 *Consuetudo conficiendi testamenta ad pias causas per Episcopos defunctis ab intestato an sit rationabilis.*
8 *Synodus Prouincialis Neapolitana substulit consuetudinem conficiendi testamenta ad pias causas.*
9 *Sepultura debet esse libera, & sunt excommunicati inducentes aliquem ad eligendam sepulturam contra eius voluntatem.*
10 *Episcopus est legitimus exequutor piorum legatorum.*
11 *Cautela, vt Episcopus non possit se intromittere in legatis pijs.*
12 *Testamentum factum coram duobus testibus ad pias causa valet.*
13 *Legatum pro Missis dicendis adimpletum esse, statur iuramento eius, cui relictum est.*
14 *Legatum pro dote an sit pium.*
15 *Episcopus an mutare legata pia possit.*
16 *Sepultura Ecclesiastica quibus est deneganda.*
17 *Excommunicatus debet carere sepultura Ecclesiastica.*

SVnt nonnulli Episcopi, ac locorum Ordinarij in hoc Regno
1 Neapolitano, qui prætextu consuetudinis conficiunt testamẽta ijs, qui ab intestato decedunt, ac etiam ijs, qui tempore mortis non eligerunt sibi sepulturam; & in testamentis, quæ ipsi conficiunt disponunt ad eorum libitum de certa quantitate pecuniæ, quæ si per hæredes, vel coniunctos non soluitur, vel saltem pignoratitia cautio non præstatur, ipsis defunctis denegant sepulturam Ecclesiasticam; & non video, qua ratione id facere permittitur, tùm quia hoc nullo
2 iure probatur, quod quis teneatur testari saltem ad pias causas; tum etiam quia non peccat quis, non eligendo sibi sepulturam; nam moriens est sepeliendus in proprio sepulcro, vel suorum maiorum exemplo Patriarcharum, cap. Ebron. 13. quæst. 2. cap. nos instituta, & cap. Paternitatem de sepulturis, & si non habet proprium, vel suorum maiorum sepulcrum, sepeliendus est in Ecclesia parochiali, in
3 cuius Parochia mortuus est, vel in Ecclesia Cathedrali, & maiori. Clerici quoque si non eligunt sibi sepulturam, sepeliendi sunt in Ec-
4 clesia, vbi fuerunt clerici; mulier si non eligit sibi sepulturam, est sepelienda in sepulchro viri, cap. 15. que de sepultur. lib. 6. & hoc quò ad electionem sepulturæ.
5 Quò verò ad eum, qui moritur nullo sibi facto testamento, etiam ad pias causas, dicendum est, quòd aut confessus est saltem semel in anno, & in Pascha Eucharistiæ Sacramentum sumpsit, præceptum Ec-

Ecclesiæ adimplendo, vt omnis Christianus tenetur, iux. cap. omni vtriusque sexus, de pœnit. & remiss. & tunc si moritur intra annum, sepeliendus est in Ecclesia, dicto cap. omnis vtriusque sexus, cap. ex parte, l. 2. de sepultur. Nauar. cons. 6. de sepultur. Aut non est confessus, & communicatus in Pascha, neque saltem ostendit signa contritionis tempore mortis, & carere debet Ecclesiastica sepultura, vt in d. cap. omnis; & sic illud testamentum ad pias causas, tàm ratione non electæ sepulturæ, quàm non confecti testamenti, credo, quòd substineri non potest. Et licèt aliqui contrariam opinionem defendere conantur, dicant, quòd sicut potest statuto, vel consuetudine induci, vt voluntas testatoris dependeat ab alieno arbitrio, quemadmodum, quando ex statuto mulier non potest testari absque mundualdo, vel sine consensu duorum consanguineorum per ea, quæ dicit Afflict. decis. 260. non obstante, quod ista sit voluntas captatoria, & prohibita, ita potest induci per consuetudinem, quod voluntas decedentium ab intestato dependeat à voluntate alterius scilicet Episcopi, iux. tex. in cap. cum tibi, de testam. vbi dicunt probari, captatoriam voluntatem valere ad pias causas, & quòd præsumptio est, defunctum ab intestato tacitè commisisse Episcopo, vt eius animę prouidere debeat. Sed his motiuis respondetur, hoc non probari in dicto cap. cum tibi, ex quo ibi disponitur tantùm, quòd valeat testamentum eius, qui extremam suam voluntatem alterius dispositioni commisit, & ista non est captatoria voluntas, prout dicunt, quòd in dicto cap. probatur captatoriam voluntatem valere ad pias causas,
6 quòd non est ita; nam captatoria voluntas est illa, per quam quis aliquem quærit inducere, vt sibi, vel alteri commodum in vltima voluntate relinquat inde dicta; quia captare est, veluti aucupari aliena, vt à recentioribus melius, quàm ab antiquis Doctoribus explicatur. Qui falsò captatoriam voluntatem existimebant esse, quæ erat in alienum collata arbitrium, veluti si quis dixisset, instituo hæredem illum, quem Titius nominauerit; nam hæc non est captatoria voluntas. Cuman. in l. captatorias, ff. de hæred. instituend. Cardinal. Seraphin. Oliuar. in decis. Rot. Roman. 359. num. 11. & sic attenta ista vera opinion. in dicto cap. cum tibi non probatur captatoriam voluntatem valere ad pias causas, vnde corruit eorum fundamentum. Nec ex præsumpta voluntate defuncti; nam præsumptio est in contrarium, quia ex vniuersali consuetudine verisimiliter defunctus tantam pecuniæ quantitatem non reliquisset, prout Episcopi disponunt in dictis testamentis, quæ conficiunt ad pias causas, sed quod solent communiter relinquere pro eorum anima; voluntas enim alicuius ex

consuetudine præsumitur, l. Titianus, ff. quod cum eo, Bal. in rubric. C. de instit. & in l. 2. C. ad Macedon.

7 Hæc obstat consuetudo, super qua fit totum fundamentum; quia tamquam irrationabilis fuit sublata per Concilium generale Cabilonense, vt habetur in cap. 14. tom. 2. Conciliorum per hæc verba: Quoniam animarum salutem inquirere Sacerdos, & non lucra terrena debet, fideles ad res suas dandas non sunt cogendi, nec circumueniendi, oblatio namque spontanea esse debet; id circò cauendum est, ne perauaritiæ speciem supplantemus, quos confirmandos accepi-

8 mus, hæc ibi: Cuius decreto Concilij adhærens Synodus Prouincialis Neapolitana, cap. 45. tit. de testamentis, dicit hæc verba: Censuit sacra Synodus consuetudinem, vt conficiant Episcopi testamenta eorum, qui intestati moriuntur, de medio tollendam esse, etiam immemorabilem: verùm vbi hæc viget consuetudo, Episcopus qua decet pietate temporis, & locorum, ac personarum conditione perpensa cum expresso legitimi hæredis consensu, & voluntate aliquam pecuniæ quantitatem, moderatam tamen in missis, atque alia opera in suffragium animarum eorundem defunctorum dispensare possit, quę integrè, ac sine vlla diminutione, & perceptione quartæ ad pios vsus tantùm erit applicanda. Hæc in dicta Synodo Neapolitana. Et nouissimè fuit editum decretum à sacra Congregatione negotijs Episcoporum deputata facto verbo cum Domino Clemente Papa VIII. continens, quòd vbi viget consuetudo, qua solent Episcopi disponere de quarta bonorum mobilium decidentium ab intestato, non ita ad rigorem, quarta prædicta æstimari debeat: sed vocatis hęredibus certum quid personarum conditione, & hæreditatis valore perpensis absque vlla diminutione pro suffragio animæ defuncti de hæredum consilio erogetur. Hæc in dicto decreto. Nam experientia visum est fidelium cadauera ab intestato decedentium, non fuisse ita facilè sepulturæ Ecclesiasticæ tradita, & per multos dies inhumata iacuisse, ob pecuniam non solutam, non obstante, quod non solùm semel, sed pluries infra annum probatum fuisset; defunctos confessos, & communicatos fuisse, cum sufficiat ostendisse signa contritionis in articulo mortis, vt potuisset in Ecclesia sepeliri; & ego testor vidisse quendam virum Doctorem, qui miserrimè in itinere in campestria, fuerat interfectus, non fuisse permissum introduci Ciuitatem, sed in via publica extra mœnia eius cadauer per duos dies continuos inhumatum iacuisse, cum maximo prætereuntium scandalo, ac periculo dilaniandi à canibus, eò quòd non haberet, quid pro dicto testamento solueret, hoc fuit publicum, ideò à me dictum.

Sed

9 Sed notandum est, quòd electio sepulturæ debet esse vnicuique libera; & ideò Bonifacius VIII. in cap. 1. de sepult. lib. 6. prohibuit vniuersis Religiosis, & clericis sçcularibus cuiuscumq; status, vel conditionis existerent, ne aliquos inducant, & persuadeant, vt apud eorum Ecclesias sepulturam eligant, vel iam electam vlterius non immutent decernendo, quòd electio taliter facta sit nulla, & qui sic elegerint, sepeliantur apud illas Ecclesias, in quibus sepeliendi de iure fuissent, si aliàs sepultura electa non esset, decidissent. Et Clemens V. in clem. cupientes, §. fin. de pœn. non solùm confirmauit dictum cap. 1. Bonifacij, sed etiam addidit pœnam excommunicationis sedi Apostolicæ reseruatam, quæ censura voluit, vt afficeret Religiosos, & clericos sçculares tantùm, non autem laicos.

10. Secundò notandum est, quòd legata pia debent exequi per Episcopum, cap. si hæredes, de testam. & est iudex competens cogendi etiam laicos ad adimplendam voluntatem testatoris disponentis ad pias càusas, Doctores in cap. significasti, de offic. delegat. & plenius Bal. in l. si quis, C. de Episcop. & Cler. vbi dicit, quòd Episcopus coram suo Vicario potest petere se immitti in possessionem bonorum, si Ecclesia, vel pauperes sunt instituti hæredes, S. Anton. part. 3. tit. 10. cap. 3. §. 8. & nouissimè per sacrum Concilium Trident. sess. 22. cap. 8. statutum est Episcopos tamquam Apostolicæ sedis delegatos in casibus à iure concessis omnium piarum voluntatum, & dispositionum, tàm in vltima voluntate, quàm inter viuos esse exequutores, & si legata pia non adimplentur per exequutorem deputatum, & destinatum per testatorem infra annum, potestas exequendi deuoluitur ad Episcopum, l. nulli, C. de Episcop. & Cler. cap. nos quidem, & cap. si hæredes de testam.

11 Sed hodie in hoc Regno ex conuentione facta inter summum Pontificem, & regiam Catholicam maiestatem fuit erectum tribunal Reuerendæ Fabricæ Sancti Petri de Vrbe, quod regitur per Oeconomum iudicem ordinarium, qui est persona Ecclesiastica, & per consultores laicos, qui in prima, secunda, & tertia instantia sunt Officiales regij electi à Domino Prorege, & ad hoc tribunal spectat hodie exequutio legatorum piorum post annum à die mortis testatoris, vt notat Rouit. in pragmatica 1. de legat. pijs num. 2. sed non propterea est sublata Episcopis potestas exequendi legata pia ad instantiam legatariorum infra annum, antequam dicta Reuerenda Fabrica manus apponat, Molfes. in summ. de vltim. voluntat. in 2. † part. tract. 13. cap. 5. n. 206. de Marinis quotid. resol. cap. 224. n. 10. fol. 388. & licet dicta Reuerenda Fabrica post annum, & Episcopi in-

fra annum sint iudices piorum legatorum, adeò quod etiam si testator prohibuerit in testamento, quòd dicta Fabrica, & Episcopi non se intromittant, possunt procedere, cap. tua nobis, de testam. Auth. licet testator, C. de Epis. & Cler. quia implicat contrarium legatum esse pium, & præcipere, vt Episcopi in eo non se intromittant; verumtamen si testator dixerit, volo quòd neque Fabrica Sancti Petri, neque Episcopus se ingerant in meis legatis pijs, & si manus apponerent, tunc, & eo casu volo, quòd dicta legata non sint pia, & habeantur, ac si non essent relicta dictę Fabricę, & Episcopi non possunt per dictam prohibitionem taliter factam se ingerere; quia cap. tua nobis, de testam. & Auth. licet testator, C. de Episc. & Cler. non habent locum, quando testator sic disposuerit, Ferdin. Vasq. in tract. de succes. creat. quem allegat, & sequitur Molfes. loco citato, n. 205. fin.

12 Tertiò notandum est, quòd testamentum factum coram duobus testibus ad pias causas, etiam absque præsentia Parochi valet, Abb. & cæteri Canonistæ in cap. relatum de testam. Viu. decis. 5. num. 7.

13 Quartò notandum est, quòd si fuerit factum legatum, alicui Ecclesiæ, vel alicui sacerdoti pro celebrandis Missis, quod stari debeat iuramento Curati, Prioris, Guardiani, vel Sacerdotis, & aliorum, quibus fuerit relictum legatum, Missas esse celebratas Mascard. de probat. conclus. 709. num. 2.

14 Quintò notandum est, quòd licèt legatum pro dote dicatur pium, l. cum his, §. si in ea ff. de condit. indebit. Bart. in l. si ego, ff. de iur. dot. tamen hoc est verum, & procedit, quando dos est relicta personæ extraneæ pauperi, secus quando mulieri coniunctæ; quia tunc, etiam si sit pauper, videtur legatum potius factum propter coniunctionem, & affectionem sanguinis, quam intuitu pietatis, Dec. cons. 120. primo volum. qui allegat. tex. in l. tutor, §. quæ tutoribus, ff. de excusat. tutor. etiam si testator diceret pro anima sua, & causa pietatis, non est legatum pium, Paul. de Castr. & Bald. post glos. in l. illud, C. de sacrosanct. Eccles. Bart. in repetit. l. 1. C. eod. Lap. allegat. 2. ratio est, quia pietas non est in nomine pietatis, sed in substantia veritatis, l. cum hi, §. sed personarum, & §. si in annos, ff. de transact. Hinc est, quòd ij, qui constituunt, & fundant Montem pro maritandis puellis suæ familiæ, etiam si dicerent pro eorum anima, dicta dispositio non est pia: sed facta contemplatione sanguinis. Vinc. de Franch. decis. 4. & 565. vbi dicit, quod legatum factum diuiti, vel consanguineo, etiam quòd dicatur fieri pro anima, vel amore Dei non est pium, & ita declarauerunt Deputati Reuerendæ Fabricæ Sancti Petri de Vrbe statuentes, vt Officium dictæ Fabricæ possit procedere

dere super legatis pro puellis maritandis amore Dei ratione animæ factis: non autem affectu sanguinis, Quarant. in Summ. Bullar. in Verb. Fabrica Sancti Petri, Mascard. de probat. conclus. 177. n. 13.

15 Sextò notandum est, Episcopum non posse relictum ad certum vsum pium, in alium commutare, Clem. quia contingit, & ibi glos. in verb. sedis Apostolicæ facit, tex. in l. 1. ff. de administr. rer. ad ciuit. pertinen. etiam si commutatio fieret in alium vsum pium, glos. in dicta Clem. cum contingit in verb. non ad alium, Abb. in capit. tua nobis, num. 4. de testamen. quia voluntas testatoris pro lege obseruanda est, l. in conditionibus, ff. de conditionib. & demonstr. capit. vltima voluntas, 13. quæst. 2. Auth. §. disponat, de nupt. collat. 4. etiam si accederet voluntas, & consensus hæredis, quia non agitur de voluntate ipsius, sed testatoris, Felin. in cap. cum accessissent, num. 19. de constitut. & hæc est communis opinio, Ricc. in prax. decis. 576. num. 1. nisi voluntas testatoris adimpleri non posset; vnde res legata si non potest deseruire ad vsum destinatum propter aliquod impedimentum iuris, vel facti, potest commutari in alios pios vsus authoritate Episcopi, Ancharan. in cap. nos, de testament. Bal. cons. 453. vol. 2. Felin. in dicto cap. cum accessissent. num. 5. Mandos. de signatur. Gratian. titul. de commutat. vltim. volunt. Innoc. in cap. nos quidem, de testam.

16 Septimò notandum est, quòd sepultura Ecclesiastica multis non est concedenda, quos refert Syluestr. in verbo Sepultura, §. nono quærimus, S. Antonin. part. 3. tit. 15. §. 8. vbi dicit, quod generaliter notorij peccatores decidentes, in ipso peccato notorio non sunt sepeliendi in Ecclesia, cap. quibus, 13. quæst. 1. capit. æstimemus, eadem quæst. & caus. nisi fuissent reconciliati Ecclesiæ per pœnitentiam, vel saltem ostendissent signa contritionis in fine mortis, ad quod probandum sufficit vnus testis, S. Antonin. loco citato, qui allegat, cap. qui reciderint, 26. quæst. 6. Tabien. in verbo sepultura, §. 13. Archid. in cap. qui reciderint. Item excommunicatus debet carere sepultura Ecclesiastica; nam excommunicatio ligat animam, & corpus, & priuat sepultura in Ecclesia, cap. à nobis, lib. 2. ibi glos. in verbo relaxatur, de sentent. excommunicat. & sepelientes excommun. in Ecclesia sunt etiam excommunicati, & etiam præsentes, & autorantes, vel cooperantes, Card. in Clem. 1. de baptism. per Clem. dudum, de sepult. si de facto fuerit data sepultura Ecclesiastica excommunicato, ipsius corpus est exhumandum, & ab Ecclesia eijciendum, si ossa discerni possunt; cap. sacris, de sepult. cap. ad hæc de priuileg. Io. Andr. in cap. quamquam, de vsur. lib. 6. Card. in Clem. 1. de sepult.

SVMMARIVM.

De confraternitatibus laicorum, & de Hospitalibus.

CAVT XI.

1 *EPiscopi possunt visitare confraternitates laicorum, & hospitalia.*
2 *Hospitalia erecta authoritate Episcopi sunt loca pia.*
3 *Episcopus an possit visitare hospitale erectum à persona adhuc viuente.*
4 *Episcopus est pater pauperum.*
5 *Episcopus potest se intromittere in hospitalibus, etiam si à fundatoribus fuerit ei prohibitum.*
7 *Exequutio contra administratores Confraternitatum condemnatos spectat ad Episcopum.*
8 *Appellatio interposita per administratores Confraternitatum à condemnatione contra ipsos facta non impedit exequutionem.*
9 *Confraternitates laicorum an possint compelli ab Episcopo, vt accedant ad processiones.*
10 *Episcopi an possint componere controuersias de praecedentia inter Confraternitates.*
11 *Confraternitas laicalis, si in ea est maior pars clericorum, non est collegium saeculare.*
12 *Res eadem non debet diuerso iure censeri.*
13 *Episcopus potest exigere rationes, & computa locorum piorum.*

1 QVoniam decreto Sacri Concilij Trident. sess.25. cap.3. de reformat. possunt Episcopi visitare hospitalia, & Confraternitates laicorum; ideò Episcopi debent in visitatione inquirere, an deuotè, & piè officium exequantur, si Confratres interueniant in publicis processionibus, quo habitu, qua honestate, decentia, pietate, & deuotione, vt in omnibus habeatur respectus ad animarum salutem, & populi aedificatione, ita vt omne scandalum absit; & an redditus ipsarum Confraternitatum ad pauperum subuentionem, vel alia opera pia expendantur, & quo ad hospitalia debent Episcopi curare, ne tàm pium opus hospitalitatis perdatur, maximè per incuriam eorum, ad quos pertinet, & habent ius visitandi, vt diligenter, & fideliter omnia administrent, iuxta decretum Concilij Trident. sess.7. cap.15. & sess.25. cap.15. de refor. & sess.22. cap.8. de refor. quia hospitalia, quae sunt erecta authoritate Episcop. sunt loca pia, & religiosa,

2 ligiosa, Tiraquell. de priuileg. piæ causæ, in præfat. versicul. item relictum, Redoan. de reb. Eccles. non alien. rub. 27. & rub. 33. casu 12. Mascard. de probat. conclus. 869. Cardin. Tusch. tom. 4. liter. H. conclus. 158. & conclus. 163. nu. 2. & 4. & tom. 6. lit. P. conclus. 338.
3 Genuens. in pract. Cur. Archiepisc. Neap. cap. 17. sed dubium est, an Episcopus possit visitare hospitale constructum à laico ad huc viuente; & dico, quod non potest, quia tàm laicus, quàm bona data hospitali non subsunt Episcopo, cap. ad hæc, de relig. domib. visitatio præsupponit iurisdictionem, & superioritatem, cap. ex officij, & cap. auditis, de præscript. & cap. Romana, de censib. lib. 6. Nauar. de religios. Domib. cons. 3. non obstat, quod bona sunt destinata
4 pro victu pauperum, quorum Episcopus est pater, l. id quod pauperibus, C. de Episcop. & Cler. etiam si testator prohibuerit, ne Epi-
5 scopus se intromittat, cap. tua nobis, de testam. quia hoc procedit in hospitali constructo à laico mortuo, sed quando adhuc viuit funda-
6 tor, Episcopus non potest se intromittere; nam Fundator habet plenam potestatem de illo ad eius beneplacitum disponendi, vt Nauar. in dicto cons. 3. de relig. domib. dicit, & refertur ita per sacram Con-
7 gregationem Concilij Tridentini fuisse pluries decisum, quæ etiam censuit exequutionem aduersus administratores condemnatos, siue soli Ordinario reddita fuerit, siue cum alijs deputatis ad ipsummet
8 Ordinarium spectare, & licet appellauerit à condemnatione, exequutio non propter hoc impeditur, aut suspenditur, sed causa tantùm deuoluitur ad superiorem, per tex. in §. Oeconomos, Auth. de sanctis. Episcop. vbi glos. in verb. repetitionum, & Bart. num. 1.
9 Secundò notandum est, quòd Episcopi non possunt compellere, sed inuitare Confraternitates laicorum, vt accedant ad publicas processiones; & ita decreuit Sacra Congregatio Concilij, respondendo cuidam Episcopo, tenoris sequentis. Reuerendissime Domine, vti Pater. Quamuis Thesaurarij Magistri, & Confratres Sanctæ Mariæ Annuntiatæ magis conscientiæ suæ consuluissent, ac pietati satisfecissent, si Amplitudini tuæ ad publicas processiones vocati, morem gessissent, cum tamen ad eas accedere distulerint, neque ab amplitudine tua compelli, neque illis præterea censuris distringi, aut innodari debuerunt: quòd sæpius aliàs consulti responderunt Illustrissimi Patres Concilij Tridentini interpretes; itaque interdictum hac de causa latum protinus tollas oportet, ac de cætero à similibus compulsionibus omninò abstineas. Deus amplitudinem tuam incolumen seruet. Die 6. Maij 1597. Cardinal. Matthęus.
10 Sed quæro, an Episcopus possit definire, & componere controuersias,

uersias, quæ de præcedentia in processionibus inter Confraternitates oriri solent? Resp. quòd videtur dicendum non posse; quia Concilium Trident. sess. 25. cap. 13. de Regul. loquitur de personis Ecclesiasticis, quales non sunt isti laici, & verba Concilij sunt videlicet. Controuersias omnes de præcedentia, quæ persæpè cum scandalo oriuntur inter personas Ecclesiasticas, &c. & sic loquitur de personis Ecclesiasticis, & non de laicis, qui sunt confratres; sed veritas est, quòd Episcopus potest tales controuersias Confraternitatum laicorum componere, quia licet Concilium Trident. loquatur de personis Ecclesiasticis; tamen quia in processionibus faciunt actus Ecclesiasticos, actiones spirituales concernentes diuinum cultum, subsunt in hoc Episcopo per ea, quæ dicit Bart. in l. fin. ff. de colleg. illicit. potest iudicare quo ad modum, & ordinem incedendi in processionibus, & comitandi sanctissimum Eucaristiæ Sacramentum, & visitare quo ad actus Ecclesiasticos, Nauar. in cons. 3. num. 6. de for. competen. vbi dicit, quod actus Ecclesiasticos subsunt Episcopo, quales sunt confitendi, audiendi Missas, sepeliendi mortuos, vel vtendi illis, vel illis cæremonijs: sed quo ad bona temporalia secus est; quia cum
11 sit congregatio laicalis, si sunt omnes, vel maior pars Confratrum laici, collegium est laicale, cap. omnes de constit. argum. l. quid ma-
12 ior pars, ff. municip. nec obstat, quòd eadem res non debet diuerso iure censeri, cap. cognouimus 17. q. 2. quia illud procedit, quando eadem res idem suadet, secus in casu proposito; quia alia ratio suadet, vt Confraternitates subsint Episcopo quo ad actus Ecclesiasticos, & alia vt non subsint quo ad temporalia, hæc Nauar. dicto cons. 3. de foro compet.

13 Item notandum est, quòd administratores tàm Ecclesiastici, quàm laici fabricæ cuiusuis Ecclesiæ, etiam Cathedralis, Hospitalis, Confraternitatis, eleemosinæ Montis pietatis, & quorumcumque piorum locorum singulis annis tenentur reddere rationem administrationis Ordinario, nisi aliter in fundatione sit cautum, Concil. Trident. sess. 22. cap. 9. de reformat. & sacra Congregatio eiusdem Concilij censuit exequutionem aduersus administratores condemnatos, siue soli Ordinario reddita fuerit ratio, siue vna cum alijs deputatis ad ipsummet Ordinarium spectare, aut consuetudo in contrarium se haberet in aliquo loco, vt notum est; vel tales Confraternitates Montes pij per laicos administratores gubernatæ essent sub protectione regia manutenta, & fundatæ atque concessæ, vt Neap. seruari comperitur.

De

CAPVT XII.

De conseruatoribus priuilegiorum Regularium.

SVMMARIVM.

1 *Regulares sunt exempti à iurisdictione Ordinariorum.*
2 *Conseruatores quare sic dicti.*
3 *Regulares si non eligunt iudicem Conseruatorem, possunt conueniri coram locorum Ordinarijs.*
4 *Conseruatores per quos sunt eligendi.*
5 *Conseruatores debent esse constituti in dignitate Ecclesiastica.*
6 *Dignitatis nomine qui comprahenduntur.*
7 *Consuetudo multum præualet circa Dignitates.*
8 *Canonici Cathedralium Ecclesiarum, & Vicarij generales Episcoporum possunt esse Conseruatores.*
9 *Conseruatoris deputatio expresso nomine dignitatis, & non personę transit in successorem in illa dignitate.*
10 *Conseruator, si non est Doctor, debet assumere consultorem partibus non suspectum.*
11 *Conseruator deputatus non potest sub pœna excommunicationis onus recusare.*
12 *Conseruatores non possunt impediri sub censuris reseruatis Papæ, ne officium exerceant.*
13 *Conseruatores licet sint iudices delegati, æquiparantur Ordinarijs, & non tenentur ostendere literas patentes.*
14 *Conseruatorum potestas quæ sit.*
15 *Conseruator si fuerit recusatus, vt suspectus, non potest procedere.*
16 *Conseruatores non possunt se intromittere in causis præcedentiæ.*
17 *Appellatio à sententijs Conseruatorum est facienda ad Papam.*
18 *Concilium Trident. sess. 14. capit. 5. non loquitur de Conseruatoribus Regularium.*
19 *Constitutio Pij V. quæ incip. Et si mendicantium, an sit reuocata.*
20 *Priuilegia Regularium fuerunt confirmata per Sixtum V. & Clementem VIII.*
21 *Concilium Trident. constat ex Canonibus, & decretis.*
22 *Bulla Gregorij XV. circa Conseruatores Regularium.*

1 Regulares sunt liberi, & exempti à iurisdictione Ordinariorum, cap. nimis praua, de excess. prælat. cap. 1. §. in eos de priuileg. lib. 6. & per multa priuilegia ipsius Regularibus concessa, per

per quam plures Summos Pontifices, & præsertim per Clementem IV. vt habetur in compendio priuilegiorum Regularium in verb. exemptio, §.1. & 5. & per successores Pontifices aucta, innouata, & confirmata, ex quibus tàm realis, quàm personalis præfatorum Regularium exemptio latissimè comprobatur, cui quidem exemptionis priuilegio vniuersis Regularium Ordinibus concessis per illorum professores absque speciali licentia Papæ renuntiari non potest, cap. cum tempore, de arbitr. sicut clerici sæculares sine proprij Episcopi licentia, & consensu non possunt se alieno Episcopo subijcere, & eius iurisdictionem prorogare, cap. significasti, de for. compet. ita quòd liberi, & exempti ab Ordinariorum censuris, nempe ab excommunicatione, suspensione, & interdicto, quæ omnia à lege iurisdictionis emanare dignoscuntur; & si aliquis Ordinarius per prædictas censuras Ecclesiasticas contra Regulares procederet, aut eorum Ecclesias, & loca Ecclesiastico interdicto supponeret, censura ipsa est ipso iure nulla, & omni caret effectu, & non seruanda ob notoriam exemptionem, & decreta in priuilegijs irritantia apposita; & non possunt Ordinarij nec per se, nec per alium ad personarum Regularium capturam deuenire, & si eos carcerari mandent, non solùm in excommunicationem per priuilegia communicata, sed etiam per canonem, si quis suadente 17. q.4. incidunt; eo quia iniuriam exemptis intulisse censentur, Io. Bapt. Confect. in collect. priuileg. Ordin. tit.5.c.1. 2. & sequen. saluis tamen sacri Concilij Trident. moderationibus, & limitationibus, & alijs casibus, de quibus infra in cap.42. de iurisdictione Episcoporum in Regulares.

Et vt haberent præfati Regulares in partibus particulares iudices, Summi Pontifices concesserunt, vt possint sibi deputare Conseruatores, qui vti iudices Apostolicæ sedis delegati eorum causas agitare,
2 & authoritate Apostolica terminare deberent, qui eorum officium, quod præsertim est, priuilegia ipsorum Regularium conseruare dicti sunt Conseruatores, & de speciebus Conseruatorum, vide Glos. in cap.1. in Verb. conseruatores, de off. delegat. lib.6. & Syluest. in Verb. Conseruator, num.1. & de eorum potestate, & iurisdictione habetur in Constitutione Clementis VII. sub anulo Piscatoris, die 19. Martij 1524. & Pij V. die 23. Septembris 1571. & Gregorius
3 XIII. concessit omnibus Regularibus, vt in Ciuitatibus Italiæ sibi Conseruatores eligerent, coram quibus conueniretur, ac semel electos, non nisi in Capitulis Prouincialibus mutarent, eorumque nomina intra mensem à die electionis Episcopis locorum Ordinarijs indicarent, alioquin coram ipsis Ordinarijs conueniri posset. Sorb. in com-

compendio priuilegiorum, in Verb. Conseruatores ordinis, Io. Bapt. Confect. tit. 17. num. 4. Quarant. in Summ. Bullar. in Verb. Priuilegia Regularium.

4 Conseruatores possunt eligi ab ipsismet Regularibus in Capitulis generalibus, vel Prouincialibus, vel priuatim per Prouinciales, seu Vicarios, Commissarios, Procuratores, Custodes, & alios quoscumque Regularium superiores, vt in dictis Constitutionibus Pontificijs habetur, & debet eligi per litteras patentes; & tunc sic electi, & deputati intelliguntur, & censentur electi, & deputati à Sede Apostolica, vt latè in dictis Constitutionibus, & per Confect. cap. 6.

5 Personæ verò eligendæ, & deputandæ in Conseruatores, debent esse in dignitate Ecclesiastica constitutæ, cap. statutum de rescript. lib. 6. & hoc propter maiestatem Summi Pontificis, ne authoritas, & dignitas sanctæ Sedis, cuius vices gerunt, contemnatur, si simplices
6 clerici, & priuatæ personæ deputarentur. Et sub nomine Dignitatis comprehenduntur, non solùm obtinentes maiores dignitates, vt Patriarchæ, Primates, Archiepiscopi, & Episcopi, sed etiam Archidiaconi, Archipresbyteri, Primicerij, & omnes, qui aliquem titulum,
7 seu nomen in eorum Ecclesijs, tàm Cathedralibus, quàm Collegiatis, quod nomen dignitatis sonat, obtinent, aut ex consuetudine reputantur in dignitate constituti; cùm in hoc consuetudo multum
8 præualeat, Doctores in cap. de multa de præben, & dignit. Canonici quoque Ecclesiarum Metropolitanarum, & Cathedralium, & Vicarij generales Archiepiscoporum, & Episcoporum possunt deputare Conseruatores, Confect. cap. 5.

9 Sed notandum est, quòd si in eligendo Conseruatore nomen Dignitatis tantùm, & non personæ exprimeretur, electio transiret in successorem in illa Dignitate, vt est in alijs delegationibus, cap. quoniam, de off. deleg. Confect. loc. cit.

10 Secundò notandum est, quòd si electus in conseruatorem non fuerit in altero iurium graduatus, debet assumere sibi consultorem partibus non suspectum; quia regula est, quòd iudex non graduatus in aliquo iurium tenetur omnino sibi eligere, & assumere assessorem, & consultorem non suspectum partibus, alias eius sententia est nulla, prout diebus elapsis consultus ego respondi in quadam causa commissa cuidam Episcopo Theologo, qui non potest procedere absque consultore, ex Bulla Leonis X. in Concilio Lateranensi, quæ incipit: Regimini, cuius hæc sunt verba formalia: Iudices, & Conseruatores à Sede Apostolica deputati, si in altero iurium graduati non fuerint, assessorem partibus non suspectum ab his partibus, vel earum altera requi-

requisiti assumere, & secundum eius relationem iudicare teneantur, non obstantibus, &c. vide Ricc. in prax. decis. 619.
11 Tertiò deputatus Conseruator tenetur statim dictum onus ei impositum suscipere sub pœna suspensionis, & excommunicationis ipso facto incurrenda absque alia declaratione, illudque susceptum sub eisdem censuris debitè, & plenariè exercere, à quibus censuris non potest ab aliquo absolui, nisi in articulo mortis, præterquā à Summo
12 Pontifice, vt in d. constitutione Pij V. §. & vt fratres, & ipsi Conseruatores quamdiu dictum officium exercuerint, à nemine sub quouis prętextu impediri, vel molestari, quominùs illud exerceant, possunt, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, à qua præterquam in mortis articulo, nullus potest absoluere, nisi Summus Pontifex, vt latè in dicta Constitutione Pij V.
13 Quartò, quòd licet Conseruatores sint iudices delegati, tamen æquiparantur Ordinarijs, cum sint deputati ad vniuersitatem causarum, & propterea ad ostendendas litteras eorum authoritatis, & cōmissionis in causis coram eis vertentibus minimè tenentur, Confect. tit. 4. cap. 7. & coram ipsis Conseruatoribus Regulares de iustitia respondere tenentur, qui Conseruatores causas cum omnibus depen-
14 dentibus, emergentibus, annexis, & connexis eorum arbitrio audire, cognoscere, decidere, & fine debito terminare possunt, & valent, sententiasque ab eis latas, postquam transierint in rem iudicatam, vel quæ de iure exequendæ fuerint exequutioni demandare authoritate Apostolica; nec non per censuras Ecclesiasticas, & pœnas, inobedientes, & contumaces quacumque appellatione postposita, & remota compescere, & punire, illosque excommunicare, & à diuinis suspendere, & interdicere possunt, & valent, cum pœnis etiam pecuniarijs eorum arbitrio imponendis, applicandis, ac moderandis, omnes, & quoscumque iudices, aliasque personas, & in quacumque dignitate constitutas citare, inhibere, ac etiam brachium sęculare, si opus fuerit, inuocare, & alia facere valent, & possunt, vt latius in di-
15 cta Constitutione Pij V. & per Confect. cap. 7. Si verò Conseruator fuerit, vt suspectus recusatus non potest in causa procedere, sed debent eligi arbitri in forma iuris, qui super suspectione iudicare debent, iuxta decretum Concilij Trident. sess. 14. cap. 5. de reformat.
16 In controuersijs verò de præcedentia, quæ inter Regulares oriri solent in processionibus, Conseruatores minimè se intromittere possunt, per decretum Concilij Trident. sess. 25. cap. 13. de reformat. sed eas Episcopi appellatione remota componendi habent facultatem; quia priuilegia Regularium sunt confirmata per Summos Pontifices

tifices cum clausula, quatenus decretis, & Canonibus Concilij Trident. non aduersentur.

17 Quintò notandum est, quòd à sententijs Conseruatorum non appellatur, nisi ad Sedem Apostolicam; quia Conseruatores in causis coram eis vertentibus, quibuscumque iudicibus sunt maiores, & ob id ad Papam delegantem est appellandum, Confect. cap.7.

18 Sextò notandum est, quòd istis Conseruatoribus non obstat decretum Concilij Trident. sess.14. cap.5. de reformat. nam illius moderatio, & limitatio, non comprahendit personas Regularium, & eorum loca, quæ omninò sunt exempta, vt in fine dicti cap. declaratur, sed ibi restringitur authoritas personarum priuatarum, & non Conseruatorum priuilegiorum Ordinum Regularium.

19 Sed quoniam Pius V. in alia sua Constitutione, quæ incipit, *Etsi mendicantium*, decimoseptimo calend. Iunij 1566. concessit multa priuilegia, & immunitates Regularibus, quæ Constitutio videtur nonnullis reuocata, & ad terminos iuris communis redacta per Gregorium XIII. in Constitutione incipien. *In tanta rerum, & negotiorum mole*, edita calendis Martij 1572. per quam priuilegia dictis Regularibus concessa reuocantur, & ad terminos iuris communis reducuntur, sed non obstat dicta Constit. Gregorij XIII. quia postea per aliã eius posteriorem sub data Romæ die 21. Martij confirmauit omnia priuilegia ordinis Sancti Francisci; & per eam non solùm derogauit litteris Apostolicis suorum, sed etiam derogauit suis, inter quas erat,
20 & reperiebatur dicta eius Constitutio reuocatoria, & postmodum omnia priuilegia Regularium fuerunt confirmata per alios successores summos Pontifices, vt per Sixtum V. vt per eius Constitutionem die 23. Octobris 1587. & per Clementem VIII. die 20. Decembris 1597. quæ priuilegia fuerunt confirmata cum clausula, quatenus sacris Canonibus, & decretis Concilij Trident. non aduersentur. Vnde aduertendum est, quod malè opinati sunt quod Canones hoc intelliguntur illi, qui sunt in corpore iuris, nempè in Decretis, & Decretalibus, quod non est ita; nam comprahenduntur, & intelliguntur illi canones, qui sunt in dicto Concilio Trident. quia Concilium,
21 vt notorium est, constat ex canonibus, & decretis. Canones sunt quo ad fidei dogmata, & eorum doctrinam: Decreta verò quo ad fidelium reformationem, & Ecclesiæ gubernationem; quia per illam copulam, & coniunguntur Canones cum decretis eiusdem Concilij, vt benè aduertit, & notat Confect. tit.3. cap.4. & Sorb. in compendio priuilegiorum Regularium in Verb. priuilegia Fratrum.

22 Sed post hæc scripta fuit publicata quædam Constitutio Gregorij

rij XV. de conseruatoribus, edita Romæ vigesima mensis Septembris 1621. quæ incipit, *Sanctissimus in Christo Pater*, cuius summarium est apud Nouarium in suo iure Pontificio nouo conclus. vnic. de conseruatoribus vt sequitur.

Primò reuocat omnes iudicum Conseruatorum electiones, quocumque iure, vel titulo hactenus factas, pro quibuscumque Conuentibus, Militijs etiam Sancti Ioannis Hierosolymitani.

Secundò statuit, ne iudices Conseruatores, siue principales, siue subrogati eligi possint, nisi habeant non solùm qualitates requisitas in Constitutione Bonifacij VIII. quæ incipit statutum; ita vt vel dignitate Ecclesiastica præditi, vel personatum habentes, vel Ecclesiarum Cathedralium Canonici existant, sed etiam in Concilijs Prouincialibus, aut Diœcesanis designati sint iuxta decretum Concilij Trident. sess. 25. cap. 10. de reformat.

Tertiò, quòd litteræ Conseruatoriæ deinceps per Sedem Apostolicam concedendæ supradictis tantùm dirigantur, aliàs nullius sint roboris, vel momenti, & qui secus quàm iuxta formam prædictam Conseruatores eligere ausi fuerint, Regulares sint ipso iure priuati voce actiua, & passiua, & habilitationem à nemine præterquam à Romano Pontifice consequi valeant; reliqui verò pęnis arbitrio Sanctitatis suæ coerceantur, & Conuentus prædictorum, ac Monasteria, eorumque personæ, & bona careant Conseruatore ad annum, eorumque causæ interim eorum locorum Ordinarijs cognosci, & definiri debeant.

Quartò Ordinarij in Synodis Diœcesanis, aut prouincialibus procurent quamplures personas ex habentibus qualitates in dicta Constitutione Bonifacij contentas designare, & si aliquem ex designatis mori contingerit, Ordinarij cum consilio Capituli substituant alium in eius locum vsque ad futuram prouincialem, aut Diœcesanam Synodum.

Quintò Regulares in Italia infra duos menses à die publicationis præsentis Constitutionis, extra Italiam verò infra sex debeant sibi eligere Conseruatorem iuxta prędictam formam, eiusque electionis documentum infra tempus huiusmodi penes acta Curiæ exhibere, & dimittere teneantur, & dicti menses currant à die publicationis huius Constit. in Vrbe, alioquin eo termino elapso, quandiu Conseruatores secundum formam præscriptam non elegerint coram eisdem Ordinarijs conueniatur.

Sextò Conseruatores huiusmodi semel legitimè electi durante quinquennio à die deputationis, & electionis mutari nullatenus possint,

sint, nisi ex legitima causa à Sede Apostolica, aut locorum Ordinarijs, prout ijsdem Regularibus, & alijs supradictis libuerit, approbanda.

Septimò coram Conseruatoribus prædictis Regulares conuenire debeant, sed alios conuenire, vel trahere non possint, quando ipsi Regulares rei extiterint, nec procedere præsumant extra Ciuitates, seu Diœces. in quibus fuerint deputati.

Octauò, si fuerit orta aliqua controuersia super competentia iurisdictionis inter dictos Conseruatores, & locorum Ordinarios, non procedatur in causa, donec per arbitros iuxta formam iuris fuerit iudicatum.

Nonò, Conseruatores, qui suos limites excesserint, per annum suspensi sint ab officio Conseruatoris, & pars, quæ hoc fieri procurauerit, incurrat sententiam excommunicationis, iuxta formam Constitutionis eiusdem Bonifacij, quæ incipit, *Hac Constitutione*.

Decimò, non prohibetur, quò minus Regulares in casibus à iure permissis petunt iudicem non suspectum à Principibus, seu Magistratibus sæcularibus: dum tamen hæc tria copulatiuè concurrant, videlicet vt Regulares sint actores, non autem rei, vtque agant contra laicum, & causa fuerit profana, non autem Ecclesiastica.

Non obstantibus constitutionibus Apostolicis, & litteris conseruatorialibus ad fauorem quorumcumque Ordinum, aut cuiusuis instituti, etiam necessariò exprimendis, cum derogatione consuetudinum immemorabilium, & priuilegiorum.

CAPVT XIII.

De distributionibus quotidianis.

SVMMARIVM.

1 *Distributiones quotidianæ debentur tantùm præsentibus diuinis officijs.*
2 *Distributiones ex tertia parte fructuum præbendarum non accrescunt alijs.*
3 *Capitulum, neque eius maior pars potest donare aliquid ex distributionibus in præiudicium non consentientium.*
4 *Episcopus potest vti duobus Canonicis pro eius seruitio.*
5 *Canonici seruientes Episcopo amittunt distributiones, si sunt distinctæ à massa communi.*
6 *Canonici tantum, & non alij presbyteri seruientes Episcopo censentur præsentes in choro.*

7 *Consuetudo, vt qui præsens vna hebdomada in choro, lucretur distributiones, etiam in alia, in qua non est præsens, an valeat.*

8 *Absentes à choro ex causa peregrinationis non lucrantur distributiones.*

9 *Distributiones an debeantur comitantibus Episcopum euntem ad audiendam missam extra Ecclesiam Cathedralem.*

10 *Canonici absentes per tres menses vigore Concilij Trident. an lucrentur distributiones.*

11 *Canonici quo ad residentiam an dicantur præsentes, si sunt in Ciuitate, & non seruiunt Ecclesiæ.*

12 *Licentia Episcopi an sit obtinenda à Canonicis, quando volunt abesse per tres menses vigore Concilij Trident.*

13 *Canonici, & alij qui sunt in Ecclesia, sed extra chorum, & si celebrant missam non censentur præsentes.*

14 *Distributiones non lucratur, qui recitat officium summissa voce in choro.*

15 *Vicarius generalis Episcopi Canonicus, vel aliàs de gremio an lucretur distributiones quotidianas, si non assistit in choro in habitu canonicali.*

16 *Distributiones quotidianas non lucratur Vicarius Capitularis sede vacante absens à choro, etiam si exerceat officium.*

17 *Distributiones quotidianæ debentur absentibus pro negotijs Capituli.*

18 *Distributiones quotidianæ debentur Pœnitentiario, & Parocho dum vacant confessionibus.*

19 *Distributiones debentur infirmis.*

20 *Commodum non debet quis reportare ex suo delicto.*

21 *Afflicto non est addenda afflictio.*

22 *Senes, qui non possunt personaliter Ecclesiæ deseruire, lucrantur distributiones.*

23 *Inquisitores hæreticæ prauitatis absentes à seruitio chori, lucrantur distributiones.*

24 *Carceratis, excommunicatis, interdictis, & suspensis iniustè debentur distributiones.*

25 *Carceratio sufficit, vt sit iniusta ex parte rei, vt possit habere distributiones.*

26 *Consuetudo, qua non dantur distributiones iniustè carceratis, vel excommunicatis est irrationabilis, & non valet.*

27 *Canonici euntes ad visitandum limina Apostolorum de mandato Episcopi lucrantur distributiones quotidianas.*

28 *Collector generalis, subcollectores Cameræ Apostolicæ, & Procuratores Fiscales lucrantur distributiones quotidianas in absentia.*

29 *Canonicus, vel Archidiaconus visitans redditus suæ præbendæ habet distributiones.*

30 *Examinatores electi in Synodo si sunt absentes à choro causa examinis lucrantur*

crantur distributiones quotidianas.

31 *Distributiones quotidianæ dicuntur etiam illæ, quæ in fine anni diuiduntur.*

32 *Episcopus debet interesse diuinis officijs eius Ecclesiæ Cathedralis.*

33 *Distributiones quotidianæ non faciunt spolium.*

34 *Capituli maior pars non potest concedere, vt quis habeat vocem in Capitulo, quam non habet.*

35 *Capitulum tunc dicitur, quando est more solito congregatum.*

36 *Actus gesti per Canonicos extra Capitulum, & per Decuriones extra Concilium non ualent.*

37 *Capitulum, seu Vniuersitas est quædam persona legalis, & intellectualis.*

38 *Capitulum differt à Canonicis, sicut Vniuersitas à personis ciuium.*

39 *Officialis sæcularis potest interuenire in Concilio Vniuersitatis.*

40 *Episcopus an possit interuenire in Capitulo, vel eius Vicarius.*

41 *Terraggia sunt asportanda per colonos ad domum domini territorij.*

1 Distributiones quotidianas lucrantur tantùm interessentes diuinis Officijs, & horis canonicis in choro cap. vnic. de cler. non resident. lib. 6. & nouissimè per Concilium Trident. sess. 24. c. 12. §. distributiones verò, & ita pluries fuit resolutum per Rotam Romanam, & signanter hodie 19. Maij 1595. coram D. Seraphino, & die 13. Martij 1592. coram Orano in vna Baren. coram eodem Seraphino, die 19. Iunij 1595. vt testatur Aloysius Ricc. in prax. decis. 493. n. 6. neque Capitulum etiam stante consuetudine potest statuere, & concedere, quod distributiones absentibus tribuantur, etiam per momentum temporis Concil. Trident. loco citato, potest tamen illas vnusquisque, quæ iam accreuerint, sibi remittere. Gratian. discept. forens. cap. 166. num. 31. cum seqq. Sed accrescunt alijs interessentibus diuinis Officijs, prout sunt plures, aut pauciores pro numero interessentium, & præsentes sibi acquirunt, non illo iure accrescendi, de quo in l. re coniuncti, ff. de legat. 3. Sed dicto cap. vnic. Nauar. cons. 3. de solut. & non valet consuetudo in contrarium, dicto cap. vnic. & fuit resolutum in Rota Romana coram dicto Seraphino, dicta decis. 19. Ricc. decis. 433. immò nullus nisi solus Papa potest dispensare, vt quis in absentia percipiat distributiones quotidianas, quę Canonicis, & alijs, qui officijs diuinis inseruiuant, non autem absentibus sunt distribuendæ, Io. Francisc. de Leone in Thesaur. for. Eccles. part. 2. cap. 18.

2 Distributiones verò, quæ perceptæ sunt ex tertia parte fructuum, & redditum, dignitatum, Canonicatuum, & personatuum in Ec-

clesijs Cathedralibus, & Collegiatis iuxta decreta Concilij Trident. sess. 21. cap. 3. & sess. 22. cap. 3. de reformat. quas non lucrantur absentes, non accrescunt præsentibus, & interessentibus diuinis officijs: sed applicantur fabricæ Ecclesiæ, vel alteri pio loco arbitrio ordinarij.

3 Nec Capitulum, nec alij præsentes possunt concedere, vt absentes distributiones percipiant, quia consensus Canonicorum, & aliorum est priuatus, & non potest præiudicare iuri publico, l. ius publicum, ff. de pact. cap. si diligenti, de for. compet. & tantò magis hodie per Concilium Trident. dicto cap. 12. §. distributiones, sess. 24. vbi statuitur, quòd non possit fieri remissio distributionum quotidianarum, idem tenet Nauar. de hor. Canon. Miscellan. 19. & cons. 7. de Cleric. non residentib. neque aliquid de eis cuiquam donare, & propterea cum in Ecclesia nostra Cathedrali Montispelusij esset introductus prauus abusus, quòd Capitulum solebat ex distributionibus aliquam pecuniæ quantitatem Episcopis, & alijs donare, ego porrexi supplicem libellum Sacræ Congregationi Concilij Trident. his verbis: Illustrissimi, & Reuerendissimi Domini. Supplicatur pro declaratione infrascripti dubij secundum formam Sacri Concil. Trident. in cap. 12. §. Distributiones verò, sess. 24. de reformat. In Ecclesia Cathedrali Montispelusij omnes redditus, qui sunt communes inter Canonicos, & alios Sacerdotes consistant in distributionibus quotidianis, quæ licet non quotidie, sed in fine anni, quo maturantur, diuidantur interessentibus diuinis officijs, habita tamen ratione ad seruitia quotidiana per punctos, quibus absentes à seruitio chori singulis diebus, & horis punctantur, portionesque absentium alijs præsentibus accrescunt, & cum introductum sit, quod aliquando maior pars Canonicorum, & aliorum Sacerdotum congregato Capitulo soleat donare aliquam quantitatem dictarum distributionum Episcopo, vel alijs. Quæritur an donatio valeat in præiudicium non consentientium, ita vt portio sit danda integra non consentientibus absque diminutione. Sacra Congregatio Cardinalium Concilij Trident. interpretum censuit huiusmodi donationem saltem quo ad illos, qui non consentiunt nullam, atque irritam esse, eosque cum diuinis inseruierint integras distributiones quotidianas lucrari, perinde, ac si donatio non processisset. Horat. Cardinal. Lancilottus.

4 Sed notandum est, quod licet Episcopi possint habere duos Canonicos in eorum seruitio, cap. ad audientiam, de Cler. non resid. qui Canonici lucrantur fructus suarum præbendarum, sed non distri-

distributiones quotidianas, cap. de cætero de cler. non resid. Nauar. cons. 2. de Cler. non resid tamen hoc procedit cum distinctione, quam facit Sacra Congregatio Concilij Triden. prout rescripsit Episcopo nostro per hęc verba: Reuerendissimo Domino vti fratri Episcopo Montispelusij, duo illius Ecclesiæ Cathedralis Canonici quoties amplitudini tuæ inseruiendi causa abfuerint à residentia, si quidem redditus omnes Capituli consistant in distributionibus quotidianis, lucrantur illi quidem ipsas quoque distributiones, earum ta-
5 men dimissa tertia parte, quæ deseruientibus accrescit; sin autem distributiones sunt à massa communi distinct æ, tunc amissis integris distributionibus quotidianis, præbendæ fructus duntaxat eis capere licebit, id de sententia Sacræ Congregationis Concilij Trident. interpretis ad amplitudinem tuam scripsi, vt quid, quatenusque sibi, & Canonicis sibi seruientibus permissum sit, intelligat, & vbi opus sit exequatur. Valeat interim in Domino, qui gratiæ suę dona cumulatiùs largiatur. Romæ die 30. Martij 1591. Amplitudinis tuæ Reuerendissimæ vti frater. Hieronym. Cardinal. Matthæus.

6 Item notandum est, quod quamuis duo Canonici seruientes Episcopo censeantur præsentes in choro, & lucrentur fructus præbendę, vel duas partes distributionum quotidianarum, vt suprà ex dicta declaratione Sacræ Congregationis: non tamen alij; qui non sunt Canonici, qui seruirent Episcopo, quia tex. in dicto cap. ad audientiam, de Cler. non resid. procedit in Canonicis tantum, & non extenditur ad alios inferiores; quia cùm materia sit odiosa, & damnosa Ecclesijs, ex quo diminuitur cultus diuinus, strictè est intelligenda, Abb. in cap. cum dilectus num. 7. de cler. non resid. & cum dignitates, & Canonici teneantur assistere Episcopo Pontificalia exercenti, Concil. Trident. sess. 24. cap. 12. §. omnes verò de reformat. cum ei assistunt etiam si exerceret pontificalia in alia Ecclesia, quàm Cathedrali, lucrantur distributiones, non autem extra Ciuitatem, & non tenentur assistere Episcopo priuatim celebranti, prout censuit eadem Sacra Congregatio.

7 Sed quæro, an valeat consuetudo, vt quis seruiens Ecclesiæ in vna hebdomada lucretur distributiones quotidianas, etiam in alia hebdomada, in qua est absens à choro, prout in quibusdam Ecclesijs, in quibus Canonici, & alij Sacerdotes seruiunt per hebdomadam? Resp. quod puto dictam consuetudinem non valere, quia videtur esse contra tex. in dicto cap. vnic. de cler. non resid. lib. 6. & consequenter contra decretum Concilij Trident. in dicto cap. 12. §. distributiones verò, quod illud innouauit, dum disponit distributiones quotidianas

non esse tribuendas illis, qui non intersunt diuinis officijs, non obstante quacumq; consuetudine, sicut non valet consuetudo, vt interessens vni officio, lucretur distributiones assignatas pro alio officio, in quo non est præsens, Nauar. cons. 9. de cler. non resid.

8 Hanc regulam, quod distributiones quotidianæ interessentibus tantùm diuinis officijs dari debeant, amplia etiam si abessent ex deuotione, puta causa peregrinationis, etiam si extaret statutum in Ecclesia, vt illas lucrentur absentes ex causa peregrinationis; quia tale statutum non valet, vt ita refertur censuisse Sacram Concilij Congregationem, per cap. prædictum Concilij, §. distributiones verò ibi quauis remissione exclusa; item non debentur absentibus etiam per modicum tempus, quia omnibus horis interesse tenentur, atq; per omnes horas debet fieri compartitio distributionum, clem. 2. iuncta glos. in verb. certis horis, de ętat. & qualit. Nauar. cōs. 9. de cler. non resid.

9 Secundò amplia, etiam si Canonici, vel alij Sacerdotes associarent Episcopum volentem audire quandocunque missam in Ecclesia Cathedrali, sed in alia Ciuitatis, quia dicti associantes amittunt distributiones quotidianas ex declaratione Sacræ Congregationis Concilij his verbis: Non possunt Canonici videlicet duo, aut plures associantes eorum Prælatum quandoq; volentem audire missam in Cathedrali, sed in alia Ciuitatis Ecclesia, participes fieri distributionum quotidianarum, quæ omnino præsentibus, & interessentibus, & inseruientibus dantur, de qua declaratione testatur Gonzal. in regula octaua Cancellariæ Apostolicæ, num. 181.

10 Tertiò amplia, etiam si Canonici abessent per tres menses ab Ecclesia ex decreto Concilij Trident. sess. 24. cap. 12. §. præterea de reformat. quia, & si liceat eis abesse, non tamen lucrantur distributio-
11 nes quotidianas, quæ accrescunt alijs seruientibus, ex declaratione eiusdem Sacræ Congregationis: sed nota, quòd absens quoq; dicitur quo ad residentiam Canonicatus, etiam si maneat in Ciuitate, vbi sita est Ecclesia: sed non seruit, neque frequentat eam, vt declarauit eadem Sacra Congregatio his verbis: An puniendi sint, qui à seruitio Ecclesiæ absunt, quamuis in loco, vbi ipsa Ecclesia consistit, sint præsentes? Sacra Congregatio censuit eos esse puniendos; nam Canonici non possunt abesse nisi per tres menses, de qua declaratione
12 testatur Ricc. in prax. decis. 501. Item nota, quòd quando Canonici volunt abesse à residentia per dictos tres menses, non tenentur obtinere licentiam ab Episcopo. Ita declarauit Sacra Congregatio Concilij per hæc verba: Congregatio Concilij censuit non requiri licentiam

tiam Episcopi, quando Dignitates, Canonici, & Portionarij abesse volunt tempore ipsis à Concilio Trid. permisso: non tamen omnes simul abesse possunt, ne Ecclesia suo debito seruitio destituatur, quibus mensibus per Concilium abesse licet causam absentiæ non esse opus assignare; item aliàs decreuit his verbis: Quando vigore decreti Concilij Canonici abesse volunt, non tenentur causam Episcopo significare, vel ab eo licentiam petere; ratio potest esse, quòd frustra prçcibus impetratur, quod à lege concessum est, l. 1. C. de Thesaur. lib. 10. glos. in l. 1. ff. ad municipal. & ibi Doctores, & de dicta declaratione Concilij testatur Ricc. decis. 501.

13 Quartò amplia etiam in eo, qui tempore, quo dicitur vna hora in choro, missam celebrat in eadem Ecclesia ex deuotione, vel ex obligatione; nam non dicitur interfuisse illi horæ, nec illius distributiones percipere potest, si verò iussus fuerit à Superiore, vt celebret, tunc percipiet eas; superior tamen cauere debet à tali iussione: ita eadem Sacra Congregatio per eademmet verba censuit, vt refert Quarant. in Summ. Bullar. in Verb. distributiones quotidianæ.

14 Quintò amplia etiam in eo, qui licèt sit præsens in choro, non tamen recitat, vel non cantat officium cum alijs, sed summissa voce dicit officium; quia non censetur de corpore chori, non lucratur distributiones quotidianas, Gaet. in Verb. Horæ Canonicæ, Nauar. de hor. canon. cap. 16. num. 5. per cap. fin. dist. 92. Innoc. in cap. dolentes de celebrat. miss. Syluest. in Verb. Horæ, §. 3.

13 Sextò in Vicario generali Episcopi, qui est de gremio Capituli; quia si vult lucrari distributiones debet interesse in choro, & sedere in loco suo, & si est Canonicus in loco sui canonicatus, & incedere in apparatu clericali, ita fuit pluries resolutum in Congregatione sacrorum Rituum, & signanter in Ecclesia Lauretana, vt refert Prax. Archiep. Cur. Neapol. cap. 86. in additione his verbis: Sacra Rituum Congregatio inhærendo decretis aliàs in simili casu factis censuit, & declarauit Vicarium generalem, cum sit Primicerius, & tertia Dignitas eiusdem Ecclesiæ, nullo modo posse lucrari distributiones quotidianas, nisi in suo proprio stallo, seù loco, & in habitu canonicali, quo similes eiusdem Ecclesię Dignitates, & Canonici vtuntur, missis eiusdem Ecclesiæ horis canonicis, diuinis officijs, & actibus Canonicalibus, & Capitularibus assistat; cæterùm si tamquam Vicarius generalis in habitu Prælati primum locum supra omnes Dignitates, & canonicos habere contendit, tunc nullo modo posse, nec debere lucrari distributiones quotidianas censuit, & declarauit. Die 21. Martij 1609. Dominicus Episcopus Ostiens. Cardinal. Pinellus Mucantius

Secretarius Congregationis.

16 Septimò amplia in Vicario Episcopali sede vacante, qui deputatur à Capitulo, si est de gremio, & corpore ipsius, qui dum à choro abest, licet exerceat officium, illique tempore diuinorum officiorum vacat, non lucratur tamen distributiones quotidianas, Alex. Monet. in tract. de distribution. quotid. part.2. qu.11. num.83. Quarant. in Summ. Bullar. in verb. Capitulum sede vacante, num.8. in fin.

17 Sed limitatur, & primò, si aliquis de mandato sui Capituli abesset ab Ecclesia pro causis, & negotijs eiusdem Capituli, quia pro vtilitate, & necessitate suæ Ecclesiæ censetur residere, lucratur distributiones quotidianas, Archid. in cap.1. de cler. non resid. lib.6. quod procedit, etiam si esset Dignitas, vel Canonicus, Nauar. cons.8. de cler. non resid.

18 Secundò limitatur in habente beneficium in Ecclesia Cathedrali, vel Collegiata, cui est annexa cura animarum; quia dum animarum curæ vacat, debet percipere distributiones quotidianas pro eo tempore, quo ei vacat, Concil. Trident. sess.22. cap.3. de reformat. Nauar. cons.2. num.2. de cler. non resid. & similiter pœnitentiarius deputatus ad formam Concilij Trident. qui dum confessiones audit in Ecclesia, censetur præsens in choro, ex decreto Concilij Trident. sess. 24. cap.8. in fin. de reformat.

19 Tertiò, debentur distributiones infirmo, durante eius infirmitate, cap.1. de cler. non resid. lib.6. innouatum per Concilium Trid. dicta sess.24. cap. 12. §. distributiones vero, quia ex morbi impedimento non potest personaliter adesse diuinis officijs, licitè percipit distributiones quotidianas in absentia, Duen. regul.206. vers. limita septimò, Fusch. de visitat. Eccles. lib.1. capit.15. num.25. & cap.20. num.26. quod procedit etiam, si infirmitas esset causata culpa ipsius infirmi, Couar. var. resolut. cap.13. num.8. Fusch. dicto cap. 20. numer.26. Monet. de distribut. quotid. part.2. q.6. num.21. & licèt,

20 aliqui dixerint, quòd ex delicto, & peccato, per quod infirmitas peruenerit, non debet commodum reportare, & quòd malè meritus, debet egestate laborare, l. bona fides, ff. de posit. alias esset iniuria nasci, vnde iura oriuntur, l. meminerit, C. vnde vi, cap. qualiter, & quando in principio de accusat. & indicens est crimen suum commodis alienis impendere, cap. fin. dist.46. tamen vera, & communis opinio est, quod quomodocumque sit causata infirmitas, debentur distributiones quotidianæ infirmis, nec obstant prædicta, quia in hoc

21 non rigor, sed æquitas attenditur, ne maior afflictio addatur afflicto, l. diuus. ff. de off. præsid. l. tàm dementis C. de Episcop. audient. Verum ita-

runtamen dicunt Doctores, si dum aliquis erat sanus, solebat interesse horis canonicis, quòd tunc lucratur distribuliones quotidianas, sed sit talis ægrotus non erat solitus frequentare, & interesse diuinis officijs, dum benè valebat, tunc infirmitas illius non iudicatur pro absentia, & interessentia, cum eo casu ipsa infirmitas non præstiterit causam absentiæ, & tunc quidem clericus infirmus non lucrabitur huiusmodi distributiones, Nauar. de hor. canon. cap. 11. num. 9. Corset. singular. 151. incip. An quilibet infirmus, Couar. loco citato, num. 8. vers. sexto, Monet. dicta part. 2. q. 6. numer. 21. & quamuis aliqui teneant tunc demum infirmum consequi debere distributiones, quando præsens est in loco, vbi est Ecclesia; sed verior est sententia Alex. Monet. in dicto tract. de distribut. quotid. part. 2. q. 6. nu. 10. qui dicit, quòd si clericus aliò se conferat acquirendæ causa sanitatis, vt ad balnea, vel ad celebrem aliquem medicum, vel etiam vt aeris, & cęli inclementiam sibi nocentis effugiat, lucratur distributiones interim in dicta absentia; item si tamquam morbosus, seù infectus aliquo morbo contagioso, veluti lepra, peste, & huiusmodi a Ciuitate abesse iubetur, distributiones percipere debet, idem Monet. dicta quæst. 6. numer. 11.

22 Quartò limitatur, quando aliquis est adeò senio confectus, vt non possit commodè personaliter Ecclesiæ deseruire, Menoch. de arbitr. casu 60. num. 10. Monet. part. 2. q. 7. num. 5. quia dandæ sibi sunt distributiones quotidianæ.

23 Quintò, inquisitores hæreticæ prauitatis habentur in omnibus suis beneficijs & dignitatibus, ac præbendis pro præsentibus, & residentibus, & percipiunt integros fructus suarum præbendarum, ac etiam distributiones quotidianas ex priuilegio speciali fauore fidei eis concesso à Paolo III. & Pio V. vt referunt Roi. de priuileg. inquisit. 420. & Spin. in specul. test. glos. 3.

24 Sextò limitatur in carcerato, & iniustè detento; nam ei debentur distributiones quotidianæ, & etiam funeralia, & alia instar earum, quæ solis præsentibus diuiduntur, & distribuuntur, cap. super causa, 2. q. 5. glos. communiter recepta in cap. pastoralis, §. verum in verb. subtrahuntur, de appellat. non obstante quacumque consuetudine incontrarium, Couar. var. resolut. lib. 3. cap. 13. nu. 8. vers. 11. Nauar. cons. 9. de cler. non resident. Lelius Zecch. de Republic. Christian. cap. 24. num. 6. vers. sextò debentur. Alex. Monet. de distrib. quotid. part. 2. q. 5. num. 80. Item iniustè excommunicatus debet habere distributiones quotidianas, tenet Couar. var. resolut. lib. 3. cap. 13. n. 8. vers. Cæterum, Monet. de distribut. quotid. par. 2. q. 15. num. 22. sic

etiam

etiam iniuftè, & nulliter interdictus ab ingressu Ecclesiæ, & suspen-
25 sus, idem Monet. loc. citato, num. 46. & part. 3. q. 6. num. 46. quòd procedit etiam, si carceratio, vel excommunicatio esset iusta ex parte iudicis, vt si habuisset inditia sufficientia, non solùm ad capturam, & carcerationem: sed etiam ad illum torquendum; quia sufficit, quod sit iniusta ex parte rei, qui postea per sententiam fuit absolutus, vt est casus formalis in dicto cap. super causa, 2. q. 5. etiam si in primo iudicio fuerit lata sententia condemnatoria, quæ per appellationem interpositam à iudice appellationis reuocata fuerit, & per eius sententiam inquisitus, seu accusatus absolutus fuerit; quia appellatio suspendit sententiam, quatenus respicit futurum, & quatenus respicit præ-
26 sens extinguit, l. 1. ff. ad Turpillan. & qui appellat, non dicitur condemnatus, l. 2. §. fin. ff. de pœn. & hoc procedit etiam, si esset consuetudo in contrarium, & quia probaretur nunquam fuisse datas distributiones carceratis, & excommunicatis, siue iniuftè; quia vti irrationabilis non valet; nam est contra ius naturale, & diuinum, quod dictat, neminem sine culpa damno subijciendum esse, cap. 2. de const. Nauar. consl. 10. & 11. de cler. non resid. Quarant. in Summ. Bullar. in Verb. Distributiones quotidianæ.

27 Septimò limitatur, si aliquis ex canonicis missus fuerit Romam ab Episcopo ad visitandum limina Apostolorum, vel si comitaretur Episcopum euntem ad visitandum eadem limina; quia debentur ei distributiones quotidianæ ex declaratione sacræ Congregationis.

28 Octauò, Collector generalis Cameræ Apostolicæ, subcollectores, Aduocati, Procuratores fiscales, & Notarij in causis spoliorum, & iurium præfatæ Cameræ, eorum officio durante lucrantur distributiones quotidianas in absentia per Bullam Sixti V. Datam Romæ sub anulo Piscatoris, die 8. Maij 1590. anno Pontificatus sui sexto.

29 Nonò, quando aliquis Canonicus, vel Archidiaconus visitat redditus suæ præbendæ, percipit distributiones quotidianas: cum visitando, & defendendo prædicta iura, & loca seruiat Ecclesiæ in re vtili Alex. Monet. part. 2. q. 11. num. 63.

30 Decimò examinatores in Synodo deputati si causa examinis absunt à choro, lucrantur distributiones quotidianas, Lelius Zech. de Republ. Ecclesiast. tit. de beneficiatis nu. 13. in fin. refert, ita Sacram Congregationem decidisse.

31 Sed notandum est, quòd distributiones quotidianæ non solùm sunt, & illæ dicuntur, quæ quotidie actu distribuuntur, sed etiam, quæ in fine anni diuiduntur inter eos, qui in anno fuerunt præsentes in choro in diuinis officijs; habita tamen ratione in diuisione, & distri butio-

butione ad seruitia quotidiana, & singularum horarum, Mandos. de signat. grat. tit. pensiones, vers. distributiones, Addit. ad Quarant. in Summ. Bullar. in Verb. Residentia; quia licèt distributiones quotidianæ strictè dicantur illæ, quæ quotidie actu, & singulis diebus distribuuntur, Arg. tex. in cap. vnic. de cler. non resid. lib. 6. tamen quando distributiones in fine maturantur, distribuuntur habito respectu ad seruitia quotidiana per punctos, dicuntur etiam distributiones quotidianæ, Achill. de Grass. decis. 12. de præbend. & ita fuit resolutum in vna Baren. coram D. Seraphino, die 19. Iunij 1595. & Achill. de Grass. in dicta decis. 12. dicit, quòd distributiones quotidianæ etiã dicuntur, quamuis solutio vnica tantùm fiat certo tempore, non autem in singulos dies, vel horas habita ratione ad seruitia singularum horarum canonicarum. Sed notandum est, quòd istæ distributiones, quæ non quotidie, sed in fine anni, vel semestri diuiduntur, dicuntur impropriè distributiones quotidianæ; Vnde canonicatibus non habentibus præbendas distinctas, huiusmodi distributiones dicuntur facere præbendam, & loco eius succedunt; ex quo infertur, quòd in dictis distributionibus non procedit regula illa, quòd priuilegiati in absentia, licèt participent fructus præbendæ; non tamen distributiones quotidianas; quia cum succedant loco præbendæ, tamquam fructus habentur, & absentes Canonici ex quauis legitima causa illas lucrantur, glos. in dicto cap. vnic. de cler. non resid. in verb. receperint, & cap. licet in verb. distributiones, de præben. Abb. in cap. olim de verb. signif. Archid. in dicto cap. vnic. Nauar. cons. 13. de cler. non resid. Ricc. decis. 499.

32 Secundò notandum est, quòd clerici quotidie horis canonicis interesse debent per ea, quæ habentur in cap. 1. de celebrat. miss. & notat glos. in dicto cap. vnic. in verb. infirmitas de cler. non resid. sed Episcopi non sunt immunes ab eorum Ecclesiæ Cathedralis horis, vt ipsi existimant; nam Gregorius in cap. peruenit 7. q. 1. statuit, vt Episcopus in sua Ecclesia more sacerdotali residere debeat, non obstante cap. Episcopus, de consecrat. dist. 3. vbi habetur, Episcopum non teneri interesse diuinis officijs, prææterquam Dominicis diebus, quia non intendit dicere, quòd interesse non teneatur alijs diebus, sed quia Dominicis diebus se excusare non potest, nisi ob infirmitatem, vel aliam similem causam, & si alijs diebus alia causa leuiori non possit, Nauar. de hor. canon. cap. 5. num. 16.

33 Tertiò notandum est, quòd distributiones quotidianę habent priuilegium, quòd de eis non fit spolium; quia efficiuntur bona propria clericorum, & vti quæsita ratione laboris, & seruitij personalis Ecclesiæ,

clesiæ, possunt de illis disponere ad eorum libitum, Gemin. in cap. præsenti, ff. de off. ord. lib. 6. Couar. in cap. cum in officijs de testam. Dec. cons. 280. Redoan. in tract. de spol. Eccles. q. 1. num. 27. vers. vlterius Canones.

34 Quartò notandum est, quòd maior pars Capituli non potest concedere, vt qui non habet vocem in Capitulo, illam habere possit, & dicere suum votum, nisi consentirent omnes, glos. communiter recepta, in cap. quia propter, in Verb. vice omnium, de elect. quia necesse est, quòd totum capitulum concors sit, & nullus discrepet. Nauar. cós.
35 2. num. 3. de consuetud. Vinc. de Franch. decis. 2. num. 22. & tunc dicitur Capitulum, quando est more solito, & consueto congregatum: & deliberatio, seu conclusio ibi à maiori parte facta, dicitur actus gestus à Capitulo, sicut de vniuersitate dicunt, Bart. Angel. & Paul. de Castro in l. sicut, §. si quid vniuersitati, ff. quod cuiusque vniuers. nomin. & in l. metum, §. animaduertendum, ff. quòd met. caus.
36 glos. in l aliud, §. refertur, ff. de regul. iur. hinc est, quòd actus gesti per decuriones, & electos extra Concilium legitimè congregatum, & per Canonicos extra Capitulum, licèt omnes de regimine Vniuersitatis, & omnes Canonici de Capitulo concurrant, non censentur actus Vniuersitatis, nec Capituli, Bart. in l. omnes populi, ff. de
37 iust. & iur. Bertran. cons. 42. num. 7. lib. 2. quia Vniuersitas, seù Capitulum est, quædam persona legalis, & intellectualis separata à ci-
38 uibus, & à Canonicis, sicut hæreditas differt à rebus hæreditarijs, sic Capitulum, Vniuersitas, & Collegium differunt à personis eorum, vt latè per Gabriel. in tract. comun. opin. tit. quodq; cuius Vniuers. nom. conclus. 1. Hinc est, quòd in Regno non potest Vniuersitas etiã mittere litteras alicui, nisi congregato consilio, & subscriptas manibus Syndicorum, & Decurionum præcedente conclusione scripta in libro conclusionum per regiam prag naticam Don Petri Giron, die 22. Iulij 1585.

39 Quintò notandum est, quòd licèt officialis sęcularis possit interuenire in Concilio Vniuersitatis, glos. magna in l. 1. ff. quòd cuiusque vniuersit. nom. vbi Soc. num. 24. nisi vassalli litigarent cum Barone; nam tunc petita licentia, quamuis non obtempta possunt se congregare, dummodo tractetur de causis contra Baronem tantùm, pro vt fuit decisum per Sacrum regium Consilium, teste Vic. de Ann. singul. 367. tamen Vicarium generalem Episcopi, videtur dicendum
40 non posse interuenire in Capitulo, quamuis Episcopus, quando non tractatur de re spectante ad suum, vel suorum commodum, possit interuenire iuxta decretum Concilij Trident. sess. 25. cap. 6. de refor-

mat.

mat. sed Vicarius potest interuenire, si talis facultas ante Concilium Trident. ex consuetudine, aut alio quocumque iure legitimè competebat, aliàs minimè potest, vt refertur censuisse sacram Congregationem.

41 Demum est notandum, quòd si distributiones quotidianæ, massa communis, vel præbendæ consistant in terragijs, illa debent per colonos asportari in domum eorum, quibus debentur, si ita est consuetudo; nam ita decisum fuit per Sacrum regium Consilium, vt dicit Vinc. de Ann. allegat. 94. num. 11. lib. 2.

CAPVT XIV.

An valeat consuetudo exigendi aliquid temporale pro re spirituali.

SVMMARIVM.

1 *Sacramenta liberè sunt administranda.*
2 *Consuetudo laudabilis quæ sit.*
3 *Consuetudo contra ius diuinum est detestanda.*
4 *Consuetudo introducta à laicis ad fauorem clericorum quando valeat.*
5 *Consuetudo soluendi aliquid pro benedictione nubentium an valeat.*
6 *Pacisci an liceat pro exequijs.*
7 *Prædicatores verbi Dei licitè possunt petere mercedem prædicationis.*
8 *Prædicatores possunt pacisci mercedem prædicationis.*
9 *Monacus quicquid acquirit, Monasterio acquirit.*
10 *Consuetudo, vt Clerici distribuant populo candelas in die Purificationis, est valida, & obseruanda.*
11 *Consuetudo immemorabilis habet vim priuilegij.*
12 *Consuetudo, quæ redundat in vtilitatem clericorum, quando valeat.*
13 *Consuetudo, vt soluatur aliquid pro prima Missa an valeat.*
14 *Consuetudo, vt pro immissione in possessione canonicatus, vel beneficij aliquid soluatur, an sit valida.*
15 *Episcopi conferentes beneficia, vel exequentes Bullas Apostolicas nihil possunt accipere.*
16 *Cancellarius, seu Secretarius Episcopi quid possit accipere pro bullis.*
17 *Consuetudo dandi munus, quod strenam vocant, à Capitulis suis Episcopis an sit valida.*
18 *Consuetudo præter ius præscribitur spatio decem annorum.*
19 *Episcopi tenentur tueri iura debita suæ dignitati.*
20 *Munera, quæ à principio sunt voluntaria, per consuetudinem fiunt debita.*

21 *Stre-*

21 *Strena quid significat.*

22 *Consuetudo, vt Sacerdotes soluant singulis annis Episcopo singulos aureos, an valeat.*

23 *Consuetudo seruiendi Ecclesiæ per triennium, antequam quis participet, an valeat.*

IN hac materia an exigi possit aliquid temporale pro re spirituali, est recurrendum ad tex. in cap. ad Apostolicum, de simon. vbi Innocentius III. dicit, quòd quidam clerici pro exequijs mortuorum, benedictionibus nubentium, & similibus pecuniam exigunt, & extorquent; & si fortè eorum cupiditati non fuerit satisfactum, impedimẽta fictitia fraudulenter opponunt, & è contra quidam laici laudabilem consuetudinem erga sanctam Ecclesiam pia deuotione fidelium introductam ex fermento hæreticæ prauitatis nituntur insurgere sub prætextu canonicæ pietatis, qua propter sub his prauas exactiones fieri prohibemus, & pias consuetudines præcipimus obseruari, sta-
1 tuentes, vt liberè conferantur Ecclesiastica Sacramenta, sed per Episcopum loci veritate cognita compescantur, qui malitiosè nituntur laudabilem consuetudinem immutare. Idem statuit, Alexander III. in cap. non satis, & cap. sequenti, de simon. vbi dicit, quod simoniacum est recipere prętium pro ingressu Religionis, pro prioratibus, vel Capellis concedendis, pro concedenda sepultura, pro chrismate, pro oleo Sancto, pro benedictionibus nubentium, vel alijs Sacramentis. Nec valet consuetudo incontrarium, nisi sit rationabilis, & laudabilis, vt in dicto cap. ad Apostolicam; & ideò videndum est, quæ sit
2 consuetudo laudabilis; & in hac materia potest dici, quòd est illa, quæ est introducta à pia fidelium deuotione, vt colligitur ex dicto cap. ad Apostolicam, erga Sanctam Ecclesiam. Sed pro intelligentia est distinguendum. Aut consuetudo exigendi temporale pro re spirituali habuit malam originem, & malum principium, & vitiosum, aut bonum, & honestum, quando habuit principium malum, nempè quando illa exactio est introducta per extorsionem, & per vim, & tunc non est consuetudo laudabilis, sed est corruptela detestanda, Abb. in cap. suam, de simon. vbi dicit, quòd consuetudine introduci potest, vt aliquid detur pro re spirituali sine simonia, vt quando non præcessit exactio, sed ex mera liberalitate, & deuotione populi, sed
3 si per vim, & per extorsionem est introducta, est irrationabilis, & improbanda; cum sit contra ius diuinum, cap. cum in Ecclesiæ, de Simon. Aut consuetudo habuit bonum principium, nempè quando ex voluntaria, & spontanea fidelium oblatione est introducta; & tunc

est

est subdistinguendum, aut est introducta consuetudo à laicis ad fauo-
4 rem clericorum, aut à clericis contra clericos. Primo casu, quando
est introducta à laicis ad fauorem clericorum, & tunc, si est præscri-
5 pta spatio decem annorum, est consuetudo valida, si habuerit bonum
principium, Abb. in cap. peruenit de censib. hinc est, quòd valet con-
suetudo, vt pro exequijs defunctorum soluatur certa quantitas pecu-
6 niæ, & sic etiam pro benedictionibus nubentium, & huiusmodi, &
stante tali consuetudine, non potest antea pacisci, S. Tho. 2. 2. q. 100.
art. 1. & 2. Abb. ex Felin. in dicto cap. ad Apostolicam, vbi dicunt,
quòd nec peti potest pignus, nec fideiussor, nisi experientia visum es-
set, quòd ex post facto talis merces non posset exigi, vel cum difficul-
tate, quia tunc benè potest peti, & accipi pignus, Gaet. in verb. Si-
7 monia, §. 4. Nauar. in Manual. cap. 23. num. 101. & 106. Item Con-
cionatores verbi Dei licitè possunt petere, & exigere mercedem suæ
prædicationis ob locationem suorum operum; non enim venditur
verbum Dei, sed labor, qui est pretio æstimabilis pro necessitate
emendi libros, & alia necessaria pro substentatione vitæ, vt quotidie
videmus obseruari, quod procedit non solùm vt possint petere, &
percipere eleemosinam, seu mercedem post completam concionem,
8 sed possunt pacisci antea, & Simonia non committitur, quia princi-
palis intentio est non vendere rem sacram, sed labores locare, nam
Diuus Paulus, ait: *Si seminamus vobis spiritualia, congruum est, vt tempo-
ralia metamus*, quod est registratum in cap. si Episcopus, de off. ordin.
lib. 6. etiam si talis prædicator sit diues beneficijs, vel patrimonio;
nam fit per locationem operum, Abb. in cap. cum ex offic. de præ-
script. Sot. de iust. & iur. lib. 9. quæst. 6. art. 2. & art. 3. S. Thom. lo-
co citato, & intelligitur de illis prædicatoribus, qui possunt proprium
9 possidere, sed de alijs subintrat regula, quicquid acquirit Monacus,
acquirit Monasterio, cap. cum ad Monasterium de stat. Monacor.
10 Aut consuetudo est introducta à clericis ad fauorem laicorum, & sic
à laicis contra clericos, & tunc vt dictum supra si bonum principium
11 habuit, quod in dubio est præsumendum, est valida; hinc est, quòd
vbi adest consuetudo, qua Parochi suis expensis distribuant candelas
in die Purificationis Beatæ Mariæ Virginis, tenentur obseruare di-
ctam consuetudinem, si sit præscripta spatio decem annorum, & pos-
sunt compelli ad obseruandam talem consuetudinem, Felin. in dicto
cap. ad Apostolicam, & tanto magis dicta consuetudo est obseruan-
da, quando est immemorabilis, vt in multis Ciuitatibus, in quibus
Episcopi in prædicto die distribuunt populo candelas suis impensis;
cum hæc consuetudo habeat vim priuilegij, cap. super quibusdam,

§. præ-

§. præterea de verb. signif. l.hoc iure, §. dictus aquæ, ff. de aqu. quotid. & æstiui. Abb. & Felin. in cap. cum contingat, de for. compet. & in cap. accedentes de præscript. Dec. cons. 171. Abb. in cap. ad hoc de simon. Paul. Fusch. de visitat. & regimin. Eccles. lib. 1. cap. 20. n. 32.
12 Cardinal. Tusch. practicar. conclus. tom. 2. conclus. 330. nu. 2. Aut consuetudo est introducta à clericis contra clericos, & tunc est distinguendum, aut consuetudo redundat in priuatam vtilitatem clericorum, vt in cap. sicut pro certo, & cap. Iacobus, de Simon. qui textus loquuntur de praua illa consuetudine, vt in admittendo aliquem in
13 numero Canonicorum, soluatur aliquid Canonicis, & Capitulo, vel vt fiat prandium, vel si propter primam missam celebrandam competat Archidiacono vna vacca, vel prandium presbyteris, talis consuetudo non obligat, & est simoniaca, dicto cap. Iacobus. Aut talis consuetudo redundat in communem vtilitatem Ecclesiæ, & valet, vt si dandum est aliquid pro paramentis, pro fabrica, vel pro celebrandis Missis, vel diuinis officijs, per decretum Concilij Trident. sess. 24. cap. 14. de reformat. & Bullam Pij V. quæ incipit, *Durum nimis*, pu-
14 blicatum Romæ calend. Iunij. 1570. & refertur sacram Congregationem censuisse, non posse Capitulum quicquam exigere pro immissione in possessionem Canonicatus, vel præposituræ, nisi aliquo statuto, vel consuetudine id in aliquos pios vsus erogandum esset: & an valeat consuetudo, vt Canonici soluant aliquam pecuniæ quantitatem, quando capiunt possessionem Canonicatus erogandam in reparationem domorum, molendinorum, & huiusmodi Ecclesiæ, vide Nauar. in cons. 84. de Simon. & an liceat Episcopo pro collatio-
15 ne beneficiorum, Canonicatuum, vel pro bullarum Apostolicarum exequutione aliquid accipere, vide Nauar. in cons. 15. de Simon. vbi dicit nihil licere accipere ex decreto Concilij Trident. dicta sess. 24. cap. 14. in quo dispositum est, non posse exigere aliquid ab ijs, qui sunt electi, præsentati, instituti, vel instituendi, immò si Episcopus aliquid, & si dulciaria dumtaxat exegerit in receptionem alicuius Canonicatus, est suspensus à Pontificalibus per dictam Constitutio-
16 nem Pij V. & quicquid receperit, ad restitutionem tenetur. Item neque Secretarius Episcopi, quacumque consuetudine non obstante, potest pro bullis accipere, nisi vnum aureum, fertur enim Sacram Congregationem Concilij censuisse, non posse Cancellarios Episcoporum pro expeditione litterarum collationis, vel institutionis quorumcumque beneficiorum, vel pro deputatione Vicariorum accipere mercedem, nisi suo labori conuenientem, quæ tamen pro scriptura, sigillo, cera, & omnibus computatis vnum aureum non excedat,

dum-

modò ipsis Cancellarijs salarium vllum pro officio exercendo constitutum non sit, & ex pecunia, quam acceperint, nihil prorsus emolumenti ipsi Episcopi collatores aliquo modo directè, vel indirectè accipiant; quam declarationem ad verbum refert Addit. ad Quarant. in Summ. Bullar. in verb. Simonia, Nauar. conf. 2. de Simon. Neque dicti Cancellarij possunt accipere aliquid pro litteris dimissorijs, vel pro bullis Ordinum, nisi decimam partem auri iuxta decretum Concilij Trident. sess. 21. cap. 1. de reformat.

17 Et quò ad hanc consuetudinem à clericis contra clericos introductam, quæro, an valeat illa consuetudo, qua Capitulum solet donare suo Episcopo, munus, quod strenam vocant, in octaua Natiuitatis Domini, ita vt possit compelli ad eam obseruandam? Resp. videri di-
18 cendum, quod si dicta consuetudo est præscripta spatio decem annorum, cum sit præter ius, vt per glos. in cap. fin. de consuetud. lib. 6. quòd valeat, quia consuetudo potest inducere obligationem præ-
19 standi aliqua annua, iuxta tex. iuncta, glos. in cap. seruitium 18. q. 2. & Prælati tenentur tueri, & conseruare iura suæ dignitati debita,
20 arg. cap. ea, quæ, de off. Archid. & cap. sine exceptione 12. q. 2. & quæ à principio fuerunt munera voluntaria, per consuetudinem fiunt debita, l. si certis annis, C. de pact. Nauar. cons. 4. de consuetud. Sed contrarium puto verum, quia ad præscribendam consuetudinem, licet sufficiant decem anni in rebus profanis; in rebus tamen Ecclesiasticis requiruntur quadraginta anni, quando detrahit iuribus alicuius Ecclesiæ, Innoc. & Abb. in cap. dilecti de consuetud. & requiritur etiam, quod non sit interrupta, vt euenit in nostro Capitulo, quòd cum Episcopus prætendisset ex debito prædictum munus, seu strenam, & habito recursu ad sacram Congregationem Episcoporum negotijs præpositam, fuit decisum, Capitulum non teneri; quia vltra quòd consuetudo, super qua se fundabat Episcopus, non erat præscripta, fuit probatum quibusdam annis non fuisse datam dictam strenam, & multoties fuisse variatam, videlicet modò viginti, & modò plus, vel minus datum; & ideò fuit per illos Illustrissimos, & Sapientissimos Patres rescriptum Episcopo, vt de cætero abstineat ab huiusmodi muneris petitione, namque magis decet patrem donare filijs, quam filios patri, se conformans textui in cap. cum Apostolus, §. prohibemus, de censib. vbi dicitur, quòd non debent filij thesauri-
21 zare parentibus, sed parentes filijs. Et de hoc nomine strena vide Glos. in cap. legant. Episcopi, dist. 37. vbi habetur, quòd strena dicitur quasi sine trena idest lamentationem, & est donum, quod datur in primo die Ianuarij, quod non est obseruandum, cap. non obserue-

tis 26. q. vltim. vbi dicitur non obseruetis dies AEgyptiacos, aut calendas Ianuarij, in quibus cantilenæ quædam, & commessationes fiunt, & ad inuicem dona donantur, quasi in principio anni boni fati augurio.

22 Et an valeat illa consuetudo in aliquibus Diœcesibus, vt singuli Sacerdotes soluant singulos aureos Archiepiscopo, vel Episcopo quolibet anno, vide Nauar. in conf. 3. de censib.

23 Insuper quæro, an valida sit consuetudo illa, quæ viget in aliquibus Ecclesijs, vt antequam quis admittatur ad participationem massæ communis, vel distributionum quotidianarum inseruire debeat Ecclesiæ per aliquod temporis spatium, nempè per triennium in quolibet ordine? Resp. dictam consuetudinem esse validam, & non solum rationabilem, sed laudabilem; nam ita censuit sacra Congregatio Concilij, dicens consuetudinem Ecclesiæ Melphiensis, vt presbyteri, & Canonici ad participationem massæ communis ipsius Ecclesiæ non admittantur, nisi prius in Acolytatu, Subdiaconatu, & Diaconatu videlicet in quolibet ex dictis Ordinibus per triennium, & in Sacerdotio per annum dictæ Ecclesiæ inseruierit, sublatam non esse per Concilium Trident. sess. 24. cap. 14. & per Bullam Pij V. incip. *Durum nimis*; nam loquuntur in diuersis terminis, immò consuetudo prædicta est rationabilis tendens ad diuini cultus augmentum.

CAPVT XV.

De denuntiationibus in Ecclesia faciendis pro contrahendis matrimonijs.

SVMMARIVM.

1 *Matrimonia clandestina semper damnata, & quæ sunt matrimonia clandestina.*

2 *Parochus, uel alius Sacerdos interessens clandestinis matrimonijs est puniendus.*

3 *Denuntiationes sunt faciendæ publicè in Ecclesia diebus festiuis.*

4 *Episcopus an possit dispensare, ut denuntiationes fiant diebus ferialibus.*

5 *Episcopus an possit dispensare contra Concilia generalia, & canones.*

6 *Papa non censetur dispensare contra Concilia generalia, nisi de eis faciat mentionem.*

7 *Denuntiationes si fuerint omissæ, an matrimonium sit nullum.*

8 *Denuntiationes possunt omnes, uel aliqua ipsarum omitti arbitrio ordinarij.*

9 *Abbates, & alij Prælati habentes iurisdictionem quasi Episcopalem, possunt amittere*

omittere denuntiationes.

10 *Vicarij generales possunt dispensare, vt omissis denuntiationibus matrimonium contrahantur.*

11 *Practica in omittendis denuntiationibus.*

12 *Causa quandò committitur prudentiæ, & conscientiæ alicuius an sit cognoscenda ordine iudiciario.*

13 *Matrimonium an possit celebrari in alio loco, quàm in Ecclesia.*

14 *Ecclesia quot modis accipitur.*

15 *Denuntiationes an fieri debeant tribus diebus continuis.*

16 *Parochus proprius quis dicatur.*

17 *Matrimonium an possit celebrari tempore Aduentus, & Quadragesimæ.*

18 *Licentia Parochi, vt alius sacerdos assistat matrimonio, debet esse expressa, & non tacita.*

19 *Exteri quomodo admittendi sunt ad contrahendum matrimonium.*

20 *Causa, pro quibus possunt omitti denuntiationes, & matrimonium contrahi.*

21 *Malitia dolum, & calumniam importat.*

22 *Matrimonij impedimentum si quis secreto sciat, an teneatur denuntiare.*

23 *Matrimonium consumare ante benedictionem an sit peccatum mortale.*

24 *Matrimonium consumantes ante benedictionem an incurrant in excommunicationem.*

25 *Testis vnus an probet mortem viri, vt eius vxor possit transire ad secunda vota.*

26 *Correctio iuris communis est euitanda.*

27 *Ordinarius denegando dispensationem super omissione denuntiationum existente iusta causa peccat mortaliter.*

1 MAtrimonia clandestina semper per sacros Canones fuerunt damnata, & prohibita, cap. cum inhibitio, de clandest. desponsat. & matrimonium clandestinum est illud, quod clam contrahitur; & tribus modis dicitur clandestinum, primò quoties matrimonium contrahitur sine testibus: secundò, quando non fuit cum solemnitate: tertiò prętermissis denuntiationibus, glos. in dicto cap. cum inhibitio, in verb. clandestina, & hodie ex Concilij Trident. decreto sess. 24. cap. 1. de reformat. matrim. statutum est, quòd si. Paro-
2 chus, vel alius Sacerdos, qui cum minori testium numero ibi statuto, & testes qui sine Parocho, vel alio Sacerdote de Ordinarij, vel Parochi licentia his clandestinis matrimonijs interfuerint, & contrahentes grauiter sint puniendi.

3 Hinc est, ne matrimonia clandestinè contrahantur, quòd olim Innocentius III. in cap. cum in tua, de sponsal. & cap. fin. de clandest. despons. statuit debere fieri denuntiationes publicè in Ecclesia pro

contrahendis matrimonijs, idem statutum fuit in cap. aliter 30. qu. 5. & est innouatum per Concilium Trident. in dicto cap. 1. Hæ denuntiationes ea præcipua ratione fiunt, vt si fortè subesset aliquod legitimum impedimentum inter contrahere volentes matrimonium, illud detegatur, & prædictum Concilium statuit tres fieri debere omninò
4 denuntiationes diebus festiuis, & licet Thom. Sanchez de matrimon. 1. disput. 7. numer. 6. dicat Episcopum posse dispensare, vt fiant diebus ferialibus, ea ratione; quia hoc est minus, quàm omnes remittere, sed contrarium credo verum, quia est Constitutio Concilij generalis, contra quam Episcopus non potest dispensare, glos. in
5 cap. cum dilectus, in verb. ætat. de elect. non enim possunt Episcopi dispensare contra leges Pontificias, Canones, & decreta Conciliorum generalium, Archid. in cap. licet canon. de elect. lib. 6. Abb. in cap. cum dilecti, numer. 10. de elect. & est communis opinio Doctorum in cap. at si clerici, §. fin. de iudic. vbi Felin. nec legatus, Nauar.
6 in relect. cap. si quando, de rescrip. Imò Papa non censetur dispensare, nec derogare Concilio generali, nisi de eo expressionem faciat, & non sufficit clausula generalis derogatoria, cap. experte, & ibi glos. in verb. nulla mentio, & cap. fin. capell. monach. cap. nonnulli, & ibi glos. in verb. fecerint mentionem, de rescript. Archid. in cap. 1. de constit. lib. 6. Felin. in dicto cap. non nulli, numer. 3. Nauar. in Manual. cap. 27. numer. 263. quia cum decreta Concilij generalis ita matura deliberatione sancita sint, videntur continere vim clausulæ derogatoriæ ad alia decreta posteriora contraria, Henriquez de indulgent. lib. 7. cap. 23. numer. 3. Vival. in candelab. aur. part. 3. cap. 12. numer. 22. Caputaq. part. 1. decis. 268. Veral. decis. 176. quòd est verum, & procedit in dispensatione generali, secus quando Papa dispensat in aliquo casu particulari, & certo, Thom. Sanch. de matrimon. lib. 8. disputat. 35. numer. 57. benè tamen possunt fieri denuntiationes, quando est magnus concursus populi ad Ecclesiam, vt quia insignis concionator habet concionem; quia videtur satisfieri fini, & intentioni Concilij secundum Thom. San-
7 ch. de matrim. lib. 3. disputat. 6. num. 9. Guttier. in tract. de matrim. cap. 56. num. 8. sed an denuntiationes sint de essentia matrimonij, ita vt sit nullum, si omittantur? Resp. negatiuè Petr. de Ledesm. de matrimon. q. 45. art. 5. punct. 2. dub. 1. conclus. 2. & in Summ. part. 1. de Sacram. matrim. cap. 6. conclus. 6. in fin. Sanch. de matrimon. lib. 3. disputat. 5. Nauar. in Manual. cap. 22. num. 70. vbi dicit, quòd si matrimonium contraheretur coram Parocho, & testibus, non præmissa trina denuntiatione, vel non omissa legitimè, valeret quidem matri-

matrimonium, sed diceretur clandestinum, quo ad alios effectus, quàm annullationis matrimonij; vbi etiam dicit, quod non est necessaria præsentia Parochi, & testium in matrimonio de nouo contrahendo ab illis, qui illud publicè cum denuntiatione sufficienti contraxerunt, sed propter aliquod impedimentum occultum, fuit nullum, quo sublato, oportet, vt denuò contrahatur; & testatur ita declarasse Pium V. qua declaratione Sacrum Pęnitentiariæ prætorium vtitur.

8 Et notandum est, quod denuntiationes, quando subest causa, possunt omitti omnes, vel aliqua ipsarum arbitrio Ordinarij, quòd arbitrium non modo à sacrosancto Concilio Trident. in dicto cap. 1. sess. 24. sed etiam à iure communi tributum est, vt probat Menoch. consl. 69. num. 7. post Hostien. in Summ. tit. de clandest. desponsat. & non solum Episcopi possunt dispensare, vt omittantur omnes tres denunciationes, vel aliqua ipsarum, & quòd postea ante matrimonij con-
9 sumationem fiant, vt expresè definitur per Concilium Trident. sed etiam Abbates iurisdictionem Episcopalem habentes, nullique Diœcesano subditi; quia Concilium hoc committit Ordinario, & hi quoque sunt Ordinarij, Nauar. consl. 2. de clandest. desponsat. & consl. 5. de sponsal. & eadem ratione possunt omnes Prælati iurisdictionem quasi Episcopalem habentes, vt notant Doctores in cap. Ioannes, de
10 testam. Nauar. consl. 2. de clandest. desponsat. Item Vicarij generales Episcop. possunt dispensare, vt omissis denunciationibus matrimonium possit celebrari, quia Concilium quatenus iudicio Ordinarij hanc facultatem committit, non tantùm Episcopo, sed ei, qui vices illius gerit, committere censetur, glos. in cap. 2. in verb. officialem, de offic. Vicar. lib. 6. Felin. in rubric. de off. Ordin. nu. 4. cum sit eadem Episcopi, & eius Vicarij potestas, & idem tribunal. cap. 2. de consuetud. lib. 6. quicquid dicat Menoch. consl. 69. num. 55. vol. 1. cuius opinionem confutat Ignat. Lopez in addit. ad pract. Diaz c. 73.

11 Secundò notandum est, quòd in omittendis denunciationibus solet in practica obseruari, quòd examinantur duo testes ad minus, qui deponant inter contrahere volentes matrimonium, nullum adesse impedimentum legitimum, quo posset impediri matrimonium, & si expectaretur tempus faciendi denuntiationes, posset oriri impedimentum, qua informatione capta, interponitur decretum, quòd matrimonium contrahatur, & ante ipsius consumationem fiant denunciationes. Verum tamen practica prædicta non est necessaria; quia satis est, quòd Ordinarius extraiudicialiter se informet, & fiat certior de causa, pro qua licitè dispensare possit; quia Concilium Trident. in dicto cap. 1. dicit, nisi Ordinarius ipse iudicauerit, vt prædictæ de-

nunciationes remittantur, quòd illius prudentiæ, & iudicio Sanctæ Synodus relinquit, & iudicium, & conscientia sunt idem, S. Thom.
12 part. 1. qu. 70. art. 13. ad primum: sed quoties aliquid committitur conscientiæ, & prudentiæ alicuius, non est necessaria probatio iudicialis, cap. statutum, §. assessorem, & ibi glos. in verb. relinquat, de rescript. lib. 6. & ibi Franch. n. 6. ait, notandum ex hac glos. singulari, quod vbicumque committitur aliquid conscientiæ alicuius, non esse necessariam aliam probationem, vel citationem partium; cum sufficiat probationem soli iudici constare; hinc est, quòd huius causæ cognitio potest fieri ab Ordinario sine ordine, & figura iudicij, & testibus non receptis in forma iudicij, nec cum iuramento, quia non est iudicialis cognitio, sed ad informationem conscientiæ Ordinarij. Innoc. in cap. cum in tua de spons. & cap. 1. de postulat. prælat. num. 5. & ibi, Abb. num. 34. idem Abb. in cap. nobis, num. 5. de elect. Mascard. de probat. conclus. 1368. num. 14.

Quibus denunciationibus publicatis, vel ex dispensatione omissis, si nullum legitimum opponatur impedimentum, ad celebrationem matrimonij proceditur in facie Ecclesiæ, & Parochus viro, & muliere interrogatis; & eorum mutuo consensu intellecto, dicit, ego vos in matrimonium coniungo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, vel alijs vtatur verbis iuxta receptum vniuscuiusque Prouinciæ ritum.
13 Sed quæro, an matrimonium sit necesse, quòd celebretur in aliqua Ecclesia, dum Concilium dicit in facie Ecclesiæ? Resp. quòd matrimonium domi, siue in alio loco celebratum coram Parocho, & testi-
14 bus, est validum, & dicitur celebratum in facie Ecclesiæ; quia facies Ecclesiæ accipitur duobus modis: primo, pro Ecclesia materiali, & murata, in qua diuina celebrantur officia: secundo, pro congregatione, & cætu fidelium, siue ad orationem, siue ad quodlibet diuinum mysterium congregatorum, etiam in domibus priuatis, cap. legimus, dist. 93. cap. multi 1. q. 1. & cap. loquitur 24. qu. 1. Vnde si matrimonium celebretur in domibus, etiam de nocte tribus luminibus accensis, est validum, & fieri potest; cum Sacrum Concilium annullet matrimonium, solum quando sine Parocho, & testibus contrahitur; ideo satis est coram congregatione fidelium in alio loco præsentibus Parocho, & testibus contrahi, & dicitur satisfactum Concilio, Abb. in cap. cum inhibitio, num. 9. de clandest. desponsat. glos. fin. in cap. fin. ne prælat. vices suas, Syluest. in Verb. Matrimonium, 2. q. 17. & Sacra Congregatio ita censuit, Ordinarius non potest prohibere quin matrimonia domi celebretur seruata Concilij forma, sed cum maximè deceat, vt in Ecclesia celebrentur, id hortari debet, non præcipe-

re

re refert, Thom. Sanch. de Matrimon. lib. 3. disput. 15. num. 20. vbi dicit, sufficere coram fidelium multitudine fiat, quæ tamquam catholicorum Congregatio censeri potest Ecclesia, iuxt. cap. Ecclesia de consecrat. dist. 1. & cap. relatum il 2. de testam. glos. in cap. fin. in verb. præfatam Ecclesiam, ne prælat. vices suas.

Tertiò notandum est, quòd Concilium Trident. in dicto cap. 1. dicit quòd denunciationes fiant tribus cõtinuis diebus festiuis, sed istud non est ita accipiendum, quin aliquot dierum interuallum possit intercedere, quando festa continua sunt, Sanch. de Matrimon. lib. 3. disput. 6.

16 Sed cum secundum Concilium, & eius etiam commune matrimonium sit celebrandum coram proprio Parocho, quæro, quis sit proprius Parochus? Resp. quòd est Episcopus, qui in sua Diœcesi est Ordinarius, & similiter eius Vicarius generalis, qui est etiam Ordinarius, vt supra dictum est; est etiam vtriusque coniugis proprius Sacerdos, vt quando diuersarum Parochiarum contrahentes fuerint, vterque contrahens efficitur vtriusq; Parochi subditus, Ignat. Lopez in addit. ad pract. crim. Diaz. cap. 73. si verò inter duos alienigenas matrimonium contrahendum est, qui alias noti, nec vagi sint; proprius Parochus is censendus est, in cuius Parochia, qui contrahere debet, habitat; & ita declarauit Sacra Congregatio Concilij Trident. vt refert Ignat. Lopez in addit. ad pract. Diaz loco citato. Item est proprius Parochus ille, in cuius Parochia contrahitur matrimonium, Nauar. cons. 5. num. 1. de spons. & est Parochus mulieris, quando in eius parochia celebratur, & Parochus viri quando in parochia viri celebratur, Nauar. cons. 52. de spons. & cons. 4. de despons. clandest. Et per Sacram Congregationem Concilij fuit decisum his verbis: Si quando vir ad domum vxoris accedit pro cõtrahendo matrimonio, is proprius Parochus, qui vxoris est, & alia declaratio, videlicet; Quando contrahentes sunt diuersarum parochiarum sufficit Parochus mulieris, qui intersit matrimonio. Sed quid si mulier antequam contrahat matrimonium, descendat à domo sua, & se conferat in aliam alterius Parochiæ, puta ad domum alicuius consanguinei, vel affinis, & ibi statim est celebratura matrimonium, quis erit proprius Parochus? Resp. quòd erit Parochus domus, ad quam se trãstulit; quia mutatione illa, statim desijt esse parochiana illius, à cuius parochia discessit, nouamque parochiam acquisiuit, Thom. Sanch. de Matrimon. lib. 3. disputat. 23. num. 15.

17 An autem temporibus Aduentus, & Quadragesimæ possint fieri denunciationes, & celebrari matrimonium in facie Ecclesiæ, & Pa-

rochus coniuges dispensare ? Resp. non esse prohibitum fieri denunciationes, nec esse prohibitum contrahi matrimonium, sed tantummodo est prohibita solemnitas nuptiarum, quæ tria importat sponsorum benedictionem solemnem, traductionem sponsę ad domum sponsi, & conuiuium, Armill. in verb. nuptiæ, adeò quod Parochus aduertere debet, vt istas solemnitates non permittat; nam ij sunt dies pœnitentiæ, quia Sancta res est matrimonium, & sanctè tractandum, hæc omnia intelliguntur ex mente Concilij Trident. sess. 24. cap. 10. de reformat. matrimon. & tex. in c. capellanus, & ibi glos. & Doctores de fer. Armill. in verb. matrimonium; nam traductio cum pompa, & solemnitas nuptiarum sunt prohibita his temporibus.

18 Quartò notandum est, quod nullus Sacerdos, qui non sit Parochus potest celebrare matrimonium, nisi de licentia Ordinarij, vel ipsius Parochi, quæ licentia debet esse expressa, nec sufficit tacita permissio; sic enim significat verbum illud licentia, positum in dicto cap. 1. per Concilium Trident. Gonzal. ad regul. 8. Cancellar. glos. 47. nu. 52. vbi asserit Sacram Congregationem decidisse in hæc verba: Non sufficit tacita licentia, quæ resultat ex tolerantia: requiritur vero vel commissio generalis ad administrandum Sacramenta, vel si hæc absit, expressa, vel specialis licentia; & similiter in anno 1573. die 12. Nouembris refert, Menoch. de arbitr. iudic. lib. 2. centur. 5. casu 443. num. 14. eandem sacram Congregationem censuisse, dum hæc quæstio fuisset orta Venetijs.

19 Quintò notandum est, quòd exteri, antequam admittantur ad cōtrahendum matrimonium, debent producere fidem, fuisse emanatas denunciationes tribus diebus festiuis in propria patria, & Parochia, & coniuges diuersarum Parochiarum non possunt contrahere matrimonium, nisi factis prius denunciationibus in vtraque Parochia, Fusch. de visitat. & regim. Eccles. lib. 2. cap. 3. num. 21. sed est aduertendum, quòd si matrimonium est contrahendum inter personas diuersę Diœcesis, non sufficit fides Parochi affirmantis denunciationes esse ritè factas; quia non probat, & nullius roboris esse censentur, nisi ab Episcopo, vel eius Vicario generali illius Diœcesis subscriptione, & sigillo comprobetur, & ab Episcopo, vel eius Vicario loci, vbi contrahitur matrimonium, recognita sit, ab eoque licentia contrahendi fuerit obtenta. Ita enim dispositum est per Paulum V. in Rituali in fine per eum edito.

20 Sextò notandum est, quòd plures sunt causæ, pro quibus potest Ordinarius omissis denunciationibus dispensare, vt matrimonium contrahatur, & ante illius consumationem fieri. Prima, quando esset

set periculum, quod per denunciationes impediretur matrimonium, Sot. dist. 21. q. 1. art. 2. Secunda, si nobilis, & egregiè natus ducat in vxorem mulierem inferioris conditionis. Tertia, si diues contrahat cum vxore paupere, vel senex cum puella, Nauar. in Manual. cap. 22. nu. 70. Quarta ob vicinitatem temporis, quo prohibitæ sunt nuptiæ. Quinta, si matrimonium contrahatur inter magnates, quia cum magna deliberatione solent matrimonia contrahere, Graff. decis. aur. lib. 2. cap. 28. sexta, si constitutus in articulo mortis cum concubina contrahere desiderat, vt proles suscepta legitimetur, Sot. in 4. dist. 28. part. 1. art. 2. immò solius Parochi authoritate ex tacita Episcopi commissione hoc casu possunt omitti denunciationes, si Ordinarij copia haberi non potest, Prax. Cur. Archiep. Neap. cap. 26. num. 2. non tamen valet matrimonium contractum sine Parocho, & testibus in articulo mortis, quia tanquam necessarium statuitur in Concilio Trident. dicto cap. 1. sess. 24. de reformat. matrim. quòd matrimonium, quod non contrahitur præsente Parocho, aut alio Sacerdote de eius licentia, sit nullum; verba enim dicti canonis videntur adeò clara, quòd nullo casu videtur posse ab illa forma recedere, vide Nauar. cons. 6. de clandest. desponsat. Septima, quando timeretur, quod consanguinei impedirent matrimonium, S. Ant. part. 3. tit. 1. cap. 16. Syluest. in verb. Matrimonium, 6. quæst. 7. Nauar. in Manual. cap. 22. num. 70. sed hæc causa non est semper vera, sed tantùm, quando timeretur, quod iniustè impedirent; nam Concilium in dicto cap. 1. dicit, quando probabilis fuerit suspicio, quod matrimonium malitiosè
21 impediri posset, si tot præcesserint denunciationes; malitia autem dolum, aut calumniam importat, l. item, Mela in principio, ff. ad legem Aquil. glos. in cap. fin. in verb. voluerit, de clandest. desponsat. hinc est, quòd tunc dicitur iniusta causa, quando parentes minis, vel vi, vel falsitate, aut calumnijs impedirent matrimonium: secus est, quando est iusta causa impediendi ob notabilem disparitatem, & nõ violentia, sed precibus, & suasionibus impedire vellent; quia tunc nihil malitiæ adest, sed vtuntur iure suo benè consulentes filios, Syluest. in verb. Matrimonium, 2. q. 10. num. 11. Sanch. de matrim. lib. 3. disputat. 9. num. 6.

22 Sed quæro, an si aliquis secreto sciret aliquod impedimentum adesse inter contrahere volentes matrimonium, teneatur denunciare Ecclesiæ? Resp. affirmatiuè; quia, & si in alijs rebus non tenetur denunciare illud, quod probare non potest, Rosell. in verb. confessioni s celatio, Angel. in verb. Confessio, 3. num. 22. Nauar. de restit. lib. 3. cap. 1. num. 358. tamen ad impediendum matrimonium, sufficit vnus testis

testis etiam si sit denunciator, cap. super eo, l. 2. de testib. & ideò sciens secretò aliquod impedimentum tenetur denunciare, Sanch. de matrimon. lib. 3. disputat. 13. num. 2. quod limitatur, si illud sciret sub sigillo confessionis sacramentalis, quia tunc non teneretur, sed est notandum, quòd licèt quis genuflexus, factoque signo crucis, ac dicta confessione hoc secretum alicui Confessario commiserit, tamen hoc non est sigillum confessionis, cum detegatur non animo confitendi: sed tantum causa petendi consilium, & tenetur denunciare, Sanch. loco citato num. 6.

23 Secundò quæro, an sit peccatum mortale consumare matrimonium ante benedictionem Ecclesiæ? Resp. quòd cum Concilium Trident. in dicto cap. 1. sess. 24. dicat hæc verba: Eadem Sancta Synodus hortatur, vt coniuges ante benedictionem Sacerdotalem in templo suscipiendam in eadem domo non cohabitent, dicendum est, quòd si esset peccatum mortale, vtique non hortaretur, sed præciperet, Angel. in verb. debitum nu. 1. Syluest. in verb. debitum quæst. 9. Nauar. in Manual. cap. 22. num. 83. Couar. de sponsal. p. 2. cap. 7. §. 2. n. Viual. in candelabr. aur. part. 1. de matrimon. num. 254. nisi adsit contemptus; quia tunc erit peccatum mortale, vel vt aliqui dicunt, nisi sit lata excommunicatio contra consumantes ante benedictio-
24 nem, quod non credo verum; quia excommunicatio prædicta non potest iustificari, cum clarum sit excommunicationem non posse ferri, nisi pro graui peccato, vt pœna proportionetur quantitati culpæ, cap. Felicis, de pęn. lib. 6. & hoc casu non adest præceptum obligans ad peccatum mortale: hinc est, quòd optimè dicit Sanch. de matrimon. lib. 3. disputat. 12. quòd talis excommunicatio minimè ligat, nec facit culpam lęthalem consumare matrimonium ante benedictionem.

25 Tertiò, quæro, an sufficiat vnus testis ad probandum mortem alicuius, vt eius vxor possit ad secunda vota transire? Resp. quòd videtur dicendum, quod sufficiat per tex. in cap. in præsentia, de sponsal. ibi, non permittas eos contrahere, donec certum nuntium de morte recipiant; si ergo certus nuntius, satis est vnus testis, Hostien. Sum. tit. de sponsal. num. 6. vbi Abb. num. 6. & ita videtur tenere Angel. in ver. Matrimonium 3. impedimento 13. nu. 4. sed alij tenent contrarium; quia verbum illud in dicto cap. certum nuntium, sumitur in genere neutro, quòd significat *la nuoua*, *ouer auiso*; quia aliter esset contra tex. in cap. veniens, in fin. de testib. & l. iusiurandi, vers. simili modo, C. de testib. vbi dicitur, quod dictum vnius, est dictum nullius, & cor-
26 rectio iuris communis, est tamquam odiosa vitanda, l. præcipimus C.

de

de appellat. quia si in causis pecuniarijs non sufficit vnus testis, à fortiori in causa secundi matrimonij contrahendi, in qua vertitur periculum animæ, & maximi dedecoris fęminæ secundò nubentis, si fortè eius vir viueret, hanc opinionem tenet Bart. in l. 2. §. si dubitaretur, num. 1. ff. quemad. testam. aper. quod limito, nisi mors fuerit sequuta in loco adeò remoto, & longinquo, vt nequeant probationes haberi; tunc enim sufficeret vnus testis, considerata qualitate personæ, vt verisimilia dicat, quod relinquitur arbitrio iudicis, Sanch. de matrimon. lib. 2. disputat. 46. num. 10. & sequen. sufficit etiam fama de morte, si in longinquum profectus fuerit, Syluest. in verb. Matrimonium, 8. qu. 13. vers. 4. Aut si erat senex, aut prælium ingressus non apparuit, de qua morte litteras accepit ab his, qui interfuerunt, glos. recepta in cap. quoniam frequenter, §. si autem, in verb. præsumatur, vt lit. non contest.

27 Demùm est notandum, quod existente causa iusta dispensandi super denunciationibus, Ordinarius tenetur ad petitionem partis dispensare sub pęna peccati mortalis in casibus, in quibus scandalum sequeretur, vel est suspitio malitiosi impedimenti, Sanch. lib. 3. disput. 10. num. 6.

CAPVT XVI.

De dispensatione super gradu prohibito matrimonij non facta mentione copulæ sequutæ.

SVMMARIVM.

1 *Dispensatio matrimonij in gradu prohibito tacita copula, an valeat.*

2 *Commissio dispensandi super gradu prohibito non est dispensatio, sed mandatum de dispensando.*

3 *Commissio dispensandi concessa à Papa cum clausula, quatenus preces veritate nitantur, an expiret morte concedentis.*

4 *Gratia facta à Papa non expirat eius morte.*

5 *Commissio an expiret morte committentis.*

6 *Res integra quando dicatur.*

7 *Delegatus Apostolicus in dispensatione sibi commissa super gradu prohibito, facto decreto per eum, non potest amplius in causa se intromittere.*

8 *Denunciationes vt publicè fiant in Ecclesia à Concilio Trident. pro forma, statutum est.*

9 *Gradus remotioris mentio sufficit in dispensatione.*

10 *Forma*

10 *Forma litterarum declaratoriarum secundum Bullam Pij V. quæ sit.*

11 *Causæ, ob quas dispensationes impetrantur ab Apostolica sede in gradibus prohibitis contrahendi matrimonium.*

12 *Gradus consanguinitatis, & affinitatis quomodo computentur de iure canonico.*

13 *Genus consanguinitatis, & affinitatis quomodo cognoscatur.*

14 *Delegatus Apostolicus, an pro dispensatione matrimonij possit aliquid accipere.*

15 *Impedimentum iustitiæ publicæ honestatis intelligitur in sponsalibus de futura, non in matrimonio contracto.*

1 AN dispensatio matrimonij obtenta à Sede Apostolica super impedimento consanguinitatis, vel affinitatis nō facta mentione copulæ sequutæ prius, vel medio tempore, quo in Vrbe tractabatur impetratio, vel etiam post commissionem à Summo Pontifice factam Ordinario, ante tamen quòd à Delegato Apostolico sit latum Decretum, sit subreptitia, & nulla? Resp. dictam dispensationem esse subreptitiam, & esse opus, quòd impetretur noua dispensatio cū expressione copulæ, aliàs matrimonium est nullum; & ratio est, quia Papa non dispensat in commissione super gradu prohibito, sed mandat Episcopo, seu eius Vicario, vt de supplicatis se diligenter informet; & si per informationem reperérit, quòd preces veritate nitantur, tunc cum supplicantibus seruata forma Concilij Trident. quòd impedimento non obstante, matrimonium contrahere illudque in facie Ecclesiæ celebrare, & in eo permanere licitè valeant, dispenset. Quæ verba non inducunt dispensationem, sed mandatum de dispen-
2 sando, Rot. decis. 2. num. 10. in nouis de fil. præsbyt. & ideò per carnis copulam post porrectam supplicationem Papæ, & ante dispensationis decretum per Delegatum faciendum, & illius exequutionem incestum committunt, cap. lex illa, vers. incestus, 36. q. 1. & ita censuit sacra Congregatio Concilij his verbis: Consanguineos, vel affines, qui tacita copula obtinuerunt dispensationem super impedimento consanguinitatis, vel affinitatis esse subreptitios, & matrimonium postea contractum esse nullum, quam declarationem de verbo refert Additio ad Nauar. in cons. 9. qui licet in dicto cons. teneat contrarium, tamen ipsemet Nauar. recessit à dicta opinione in Manual. cap. 22. num. 86. Quarant. in summ. Bullar. in verb. Matrimoniales dispensationes.

3 Sed quæro, an commissio dispensandi concessa Episcopo, vel eius Vicario à Papa, vt dispenset cum talibus, quatenus preces veritate nitantur, expiret re integra morte ipsius Papæ? Resp. affirmatiuè Na-

uar.

uar. in Manual.cap.27. num.253.vers.nono, licet Maiol. teneat con-
4 trarium; nam Doctores, quos allegat loquuntur de gratia iam facta à Papa, quæ non expirat eius morte, cap.si cui,de præbend.lib.6.Syluest. in verb. gratia. Sed commissio de dispensando non est gratia, sed mandatum conditionale de gratia facienda, quatenus preces veritate nitantur,& mandatum semper expirat morte mandantis, l.mã-
5 datum, C.mandat.l & quia ff.de iurisd. omn. iud. & commissio, quæ committitur alicui,vt cognita veritate precum dispenset cum aliquo, non est gratia facta illi, cum quo est dispensandum,quæ expirat morte committentis reintegra, Nauar. in cap. placuit, num.162. de pœnit.dist.6. quicquid dicat Maiol. de irregularit. lib.5. cap.51. num.6. Verumtamen si esset facta gratia à Papa alicui, vt possit dispensare cum illegitimis, vt in exemplo posito per Nauar. in Manual. cap.27. num.254. de gratia, quam Papa concessit cuidam Magistro Ordinis Prædicatorum, vt potuisset dispensare cum centum fratribus illegitimis sui Ordinis, vt potuissent esse Priores; tunc quia est facta illi Magistro,non expirat per mortem Papæ, sed secus est in casu nostro, in quo datur facultas Episcopo dispensandi cum tali, quatenus preces veritate nitantur, quæ non est gratia facta Commissario,sed manda-
6 tum de dispensando cum conditione, Gregor. Sayr. de censur.lib.7. cap.14.num.6.& 7. & res integra dicitur,quando saltem non præcessit citatio, vt perpetuari possit iurisdictio delegata, Marant. part.4. dist.5. numer.6. Sed hodie vigore Cancellariæ Apostolicæ, quæ est duodecima in Regulis Gregorij XV. possunt dictæ commissiones de dispensando, & omnes litteræ, tam gratiæ, quàm iustitiæ exequi infra annum ante diem obitus Papæ, qui eas concessit, vt pleniùs habetur in dicta regula, & nos infra dicemus, cap.48. num.64. vbi late, & vide Nouarium forens.q.97.tom.2.

7 Sed notandum est, quod quando contrahitur inter personas coniunctas aliquo gradu prohibito cum dispensatione Papæ, Delegatus Apostolicus facto per eum decreto, vt possint contrahere, stante precum verificatione, non potest amplius in dicta causa se intromittere; quia functus est officio suo, reliqua verò spectant ad Ordinarium, per clausulam apponi solitam in dictis rescriptis Apostolicis, videlicet, vt matrimonium inter se publicè seruata forma Concilij Trident. contrahere valeant, &c. quæ clausula importat seruandam esse formam Concilij, quæ est, vt celebretur coram Parocho, & duplici teste, vt in dicto cap.1. sess.24. de reformat. matrim. & vt denunciationes fiant,sicut in alijs matrimonijs,quæ fiunt absque dispensatione; nam vltra impedimentum in litteris Apostolicis expressum,

possit

posset aliud quoque impediens adesse, & detegi: & ideò non tollitur
8 Ordinario potestas faciendi denunciationes, vel dispensandi in illis; quia pro forma à Concilio Trident. statutum est, vt præmittantur denunciationes, nisi Ordinarius dispensauerit, Thom. Sanch. de Matrimon. lib. 8. disp. 35. num. 19.

Secundò notandum est, quòd si in dispensatione matrimonij narratum est Pontifici coniuges tertio consanguinitatis gradu coniunctos esse: cum tamen essent in secundo, cum tertio, quòd tunc obseruanda est Bulla Pij V. edita die 26. Augusti 1566. vbi decidit non
9 esse necessariam mentionem propinquioris gradus, sed sufficit mentio remotioris gradus, & adiecit infrascriptam clausulam, videlicet, obtentis tamen postea litteris declaratorijs, quæ clausula importat,
10 quòd à Sede Apostolica dictæ litteræ declaratoriæ sunt impetrandæ, vt possit Delegatus dispensare, quarum litterarum forma hæc est. Discretioni tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus etiam si in litteris præfatis iam tibi præsentatis, ad illarum exequutionem propter hoc procedere distuleris, seù recusaueris; nihilominus negotium eiusmodi reassumens, ipsasque litteras valere dicta authoritate decernens, ad earundem litterarum exequutionem (seruata aliàs earum forma) procedas, & cum eisdem N. & N. super impedimento tertij consanguinitatis gradus huiusmodi, eadem authoritate dispenses; distantiam verò secundi gradus præfati eis non obstare declares, in omnibus, ac per omnia perinde, ac si in dictis litteris ipso secundo, & tertio consanguinitatis gradibus à communi stipite prouenientibus, inuicem esse coniunctos expressum fuisset. Quæ clausula, *obtentis tamen postea litteris declaratorijs*, ideò apposita est; quia poterunt aliqui scandali occasionem sumere, videntes non esse dispensatum in gradu propinquiori, ac propterea æstimantes matrimonium esse nullum, & irritum. Verumtamen si Delegatus dispensaret absque allatis dictis litteris declaratorijs, valeret dispensatio, & matrimonium esset validum, Sanch. de Matrimon. lib. 8. disputat. 24. nu. 25. & sequen.

11 Tertiò notandum est, quòd causæ, quæ hodie in Romana Curia versantur, pro quibus dispensationes ad contrahenda matrimonia conceduntur, sunt videlicet.

Prima, quando mulier non habet dotem competentem iuxta sui status conditionem, cum qua viro sibi non consanguineum, vel affinem paris conditionis, cui nubere possit, inuenire queat: & consanguineus, vel affinis aliquis, çum quo intendit contrahere matrimonium, vult illam cum dicta dote minus competenti in vxorē ducere.

Secun-

Secunda, propter angustiam loci mulier non potest inuenire virum sibi non consãguineum, vel affinem paris conditionis, cui nubere posset.

Tertia, quando inter parentes, consanguineos, vel affines graues inimicitiæ ortæ essent, & ad præsens vigent, & aliundè, quam ex causa matrimonij contrahendi, certum sit, quòd si inuicem oratores matrimonialiter copularentur, huiusmodi inimicitiæ componerentur.

Quarta, si inter oratores, seu eorum parentes lites super rebus magni momenti ortæ essent, & ad præsens vigeant, & si matrimonium intercesserit, componerentur.

Quinta, quando locus est situs iuxta littus maris, & continuis inuasionibus piratarum, & Christianæ fidei hostibus expositus; & quod propterea exteri homines non ità libenter, vt cum dicti loci habitatricibus accedere velint.

Sexta, quando mulier remaneret innupta, diffamata esset, grauiaq; scandala possunt verisimilitèr nasci.

Septima, si mulier vigesimum quartum annum excedens, hactenus virum paris conditionis, cui nubere posset, non inuenit.

Octaua, conseruatio diuitiarum in eadem cognatione, ne causa dotis distrahantur ad aliam cognationis familiam; quando illæ amplissimæ sunt.

12 Quartò notandum est, quod de iure canonico in primo gradu sunt fratres germani, in secundo gradu filij duorum fratrum, qui dicuntur patrueles, vel duarum sororum, qui dicuntur consobrini, in tertio gradu filij nati ex istis vltimis, in quarto nati ex his; sed in linea inæquali, sunt patruus, & nepos; quia nepos cum patruo est in secundo gradu, & patruus in primo, & filij nepotum sunt in tertio cum nepote, & nepos in secundo cum illis, & sic de singulis, cap. primo gradu, & cap. ad sedem, vers. fratres itaque 35. qu. 5. cum arbore, in tit. de consang. & affinit.

13 Sed genus primum affinitatis, & consanguinitatis est illud, à quo omnes consanguinei ex linea masculina oriuntur, & omnes affines, & cognati ex linea fœminina pullulant, & etiam vxores, & mariti istarum personarum, quæ adijciuntur istis consanguineis, & affinibus per copulam carnalem, adeò quod per carnalem copulam omnes consanguinei viri sunt affines vxoris viri eodem gradu, quo est vxor cum illis; & ideò si consanguinei sunt in secundo gradu, vel primo, tertio, vel quarto cum viro, eodem sunt cum vxore, & idem est è contra cum adiectione copulæ carnalis; cum vir, & vxor sint vna caro, & efficiantur eadem persona, & omnes istæ personæ dicuntur esse in pri-

mo genere affinitatis; & attinentiæ, & hoc genus olim erat prohibitum, tàm virtute matrimonij, quàm fornicationis vsque ad septimum gradum affinitatis: hodie in sponsalibus de futuro est prohibitum matrimonium in isto genere primo in gradu primo per Concilium Trident. sess. 24. cap. 3. de reformat. matrim. & per Bullam Pij V. Romæ die 21. Iulij 1568. quæ incipit, *Ad Romanum spectat Pontificem*, ibi. Authoritate Apostolica tenore præsentium declaramus, & definimus decretum Concilij huiusmodi omninò intelligendum esse, & procedere in sponsalibus de futuro dumtaxat: non autem in matrimonio, sicut præfertur contracto: sed in eo durare adhuc impedimentum omnibus illis casibus, & gradibus, quibus de iure veteri ante prędictum decretum Concilij introductum erat, ita refert Nauar. in Manual. cap. 22. num. 57. & ita ibi Bulla, & cap. non debet, & cap. fin. de consang. & affinit. vbi attenditur gradus remotior, vt quartus, & non quintus, & sic vltra fratres, & sorores non contrahitur affinitas in sponsalibus de futuro.

Primum igitur genus oritur ex consanguinitate, & prima carnis coniunctione, vt si frater tuus contrahat cum Margarita, ipsa est tibi affinis in primo gradu affinitatis in primo genere; quia dictus frater tuus est tibi coniunctus in primo consanguinitatis, & ipsa coniuncta omnibus consanguineis tuis eo gradu affinitatis, quo ipsi sunt tibi cōsanguinitatis coniuncti; & hoc dicitur primum genus affinitatis, quod non est sublatum. Secundum genus est in eodem exemplo, vt si mortuo dicto fratre tuo, prædicta Margarita contrahat cum Petro, Petrus est tibi affinis in primo gradu affinitatis, sed in secundo genere. Tertium genus est, si mortuo dicto Petro secundo viro dictæ Margaritæ, ipsa iterum contrahat cum Francisco, vel mortua Margarita dictus Petrus secundus eius vir ducat Antoniam, iste Franciscus tertius vir Margaritæ, vel Antonia vxor Petri est tibi affinis in primo gradu affinitatis, sed in tertio genere; & ista duo posteriora genera affinitatis sunt sublata per cap. non debet, de consang. & affinit. & sic mortua vxore mea possum accipere in vxorem illam, quæ fuit vxor fratris vxoris meæ, & sic cognatam vxoris meæ; quia illa est in secundo genere; exemplum: Titius duxit Isabellam in vxorem, quæ est coniuncta in primo consanguinitatis gradu cum Petro, cum sit eius soror, iste Petrus habet in vxorem Corneliam; mortuis Isabella, & Petro, Titius potest ducere in vxorem Corneliam, quia Titius est in primo gradu affinitatis, cum Petro in primo genere, sed cum Cornelia est in secundo genere. Alius casus: Antonius duxit duas vxores successiuè Lucretiam, & Lauram, ex Lucretia prima vxore genuit Marga-

ritam,

ritam, quæ nupsit Francisco: modo mortuis Antonio, Lucretia, & Margarita, dictus Franciscus potest accipere in vxorem Lauram secundam vxorem Antonij; & sic datur casus, in quo genere potest ducere in vxorem illam, quæ fuit vxor sui soceri; quia non est affinitas in primo genere.

14 Tertiò notandum est, quod in commissione dispensationis Apostolicæ in gradu prohibito ponitur hæc clausula, videlicet, Mandamus quatenus deposita per te omni spe cuiuscumque muneris, etiam sponte oblati, à quo te omninò abstinere debere monemus, &c. & inferius in eadem commissione. Volumus autem, quòd si spreta monitione nostra huiusmodi aliquid muneris, aut præmij occasione dictæ dispensationis exigere, aut oblatum recipere temerè præsumpseris, excommunicationis latæ sententiæ pœnam incurras. Ex quo notandum est, quòd quamuis in principio Pontifex vtatur verbo *monemus*, quod solum consilium importare videbatur: tamen inferiùs expressit suam intentionem, præcipiendo sub pœna excommunicationis in facientem contrarium; circa quam clausulam potest dubitari, an valeat consuetudo aliquid accipiendi pro labore, quem Commissarius subit in testium depositionibus recipiendis pro verificatione precum Papæ porrectarum, super qua dubitatione, Nauar. in cons. 21. de rescript. negat id licere; primò, quia verba huius clausulæ omnem muneris, aut præmij receptionem excludunt; secundò, quia in cap. statutum, §. insuper, de rescript. lib. 6. interdicitur omni iudici Ecclesiastico Delegato cuiuscumque muneris aut stipendij receptio præter esculenta, & poculenta gratis oblata, quæ paucis diebus consumi possunt, & præter itineris expensas, si causa delegationis à domicilio exire oporteat, sed alij contrarium tenuerunt, primò, quia prohibitio huius clausulę loquitur de munere, aut pręmio, quæ in præmium gratitudinis sponte offeruntur, sed quod est laboris impensi, stipendium non est remunerationis præmium, nec muneris rationem habet; secundò, quia mens Pontificis in hac prohibitione est, ne muneribus corruptus, & excæcatus Commissarius minus benè suum munus obeat, sed stipendium laboris iure debitum non corrumpit iudicem, nec ipsum à recto desistere obligat. Nec obstat, cap. statutum, §. insuper, de rescript. lib. 6. quia non loquitur de quocumque iudice delegato, sed de Delegato per litteras iustitiæ ad lites inter partes agitandas, Thom. Sanch. de matrim. lib. 8. disputat. 35. num. 9. & sequen. sed refertur Sacram Congregationem Concilij super cap. 5. sess. 22. de reform. vbi disponitur, quod dispensationes quæ gratiosè conceduntur extra Roma-

K nam

nam Curiam cognoſcantur ab Ordinarijs locorum, cenſuiſſe his verbis. Nec aliquid accipere Epiſcopo, vel Vicario licet, vel ratione taxę etiam ex immemorabili tempore, vel ratione ſigilli, vel cuiuſuis alterius rei; quapropter dictum illud, quod ſolet poni in litteris diſpenſationum ſcilicet, vt nihil muneris, aut præmij, etiam ſponte oblati accipi poſſit pro illarum exequutione, ita intelligendum eſt, vt neque Ordinarius ipſe, ne Vicarius eius quicquam prorſus, etiam pro mercede laboris, quem in ea re ſuſciperent, capere poſſint. Notarij verò pro examine teſtium quartam partem aurei, ſeu ducati licitè accipere poſſint. Ita declarauit S. D. N. Gregorius XIII. qui dixit etiam, quòd pro litteris ad abſolutionem, & diſpenſationem in foro conſcientiæ tantum nihil omninò percipi poſſit, quemadmodum & Romæ obſeruatur.

15 Demum notandum eſt, quòd impedimentum matrimonij, quod oritur ex iuſtitia publicæ honeſtatis, vt per Concilium Trident. ſeſs. 24. capit. 3. de reform. matrim. intelligitur tantum de ſponſalibus de futuro: ſecus ſi matrimonium fuiſſet contractum per verba de præſenti; quia in eo durat ad huc impedimentum in omnibus illis caſibus, & gradibus, quibns de iure veteri ante dictum Concilium introductum erat, prout declarauit Pius V. in quadam eius Conſtitutione, quæ incipit, *Ad Romanum ſpectat*, publicata Romæ, calend. Iulij 1568. & refert Nauar. in Manual. cap. 22. numer. 57. & hoc impedimentum iuſtitiæ publicæ honeſtatis eſt, vt ſi Petrus promiſit ducere in vxorem Catharinam per verba de futuro, & poſtmodum duxit aliam vxorem conſanguineam dictæ Catherinæ per verba de præſenti, dictus Petrus eſt obligatus ducere Catherinam; quia non poteſt eſſe matrimonium cum dicta conſanguinea propter impedimentum iuſtitiæ publicæ honeſtatis, ſed ſi dictus Petrus carnaliter cognouerit dictam conſanguineam, non poterit neque primam, neque ſecundam ducere; non poterit ducere primam propter affinitatem contractam per copulam carnalem, neque ſecundam propter impedimentum publicæ honeſtatis.

CA-

CAPVT XVII.

De gabellis.

SVMMARIVM.

1 *Clerici, & omnes personę Ecclesiasticę sunt immunes ab omni onere reali, & personali de iure canonico, & diuino.*
2 *Exigentes gabellas à clericis sunt excommunicati.*
3 *Clerici absentes à patria gaudent immunitate gabellarum pro victu eorum, quos alere solent.*
4 *Oblati pro bonis datis Monasterio non tenentur soluere gabellas.*
5 *Clerici sunt immunes à solutione gabellarum, non solùm pro bonis beneficiorum, sed etiam patrimonialium.*
6 *Clerici non incidentes in habitu, & tonsura, & non seruientes in diuinis non gaudent immunitate gabellarum.*
7 *Clerici in casibus, quibus tenentur ad solutionem gabellarum, sunt cogendi à iudice Ecclesiastico.*
8 *Clerici seù Iaconi seluatici qui dicuntur.*
9 *Clerici pro rebus donatis à patribus, & alijs coniunctis non sunt exempti à solutione gabellarum; quia donationes præsumuntur in fraudem.*
10 *Clericus pro re ad eum peruenta post tempus maturatum tenetur ad gabellam.*
11 *Clericus pro custodia vinearum, territorij, & huiusmodi, tenetur ad gabellam.*
12 *Gabella imposita, quæ respicit pietatem est soluenda à clericis.*
13 *Clerici tenentur ad gabellas pro rebus affectis onere gabellarum.*
14 *Clerici pro rebus eis donatis cum conditione, vt soluant gabellam, ad eam tenentur.*
15 *Clerici coniugati tenentur soluere gabellas.*
16 *Clerici negotiatores pro rebus destinatis ad negotiandum debent soluere gabellam.*
17 *Emens aliquid pro victu si superest, & vendit, non tenetur pro eo ad gabellam.*
18 *Coloni prædiorum Ecclesiæ an gaudeant immunitate gabellarum.*
19 *Clericus cum incessu solum habitus clericalis non cogitur soluere gabellam, etiam si non ostenderit litteras testimoniales sui Ordinarij.*
20 *Clerici an possint sponte soluere gabellas sine metu censuræ.*
21 *Gabellas quis potest imponere.*
22 *Domus Clericorum sunt exemptæ ab hospitio militum.*
3 *Sacerdotes sunt milites Dei.*

24 *Res donata pro titulo patrimonij clerico, vt possit promoueri ad ordines sacros non est subiecta gabellæ.*

1 Clerici, omnesque personæ Ecclesiasticæ sunt immunes ab omni onere personali, & reali non solùm de iure canonico, à solutione gabellarum, collectarum, vectigalium, & à cæteris muneribus, cap. Clericis de immunitat. Eccles. lib. 6. capit. quamquam de censib. lib. 6. cap. non minus de immunit. Eccles. cap. generaliter, §. nouarum, & cap. placet 16. quæst. 1. clem. 1. de immunit. Eccles. Clem. præsenti de censib. & est determinatum per Sacrum Concilium Trident. sess. 25. capit. 29. de reformat. vbi confirmatæ sunt omnes Constitutiones emanatæ a Summis Pontificibus, & Concilijs generalibus ad fauorem immunitatum, & priuilegiorum Clericorum, & personarum Ecclesiasticarum; verum etiam de iure ciuili, l. placet, & auth. item nulli, C. de Sacrosanct. Eccles. vbi Doctores communiter, immò dicta immunitas est de iure diuino, vt probat, Carol. de Grass. in tract. de effect. Clericat. effect. 3. numer. 3. & hodie imponentes gabellas, & alia onera clericis, & personis Ecclesiasticis, & ab eis exigentes sunt excommunicati per Bullam Cœnæ Domini, vt in Bulla Gregorij XV. quæ est decimaoctaua, his verbis. Quiue collectas, decimas, taleas, præstantias, & alia onera Clericis, Prælatis, & alijs personis Ecclesiasticis, ac eorum, & Ecclesiarum, Monasteriorum, & aliorum beneficiorum, Ecclesiasticorum bonis, illorumque fructibus, redditibus & prouentibus huiusmodi absque simili licentia Romani Pontificis speciali, & expressa imponunt, & diuersis etiam exquisitis modis exigunt, aut sic imposita, etiam à sponte dantibus, & concedentibus recipiunt.

2 Amplia etiam, si clerici vellent sponte soluere gabellas, exigentes sunt excommunicati; quia hoc priuilegium est concessum ad fauorem totius ordinis clericalis, & non potest illi renuntiari, cap. si diligenti, de for. compet. quod intelligitur, vt infrà, num. 20.

3 Secundò amplia in clericis absentibus ab eorum patria; quia debent gaudere immunitate gabellarum pro coniunctis, & familiaribus suis, qui ipsis clericis præsentibus gaudebant, & quos clerici alere consueuerant in eorum domibus, arg. eorum, quæ per Abb. & alios in cap. 2. de for. comp. glos. in cap. Ecclesiarum, in verb. clericorum. 12. quæst. 2. & ita tenet Carol. de Grass. de effect. cler. effect. 3. num. 306. & fuit decisum per regiam Audientiam Apuleæ, Viu. decis. 88. numer. 2. vbi dicit etiam, quòd Camera Summa-

riæ

riæ consueuit expedire prouisiones ad fauorem clericorum, non solùm pro familia, sed etiam pro omnibus, & quibuscumque colentibus prædia eorum.

4 Tertiò, amplia in oblatis, qui se, & bona obtulerunt alicui approbatæ Religioni; nam personæ, & eorum bona Monasterio oblata sunt libera, & exempta ab omnibus oneribus sçcularibus, Abb. cons. 53. num. 2. vol. 1. dummodò viuant, vt Regulares, & sint in seruitio Ecclesiæ, & incedant in habitu ipsius Religionis, saltem illius coloris; quia isti conuersi solent deferre habitum diuersum ab alijs Regularibus, cap. Parochianos, de sent. excom. cap. inolita 11. q. 1. Doctores in d. cap. Parochianos, & in cap. ex tenore, & in cap. non dubium, & in cap. de Monialibus, de sent. excom. & in cap. ex eo, de elect. lib. 6. Bellug. in specul. princip. rubr. 11. §. videndum, n. 6. vers. item comprehendi, Calder. cons. 30. tit. de regul. & alij allegati à Carolo de Grass. de effect. clericat. effect. 1. num. 96. qui tenent istos oblatos esse exemptos à gabellis, datijs, & impositionibus: de requisitis necessarijs in oblatis vide Marinis quotid. resol. c. 117. nu. 7. fol. 200. Nouarius de elect. fori q. 64. fol. 169.

5 Quartò amplia, vt clerici prædictam immunitatem gabellarum non solùm pro bonis Ecclesiasticis, quæ possident tamquam beneficiati, sed etiam pro bonis patrimonialibus, licèt sint constituti in ordinibus minoribus, vel prima tonsura, habere debeant, glos. in cap. ex litteris, in verb. alligata, de pignorib. & in cap. fin. in verb. facultates, de vit. & honest. cler. & in cap. similiter, 16. q. 1. Felin. in cap. Ecclesia Sanctæ Mariæ, in fin. const. Guid. Pap. decis. 283. num. 1. & alij allegati per Carol. de Grass. de effect. cleric. effect. 3. num. 128. & 129.

6 Sed limitatur, quando non incedunt in habitu, & tonsura, & eo magis si non seruiant in diuinis; quia eo casu tenentur ad solutionem gabellarum, Guid. Pap. decis. 83. glos. in clem. 1. in verb. rebus, de vit. & honest. cler. & in cap. fin. in verb. facultatibus, eod. Couar. pract. quæst. cap. 31. Carol. de Grass. de effect. cleric. effect. 8. n. 292.

7 Addit. ad Quarant. in Summ. Bullar. in verb. Vectigal. Verùm in casibus, quibus clerici tenentur ad solutionem gabellarum, debent compelli per suos superiores, & officiales Ecclesiasticos, non autem per iudices laicos, Natt. cons. 31. num. 4. lib. 2. Doctores in l. ad instructionem, C. de Sacros. Eccles. Henric. Boic. in cap. peruenit n. 1. de immunit. Eccles. Marsil. in pract. §. aggredior, num. 63. Ferret. in tract. de Gabel. n. 433. Felin. in cap. Ecclesia Sanctæ Mariæ, num. 80. Guid. Pap. cons. 67. Abb. in cap. qualiter de iudic. & alij allegati per

Carol. de Grass. de effect. cleric. effect. 3. num. 296. Nam ibi clerici, qui non incedunt in habitu, & tonsura clericali, & diuinis officijs, horis congruis non intersunt, non seruientes Ecclesiæ, volunt vocari
8 clerici, vt priuilegio clericali gaudere possint; & in hoc Regno dicuntur Diaconi, seu Iaconi seluatici, vt in pragmatica prima de Diaconis seluaticis, & secundum Concilium Trident. sess. 23. cap. 6. de reformat. qui non habent aliquod beneficium, aut clericalem habitum, & tonsuram non deferunt, & Ecclesiæ non seruiunt, non gaudent priuilegio fori; & tantò magis illi, qui ætatem legitimam ad ordines maiores promouendi non intendunt; nam non versantur in via ad maiores ordines suscipiendos, vt in d. cap. 6. Concilij sess. 23. quia potius sęcularis iudicij fraude fugiendi, & magis fruendi immunitate gabellarum, quàm, vt Deo cultum præstent, hoc genus vitæ eligunt, cum maximo detrimento animarum Episcoporum, non occurrentium tali malo, Bannes 2. 2. quæst. 12. art. 1. in 2. diffic. conclus. fin. quia adueniente tempore, quo promoueri possunt ad ordines sacros, & non promouentur, præsumitur in eis fraus, quæ per coniecturas probatur, l. dolum, C. de dol. cap. 2. de renunt. lib. 6. Bart. in l. post contractum, ff. de donat. vbi cęteri scribentes, Viu. decis. 157. n. 11.
9 Mascard. de probat. conclus. 815. num. 1.

Secundò non gaudent immunitate gabellarum clerici pro rebus ipsis donatis à patre, à fratribus, & ab alijs sibi coniunctis, Bart. cons. 180. quia præsumitur donationem esse factam in fraudem, maximè si est facta à patre filio existenti in potestate, quæ regulariter non valet, l. si pater, C. de inoffic. donat. l. 2. §. si filium, ff. de donat. & licet donatio facta à patre cum iuramento filiofamilias, secundum Clar. in §. donatio, quæst. 8. num. 8. virtute iuramenti sit valida, & attestatur de communi, tamen verior videtur opinio contraria; ratio est, quia quicquid acquirit filiusfamilias acquirit patri, §. 1. Instit. per quas person. nob. acquir. l. placet, ff. de acquir. vel ammitten. hæred. nemo enim sibi ipsi obligatur; tum quia inter patrem, & filiumfamilias nulla lis esse potest, l. nulla lis, ff. de iudic. tum quia iuramentum est accessorium donationi, qua non subsistente, nec ipsum iuramentum vires ei præbere potest, cap. accessorium, de regul. iur. lib. 6. tum quia, quod vna via est prohibitum, alia via permitti non debet, cap. cum quid vna, de regul. iur. lib. 6. & demum, quia nullum hic periurium committitur, Hyeron. Giaccar. in addit. ad Clar. in d. §. donatio, quæst. 8. & tantò magis, quando res donata remanet penes donantem, Bart. in l. post contractum, ff. de donat. vel si fuerit reseruatus vsufructus, l. quisquis, C. de donat. specul. tit. de cler. coniugat. nu. 6.

vel

vel si in donatione adsunt clausulæ, vel conditiones insolitæ, glos. 1. in l. si quis sub conditione, de condit. instit. Paul. de Castr. in l. si quis sub conditione, de condit. instit. Mascard. de probat. loco citato, numer. 40. nam fraus præsumitur, si est facta donatio, vel alienatio in coniunctum, l. si inter donat. inter vir. & vxor.

10 Tertiò limitatur, quando prædium peruenerit ad clericum post maturatum tempus solutionis gabello; quia potest pro ea compelli ad solutionem, ex quo prædium transit cum onere suo, Ferret. in tract. gabelli, num. 431. Bart. d. cons. 180. Bald. in auth. item nulla communitas, C. de Episc. & Cleric. & cons. 50. num. 1. & cons. 27. num. 2. lib. 6. Oldr. cons. 169. Io. Andr. & alij in cap. fin. de vit. & honest. cler. Guid. Pap. decis. 381. Speculat. in tit. de cler. coniug. §. 1. vers. ad huiusmodi, & cæteri allegati à Carol. de Grass. de effect. cleric. effect. 3. num. 255.

11 Quartò limitatur, quando gabella, vel aliqua solutio imponeretur pro custodiendis vineis, agris, territorio, & similibus; quia clerici habentes vineas, prædia, & agros contribuere tenentur, Nat. cons. 311. num. 1. & cons. 280. num. 6. lib. 2. Castrens. cons. 424. lib. 2. Auend. in tract. de exequend. mandat. reg. part. 2. cap. 14. num. 13. & ratio est, quia clericus, qui vtitur beneficio laicorum tenetur subire onus illi beneficio annexum, Bald. in l. 1. circ. fin. C. de contrah. empt. Abb. cons. 6. per tot. lib. 1. Natt. d. cons. 311. num. 3. Carol. de Grass. de effect. cler. effect. 3. num. 371. & sequen.

12 Quintò limitatur, quando impositio, vel gabella imponitur pro causa, quæ respicit pietatem, vt pro manutenendo hospitali, vel præstanda mercede prædicatori, vel medico, pro reparatione Ecclesiæ, pro liberanda Ciuitate ab aliquo morbo contagioso, vel à peste, Natt. cons. 311. num. 4. vers. concludendum est, lib. 2. Caualc. decis. 44. num. 100. vers. nisi hæc onera, lib. 1. Surd. cons. 62. num. 13. Rip. in tract. de pest. tit. 1. num. 456. Decian. cons. 14. num. 24. lib. 1. vbi dicit, quod est communis opinio, vt clerici teneantur contribuere, sed locum habent, si accedat licentia Summi Pontificis, Carol. de Grass. de effect. cler. effect. 3. num. 251. in fin. nisi esset periculum in mora; quia tunc sufficit consensus Episcopi, & Capituli, Carol. de Grass. ibidem, num. 232.

13 Sextò limitatur, si res subiecta gabellæ peruenerit in posse clerici, quia tenetur soluere gabellam, nam transit cum onere suo, l. Imperatores, ff. de publ. & vectigal. cap. tributum, 23. q. 8. dummodò illud onus sit ordinarium, & perpetuum, & non variabile, secus si esset extraordinarium, temporale, & variabile, Io. Anton. de Nigr. in

clem. de vit. & honest. cler. quia si non sunt perpetua, & certa; sed pro varietate temporum, & negotiorum imminentium variabilia, & mutabilia, quo casu dicunt Doctores, quod bona tali onere grauata, si perueniunt ad Ecclesias, & personas Ecclesiasticas, fiunt libera; quia desinit illud onus, cap. nouerint, 10. q. 1. cap. 1. de iurepatr. lib. 6. Arclud. in cap. 1. de immunit. Eccles. quem refert Calder. cons. 7. de constit. num. 2. & hanc sententiam tenuit Rota Romana in vna Brundusina coram Pegna, die 13. Februarij 1604.

14 Septimò limitatur, si alienans, donans, seu legans clerico, & in contractu apponit conditionem, seu pactum, vt clericus donatarius soluat gabellas, seu onera; quia tunc si vult acceptare donationem, seu legatum, tenetur id facere cum onere soluendi gabellam, Anch. cons. 117. num. 1. Felin. in cap. Ecclesia Sanctæ Mariæ, num. 77. de constit. Carol. de Grass. de effect. clericat. effect. 3. num. 274.

15 Octauò limitatur in clericis coniugatis, cap. 1. de cleric. coniugat. lib. 6. Abb. in cap. ex parte de cleric. coniugat. Couar. pract. quæst. cap. 31. num. 9. & est communis opinio, vt testatur Bald. in addit. ad Speculat. in tit. de cleric. coniugat. verb. clericus coniugatus, vers. 4. & in Regno adest regia pragmatica sub tit. de Diacon. Seluatic. quæ incipit, *Nuper ad Maiestatem*.

16 Nonò limitatur in clericis negotiatoribus, qui pro negotiationibus tenentur ad solutionem gabellarum, Dec. in cap. Ecclesia Sanctæ Mariæ, nu. 78. de constit. Mol. in tract. de contract. disput. 342. num. 5. Rolan. cons. 71. num. 6. Duen. regul. 100. Fallent. 11. Natt. con. 139. num. 3. & sequen. Thesaur. decis. 116. num. 5. Specul. tit. de immunit. Eccles. numer. 3. cap. quamquam à contrario sensu de censib. lib. 6. clem. fin. eod. tit. & ibi glos. Foller. in addit. ad Marant. part. 4. dist. 11. num. 8. & negotiator dicitur ille, qui rem emit, & non mutata forma, eandem vendit, cap. eijciens, dist. 23. sed melius in

17 cap. de clerico negotiatore dicam, verumtamen si quis emeret aliquid pro suo victu, & postea superesset, & vellet vendere non tenetur soluere gabellam, Abb. in cap. 1. ne cleric. vel Monach. etiam si venderet ob necessitatem, licet maiori pretio venderet, quam emit, dummodò tanti valeat tempore venditionis, Bart. & Doctores in l. cætera, §. si quis parauerit, ff. de legat. 1. Bal. in l. 1. §. idem Offilius, ff. de exercit. act. ratio est, quia qui emit animo non vendendi, sed pro victu domus, & postea si superat, propter aliquam necessitatem vendit, non dicitur negotiator. D. Thom. 2. 2. q. 77. art. 4. ad 2. Syluest. in verb. Clericus, 3. quæst. 1. qui animus probatur per iuramentum ipsius clerici, Ferret. in tract. de gabell. num. 174.

Sed

18 Sed quæro, an laici colentes terras, & prædia Ecclesiastica sint immunies, & exempti ab omnibus muneribus, impositionibus, gabellis, & alijs oneribus pro fructibus, quos colligunt ex dictis prædijs? Respond. quòd mihi videtur dicendum, quòd sint immunes à solutione prædicta gabellarum, non principaliter propter se, sed fauore Ecclesiarum, cap. Ecclesiarum, 12. q. 2. Bald. in l. 2. C. de Episcop. & cler. quia aliàs propter grauamina, quæ colonis, conductoribus prædiorum Ecclesiarum imponuntur, non inuenirentur coloni, qui ea conducerent, Federic. de Sen. cons. 3. incipien. Quæstio talis est, an Diœcesanus, num. 10. in fin. nam res ratione oneris minoris æstimationis efficitur, glos. fin. in l. generale, §. fin. ff. de vsufr. legat. & licet aliqui teneant contrarium, quos allegat Io. Anton. de Nigr. in clem. de vit. & honest. cler. nu. 213. vbi tenet colonos prędiorum Ecclesiarum obnoxios esse ad soluendum gabellas; deducta tamen ea summa, quam soluunt Ecclesijs pro affictu; attamen credo, quòd eius opinio procedat in vectigalibus ordinarijs perpetuis, secus in extraordinarijs, Bart. in l. licitatio, §. mercatores, ff. de public. & vectigal. vt supra dixi. Vnde si Vniuersitas videns non posse grauare clericos, & Ecclesiam, nec directè, nec expressè, si grauaret colonos ipsorum, grauaret indirectè; quia Ecclesia, & clerici non inuenirent, qui vellent laborare suas terras, & possessiones, & Episcopus hoc non debet tolerare; quia esset contra Ecclesiam, & personas Ecclesiasticas, Felin. in cap. Ecclesia sanctæ Mariæ de constit.

19 Secundò quæro, an clerici sint immunes à solutione gabellarum, & pedagiorum pro rebus, quas transferunt, si non ostendunt litteras commendatitias, seu testimoniales eorum Ordinariorum? Resp. quòd clerici incedentes cum habitu clericali absque dictis litteris commendatitijs, non sunt cogendi ad solutionem pedagiorum, & gabellarum, Abb. in cap. ex parte il 3. de priuileg. sed statur iuramento ipsorum clericorum, glos. in clem. præsenti, in verb. non negotiandi, de cens. facit cap. fin. de iureiur. quia quoad personam sufficit, quòd clericus sit in habitu, & tonsura, cap. si iudex, de sent. excom. lib. 6. Vinc. de Ann. singul. 133. Nauar. cons. 4. num. 4. de immunit. Eccles.

20 Tertiò quæro, an clerici, & personæ Ecclesiasticæ absque metu censuræ possint sponte soluere gabellas, sicut laici ad releuandas necessitates, & onera Vniuersitatis? Resp. quòd clerici si sponte sine aliqua coactione, & extorsione soluerent gabellam, neque clerici soluentes, neque gabellarij recipientes nullam incurrerent censuram, glos. in clem. 1. in verb. declaratione, de immunit. Eccles. Host. in summ. de immunit. Eccles. §. à quibus, vbi dicit, quòd si clerici spon-

te

te darent absque petitione, honestè acciperent. Verùm super hoc diuersa iura diuersis temporibus fuerunt condita. Primò, cap. non minus, in Concilio Lateranensi de immunit. Eccles. vbi disponitur, quòd si Episcopus, & Clerus tantam necessitatem, vel vtilitatem viderint Vniuersitatis, vt talia subsidia æstimauerint conferenda, quod possint. Secundò fuit conditum, cap. aduersus eod. tit. vbi statutum fuit, quòd etiam necessitate, vel vtilitate imminente non licere clericis gabellas soluere, nisi prius consulto Romano Pontifice. Tertiò superuenit Bonifacius VIII. qui in cap. clericos laicos, §. nos igitur, de immunit. Eccles. lib.6. statuit, quòd tàm clerici soluentes, quàm laici exigentes gabellas sint excommunicati, & Vniuersitates subiacere debeant interdicto, cuius relaxatio, & absolutio fuit reseruata. Quartò superuenit Clemens V. qui in Concilio Viennensi, vt habetur in clem. vnica, de immunitat. Eccles. reuocauit dictas censuras, & remansit solùm dispositio dicti cap. aduersus, scilicet quòd si clerici vellent sponte soluere gabellas, prius debeant consulere Romanū Pontificem, & si eo inconsulto soluerent, nullam incurrant censuram, sed peccarent transgrediendo dispensationem dicti cap. aduersus, quod hodie viget, vide Nauar. cons.5. num.2. de immunit. Eccles. vbi hæc reperies. Sed dices, quod hodie per Bullam Cœnæ Domini excommunicantur imponentes, & exigentes gabellas à clericis, etiam sponte soluentibus; Resp. quòd tunc incidunt, quando in ipsa impositione gabellæ exprimuntur, & nominantur, quæ fit ab Vniuersitatibus etiam clerici; itaut sit imposita gabella etiam clericis, quia si spōte soluerint, incidunt in excommunicationem, sed quando nulla facta est mentio clericorum, & personarum Ecclesiasticarum in ipsa impositione gabellæ, tunc si sponte soluerint, non sunt excommunicati, nec ipsi clerici soluentes, nec gabellarij exigentes; ratio est, quia verba Bullæ sunt hæc. Quiue collectas decimas, taleas, præstantias, & alia onera Clericis Prælatis, & alijs personis Ecclesiasticis, ac eorum bonis absque Romana Pontificis speciali, & expressa licentia imponunt; aut sic imposita, etiam à sponte dantibus, & concedentibus recipiunt. Vbi sensus verborum, sic imposita, est; quòd qui exigunt, aut recipiunt gabellas, & tributa sic imposita, hoc est ita vt clericos in impositione compræhendant eos nominando, excommunicati sint, tàm imponentes clericis, quàm exigentes ab eis sic imposita sponte soluentibus, recipientes, Tolet. in exposit. Bullæ Cœnę, §.3. dubio 5. Sayr. de censur. lib.3. cap.22. num.10.

21 Quartò quæro, quis potest imponere gabellas? Resp. quòd potestas imponendi gabellas, pedagia, vectigalia, præstationes ordinarias,

tias, & extra ordinarias, & alias impositiones est penes Principem, & Ciuitates liberas non recognoscentes superiorem, l. vectigalia, ff. de public. & vectigal. cap. super quibusdam, & ibi glos. in verb. Imperatorum de verb. significat. & expressiùs probatur in l. vnic. de superind. lib. 10. hinc est, quòd Ciuitates, Terræ, ac loca huius Regni, cum recognoscant superiorem Regem, non possunt imponere gabellas, & onera prædicta suis ciuibus sine licentia, assensu, & decreto regio, aliàs incurrerent excommunicationem Bullæ Cœnæ Domini, quæ hæc prohibet, sed supremus Princeps non-recognoscens Superiorem ad quem de eius sententijs appellatur, eandem potestatem habet imponendi noua pedagia, & gabellas, vt colligitur ex vsibus feudorum tit. quæ sint regal. & facit tex. in cap. innouamus de censib. ratio, quia cum supremus Princeps sit, habet regalia, & supremam potestatem in ijs omnibus, quæ ad Reipublicę gubernationem, & regimen necessaria sunt, sic etiam quælibet Respublica libera, vt sunt Veneta, Ianuensis, Lucensis, & aliæ huiusmodi, Salic. in d. l. vectigalia, Abb. post Io: Andr. in cap. super quibusdam, de verb. signific. Sayr. de censur. lib. 3. cap. 9. num. 18. Potest nihilominus Ciuitas non libera, vt sunt Ciuitates Regni imponere suis ciuibus collectam pro necessitate eminenti, vel propter debita soluenda sine Principis licentia, & absque assensu, & decreto regio, Bart. in d. l. vnic. & l. ex rescripto, §. fin. ff. de muner. & honor. & in l. 1. C. de mulier. in quo loc. lib. 10. & in l. 4. §. actor. ff. de re iud. Abb. cons. 71. num. 4. & 5. part. 2.

22 Et notandum est, quòd clerici sunt immunes à solutione gabellarum, vt supra, sed etiam eorum domus ab hospitio militum sunt exemptæ, cap. 1. de immunit. Eccles. l. 1. vbi glos. & Doctores, C. de Episcop. & cleric. & per cap. Regni Caroli II. incipien. *Item statuimus, quòd domus*, & ibi, Io. Ant. de Nigr. confirmatum à Papa Honorio, anno 1285. Francis. de Ponte in tract. de potestat. Proregis, tit. 1. §. num. 14. quod extenditur, & ampliatur ad fratres, & alios coniunctos habitantes cum ipsis clericis, Io. de Arnon. singular. 83. Carol. de Grass. de effect. cler. effect. 3. n. 122. Marsil. singular. 180. Bald. in proęm. Horum, §. num. 7. & ratio est, quia quando priuilegiatus non potest vti commodè suo priuilegio, nisi includatur sua familia in eius priuilegio, tunc includitur etiam sua familia, Bart. in tract. repręsal. sexta, quæst. septimæ quæst. principalis, vbi dicit, quòd non solùm scolares gaudent priuilegio repræsalium, sed etiam eorum famuli, & necessarij, ac etiam pater, qui iret ad videndum filium ad studium, & faciunt dicta per Bal. in l. 1. de vxor. milit. quòd familiares, & neces-

& necessarij militum gaudent priuilegio, quo ipsi milites, idem Bald. in authen. habita, C. ne fil. pro patr. hoc idem tenet Felin. in cap. 2. det for. compet. hoc idem priuilegium habent milites in Regno, quod eorum domus sunt exemptæ ab hospitio militum per regias pragmaticas, etiam si habitant cum eorum coniunctis; & vide regias prouis. Cameræ Summariæ expeditas ad fauorem eorum, qui habitant, simul cum militibus, & clericis, vt teneantur tantùm ad contribuendum; & benè, quia si hoc priuilegium est concessum militibus sæculi,
23 tantò magis videtur concessum sacerdotibus, qui sunt milites cælestis militiæ, & Dei, cap. Christianis 11. q. 1. cap. irrefragabile, 23. q. 8. immò longè digniores, cap. solitæ, de maior. & obedient. nam sacerdotes computantur in numero Deorum, sicut scriptum est, *Dijs non de trahes*, idest sacerdotibus, & alibi *nolite tangere Christos meos*; sed credo, quòd hoc procedit in illis clericis, qui sunt veri domini domorum, & non in clericis filijs familias, qui sunt sub potestate patris, quibus patres eorum, & alij coniuncti eis domos donauerunt; nam est euidens fraus, quòd donatio sit facta ad euitandum hospitia militum, & alia onera Vniuersitatis, maximè hisce temporibus stante magna copia clericorum in minoribus ordinibus.

24 Item est notandum, quòd si res fuerit donata clerico pro titulo patrimonij, vt possit promoueri ad ordines sacros, iuxta dispositionem Concilij Trid. sess. 21. cap. 2. de reformat. clericus donatarius est immunis pro ea à solutione gabellæ, sed regia Camera Summariæ obseruat, quòd de donatione facta clerico, vt possit ascendere ad ordines sacros, donatarius sit immunis à gabella a die promotionis, & non à die factæ donationis.

CAPVT XXVIII.

De damno dato per animalia clericorum, & an teneantur ad pœnam banni.

SVMMARIVM.

1 *Pascens cum animalibus prata aliena peccat mortaliter, & ad restitutionem damni tenetur.*
2 *Custos territorij si inuenerit damnificantem, licitè potest pignus exigere.*
3 *Custodes inuenientes animalia damnificantia in pratis alienis tenentur illa consignare officiali loci.*
Statutum grauans alios pro factis clericorum non valet.

5 Damni

5 *Damni qui est causa, ipse damnum dat.*
6 *Damnum datum in segetibus quomodo est æstimandum.*
7 *Vniuersitas potest statuere pro bono publico.*
8 *Clerici tenentur seruare banna Vniuersitatis pro bono publico.*
9 *Clerici possunt compelli per iudices Ecclesiasticos ad seruanda banna Vniuersitatis.*
10 *Vniuersitas habens defensam potest pascua eius vendere, & non possunt Clerici immittere eorum animalia ad pascendum.*
11 *Vniuersitas non potest prohibere, ne animalia clericorum pascantur in locis publicis.*
12 *Clerici sunt ciues, & habent ius pascendi.*
13 *Vniuersitas an possit facere defensam in loco publico, & demaniali remissiuè.*
14 *Via publica si est lutuosa, vel rupta licitum est transire per agrum vicini.*
15 *Mercum, seù signum animalium facit præsumere animalia esse eius, cuius est mercum.*
16 *Sigillum appositum in aliqua scriptura arguit consensum eius, cuius est sigillum.*
17 *Fides Vniuersitatis, in qua est eius sigillum probat.*
18 *Sigillum Vniuersitatis, & Capituli est authenticum, & publicum.*
19 *Statutum, quòd fletur iuramento damnum pasci valet.*

1 QVi pecora, vel alia animalia in alienis pratis inuito domino, siue ea sint alicuius Communitatis, vel Vniuersitatis, siue alicuius personæ priuatæ immittit ad pascendum, peccat mortaliter, nisi paruitas materiæ excuset, & sine vlla iudicis sententia ad restitutionem damni illati tenetur, pœnam verò non nisi post iudicis condemnationem soluere obligatur, qui verò pascit animalia in pratis alienis patentibus, ad restitutionem non tenetur, nisi post iudicis condemnationem, Sayr. in claui regia, lib. 11. cap. 11. numer. 1. Vnde
2 quando in huiusmodi locis sunt custodes, & inueniunt damnificantem licitè possunt petere, & accipere pignus, & damnificans tenetur etiam in conscientia illud exhibere, Sayr. loco citato, num. 10. & in
3 Regno adsunt duæ Constitutiones quarum vna incipit. *Animalia*, & altera, *Peruenit ad aures*; quibus prouisum est non licere alicui capere, & detinere animalia aliena damnum dantia in suo fundo, sed ea capta consignare officiali loci, aliàs tenetur pœna furti.
4 Sed cum sępè contingat, quòd custodes animalium clericorum, vel Ecclesiarum inferunt damnum cum ipsis animalibus in pratis alienis, quæro, an possint accusari, & puniri pęnis statuti, vel banni laicorum contra damnificantes segetes, agros, & vineas alienas, & huiusmodi?

iusmodi? Resp. quòd videtur dicendum, non teneri dictos custodes ad pœnam damni, quia licet statutum hoc non respiciat clericos directè, nec bona ipsorum, tamen indirectè clerici & Ecclesiæ, quorum sunt animalia grauantur, Bart. in l. hi penes, C. de agr. & cens. lib. 10. vbi dicit non valere statutum grauans alios pro factis clericorum, sed in contrarium est veritas, quod si custodes animalium Clericorum damnificant agros alienos cum animalibus clericorum, possunt puniri pœna banni laicorum, Felin. in cap. Ecclesia Sanctæ Mariæ, vers. quintum exemplum, de constit. & in cap. 2. vers. de rusticis, de for. compet. Luc. de Penn. in l. iubemus, C. de nou. non excus. lib. 11. Afflict. in Constitut. Regni incip. *Cum per partes Apuliæ*; & ratio est, quia hoc statutum non est contra clericos, nec eorum animalia,
5 nec aliquo modo personas eorum tangit, sed personas tantùm custodum laicorum, qui sunt causa damni, & ipsi damnum inferunt, cap. fin. de iniur. & damn. l. qui occidit, ff. ad leg. aquil. vide Gramat. cons. 102. vbi per totum latè disputat hunc casum, & concludit posse procedi contra dictos custodes laicos.

6 Sed notandum est, quòd damnum datum per animalia in segetibus existentibus tunc in herba, non debet æstimari, quemadmodum si in aliquo prato, vel defensa damnum illatum fuisset, sed pro frumento verisimiliter percipiendo, & recolligendo, Speculat. in tit. de iniur. & damn. dat. §. 2. numer. 21. & ibi Io. Andr. in additione, Viu. decis. 283. num. 2. & tribus vicibus est facienda dicta æstimatio. Prima est facienda tempore damni illati, quo est in herba, vt cognoscatur quantitas fundi, in quo est damnum illatum. Secunda æstimatio est facienda ante tempus messium, vt sciatur, an sit renatum frumentum, vel hordeum in totum, vel in partem, vel nullo modo. Tertia, & vltima æstimatio tempore messium, & expectato euentu fructuum percipiendorum, Viu. loco citato, num. 6.

7 Secundò notandum est, si emanatur bannum per vniuersitatem, quæ ratione publicæ vtilitatis habet facultatem statuendi, l. omnes populi, ff. de iust. & iur. vbi Bart. & l. ambitiosa, ff. de decret. ab ord. facien. vt ciues vias ante domos, vel quibus itur ad vineas, & prædia reparare, & suis sumptibus mundare, & purgare debeant; eo casu
8 clerici, & personæ Ecclesiasticæ etiam tenentur talè bannum seruare pro bono publico; verumtamen cogendi sunt per iudicem Ecclesiasticum; Ignat. Lopez in additione ad pract. criminal. canon. Diaz,
9 cap. 55. & eadem ratione publicæ vtilitatis tenentur clerici, & compelli possunt per iudicem Ecclesiasticum, stante statuto municipali suis sumptibus occidere locustas, brucos, vermes, & alia huiusmodi anima-

animalia nociua, quæ in prædijs eorum nascuntur, & reperiuntur per ea, quæ de infectione dicunt Doctores in l.nullus, C.de Summ. Trinit.& fid. Cathol. & l.ædiles, §.pedius, ff. de edilit.edict. Ignat.loco citato.

10 Tertiò notandum est, quòd si Vniuersitas habet aliquam defensam, & venderet herbam pro exsoluendis debitis, & pro eius oneribus subleuandis, clerici non possunt immittere eorum animalia ad pascendum in dicta defensa, nisi soluta mercede: Abb.in cap.6.vol.1. quia dicta defensa est in bonis, & de bonis Vniuersitatis, & potest de ea ad eius libitum disponere, l.sed, & si, §.consuluit, ff. de petit.hæred. l.in re mandata, C. mandat.

11 Quartò notandum est, quod Vniuersitas non potest prohibere, ne animalia clericorum depascantur in locis publicis, & demanialibus,
12 quæ sunt communia; quia clerici sunt ciues, Oldr. cons.32. incip. quæstio est, vtrum Sacerdos, Paul. de Castr.cons.257.vol.2. Socc. iun. cons.80. & vt ciues habent ius pascendi in pascuis publicis, Bertr. cons.92. incip. si verum est, part.3. nam pascua quoad vsum, & vtilitatem pertinent ad ciues, l. testatrix, §.1. ff. si seruit. vendat; & hoc procedit in clericis non solùm originarijs, sed etiam alienigenis, si tamen ibi habent beneficium curatum, vel requirens residentiam, quia tunc sortiuntur domicilium, Abb.in cap.quia in tantum, de præbend. idem Abb. in cap.ex ore, num.5. de priuileg. Dec. in dicto cap. quia in tantum; nam necessitas residendi facit sortiri domicilium, Innoc.in dicto cap. ex ore, & Abb. in cap. postulasti de for.compet.

13 Sed quid si Vniuersitas vellet facere aliquam defensam in loco publico, & demaniali, & illius herbam, & pascua vendere pro exsoluendis debitis, an possit facere? Vide Capyc.decis.152. & ibi Prosper. Petr.in additione, & Vinc.de Franch.decis.197. & 280.

14 Quintò notandum est incidenter, quòd si via est facta lutuosa, vel est rupta, quòd est licitum cum animalibus transire per agrum vicini, Bal. in l. per agrum, C.de seruit.& aqu.& in l.si locus, §. cum via, vbi † est tex. ff.quemadm. seruit. ammit. Vinc. de Ann. singul. 582. Capiblanc. sing. 169.

15 Sextò notandum est, quod signum, siue mercum pecudibus, & alijs animalibus appositum facit præsumere dicta animalia esse eius, cuius est mercum, quod solet apponere suis animalibus, & licèt agenti incumbat onus probandi, tamen ex verificatione merchi pro parte actoris est translatum onus in aduersarium, ex quo actor habet intentionem fundatam, l.3. C. de fabric.lib.10. & ibi Bart. Par. de Put.de sindicat.in verb. probationum.2. vbi dicit, quòd veritas cognoscendi

16 di animalia cuius sunt', constant ex mercho illius, cuius merchum est, Vinc.de Ann. allegat. 110. lib. 2. Hinc est, quòd sigillum appositum in aliqua scriptura arguit consensum eius, cuius est sigillum, l. tribanus, §. 1. ff. de testam. milit. Bart. in l. quæ doris, ff. solut. matr. &
17 fides Vniuersitatis, vel Capituli, in qua est eorum sigillum, probat Bal. in l. si qua per calumniam, C. de Epis. & cler. quia sigillum Vniuersitatis est publicum, & authenticum, cap. cum dilecta de excess.
18 prælat. item sigillum Capituli, cap. 3. de probat. Carauit. in Rit. 277. num. 7. & ita iudicauit Audientia regia, Viu. decis. 57. num. 3.
19 Et circa illud, quod supra dictum est de damno dato, nota, quod statutum, quo disponitur, vt stari debeat iuramento damnum passi de damnis, & interesse in prædijs, est validum; sed intelligitur, quando damnum est illatum dolo malo, Dec. cons. 83. num. 3. Plot. latè in l. si quando, num. 764. C. vnde vi, & intelligitur ad fauorem ciuis, non autem forensis, idem Plot. ibi num. 823. intelligitur etiam dummodò contrarium non probatur; quia contra tale iuramentum admittitur probatio, & vt per euidentiam loci, vt idem Plot. ibi n. 778. qui subdit adeò veram esse hanc opinionem, quod etiam si de damno dato præcedente taxatione iudicis sit iuratum, & sententia sit lata, nihilominus potest is contra quem est lata, contrarium probare secundum magis communem opinionem, & magis æquam iuribus ibi per eum allegatis; & nota, quod quando summa, pro qua est iuratum, est considerabilis, non debet iudex confirmare tale iuramentum, nisi concurrant coniecturæ, & verisimilitudines, ex quibus moueri possit ad id credendum; nam totum hoc remittitur arbitrio iudicis, vt per Aym. de antiquit. temp. part. 1. num. 201. Hercul. Marescot. var. resolut. lib. 2. cap. 16. per tot.
20 Demum notandum est, quòd si artifex per imperitiam, & ignorantiam errauerit in opere, ad quod fuit conductus, tenetur ad emendationem damni, Io: Faber, & cæteri scribentes in §. imperitia, Institut. de leg. Aquil. Caualcan. decis. 26. num. 15. lib. 1. l. si quis fundum, §. celsus, & §. si quis vitulos, ff. de locat. & conduct. l. tutor quoque §. fin. de susp. tut. ratio est, quia locans operas suas videtur assessorem se esse in illa arte peritum, Carol. de Grass. de effect. cler. in præiud. num. 122.

CAP.

CAPVT XXIX.

De censibus.

SVMMARIVM.

1 *Constitutiones plures Pontificiæ fuerunt editæ pro fundatione census.*
2 *Constitutio Pij V. de censibus an in Regno habeat locum.*
3 *Constitutio Nicolai V. de censibus obseruatur in Regno.*
4 *Constitutio Gregorij XIII. de censibus pro Regno Siciliæ.*
5 *Conditiones requisitæ pro fundando censu iuxta Bullam Nicolai V. & regiæ pragmaticæ.*
6 *Emptio census debet esse vera, & realis.*
7 *Census est constituendus super re stabili fructifera, aut super iuribus.*
8 *Census an possit constitui super re feudali.*
9 *Census est emendus iusto pretio.*
10 *Pretium est duplex.*
11 *Debitum ex alia causa an possit poni ad censum.*
12 *Solutio anticipata census an sit licita.*
13 *Plus soluit, qui ante tempus soluit.*
14 *Pactum, vt census soluatur per tertias, an sit licitum.*
15 *Pactum, vt venditor census soluat mercedem Notario pro stipulatione, & rea sumptione Instrumenti an valeat.*
16 *Pactum, vt venditor census soluat Adohan pro feudo, vel gabellas pro rebus burgensaticis an valeat.*
17 *Adoha quid sit.*
18 *Pactum de retrouendendo requiritur in contractu census.*
19 *Pactum limitatum in contractu censuali an valeat.*
20 *Pactum in contractu census, vt debitor non soluens duas, vel tres tertias possit accusari via Ritus, an valeat.*
21 *Pactum, vt venditor census teneatur requirere emptorem per aliquod tempus ante reemptionem, an sit validum.*
22 *Census an possit constitui in testamento.*
23 *Census quomodo possit probari, si non apparet Instrumentum.*
24 *Solutio census facta per duos annos probat in possessorio.*
25 *Instrumentum census habet exequutionem realem, & personalem.*
26 *Instrumentum census habet exequutionem paratam pro tertijs: etiam elapsis viginti annis.*
27 *Libri Capitulorum conseruati in archiuio probant censum.*
28 *Modus constituendi censum in societate super officijs in alma Vrbe.*
29 *Instrumentum in quo quis asserit fundum esse liberum ab omni onere, non præ-*

L *iudicat*

iudicat censuario.

30 *Census æquiparatur alienatione.*

31 *Solutio census facta per annos tres proximè decursos arguit solutionem pro alijs annis.*

32 *Emptor census præfertur alijs creditoribus posterioribus tam pro sorte principali, quàm pro tertijs.*

33 *Domus subiecta censui non potest discooperiri pro solutione census.*

34 *Creditor non potest pro debito exequi super tegulas, & cuppos domus debitoris.*

1 ETsi plures constitutiones Summorum Pontificum circa fundationem census, & materiam censualem concernentes, varijs temporibus editæ sint, & inter alias Pius V. edidit Bullam, quæ incipit, *Cum onus Apostolicæ seruitutis*, anno 1568. decimo quarto calend. Februarij: tamen in Regno semper est obseruata, & obseruatur Bulla Nicolai V. quæ est inserta in pragmatica de censibus, & per
† non vsum non fuit recepta dicta Bulla Pij V. Riccius collect. 2678. in 7. p. fol. 89. de Bulla Pij V. testatur Regens Tapia decis. 5. cap. 25.
2 num. 43. & 44. sed Nauar. in tract. de vsuris, quæst. septima, n. 108. quærit, an dicta Bulla Pij per non vsum potuit in totum, vel in partem tolli, & non acceptari: & distinguit, quod ea, quæ continentur in dicta Constitutione, seù Bulla, aut Sent. de iure naturali, & diuino, aut de iure humano, illa, quæ respiciunt ius naturale, & diuinum, vt est prohibitio vsurarum, & non possunt tolli; nam conditiones respicientes ius naturale, ac diuinum, sunt seruandæ etiam sine dicta Bulla; quia ligant omnes Christianos in vniuerso orbe, etiam non subiectos Papæ in temporali dominio, cap. quod iure, distin. 8. illa verò, quæ sunt de iure humano, de quibus habetur in extrauag. 1. & 2. de empt. & vendit. videlicet, vt in venditione rei suppositæ censuit, censuarius præferatur alijs; vt est etiam, quod intimetur redemptio census facienda per duos menses antea, vel quod denuncians infrà annum teneatur redimere censum, etiam inuitus, quæ conditiones non continent peccatum, nec faciunt contractum vsurarium, ista possunt tolli; & licet Virginius à Cingulo Doctor Romanus in tract. de censib. super dicta Constitutione Pij V. p. 2. num. 20. teneat contra-
3 rium, quicquid tamen sit in Regno, obseruatur Bulla Nicolai V. per centenariam enim præscriptionem extitit obseruata; quia fuit edita anno Domini 1452. ac etiam, quia nouissimè per Gregorium XIII. fuit facta alia Constitutio in materia census pro Regno Siciliæ, quæ quamuis sit localis, tamen continet omnes conditiones Bullæ Nico-

lai

4 lai V. quæ confirmata fuit per dictam Constitutionem Gregorij, quę si est iusta in Regno Siciliæ, erit etiam iusta in alio loco, alias nullibi esset obseruanda. In Constitutione autem prædicta Gregorij quæ incipit, *Quæ à Romanis Pontificibus*, Romæ 7. Februarij 1574. leguntur hæc verba: Supplicationibus prædictis inclinati, vt tàm Regi ipsi, quam omnibus, & singulis Regni Siciliæ vltra Pharum incolis, & habitantibus, & locorum, & Ciuitatum, & Terrarum Vniuersitatibus præsentibus, & futuris iuxta Nicolai V. constitutionem facere, emere, & vendere liceat, eosque sic constitutos census validos, & licitos,
5 non autem fęneratitios esse, perindè ac si litteræ Pij V. prædicti non emanassent, authoritate Apostolica concedimus, declaramus, & constituimus. Hæc ibi. Sed notandum est, quod secundum dictam Nicolai V. Constitutionem aliquæ conditiones pro validitate census requiruntur.

6 Prima conditio est, vt emptio census sit vera, & realis, idest, quòd emptor census habeat animum, & intentionem emendi censum, & non mutuandi, & lucrandi, cum spe recipiendi pretium receptum, siue sortem principalem, quia in foro conscientiæ esset vsura, de quo vide Abb. in cap. ad nostram, num. 12. de empt. & vendit. Nauar. in
† Manual. cap. 17. num. 248. Mastrill. decis. 103. p. 2.

7 Secunda conditio est, vt fundatio census fiat super re stabili, fructifera, & libera, ex qua possint capi fructus naturales, vel ciuiles, Abb. in cap. grauis, de restit. spoliat. vel super re, quæ pro immobili habetur, vt sunt iura, actiones, census, gabellæ, vt vectigalia, l. à diuo Pio, ff. de re iudic. clem. exiui de Paradiso, §. cumq; annui redditus, de verb. significat. Nauar. in tract. de vsur. nu. 17. dixi fructifera, vt saltem reddat tantum, quantus est census; si enim non tantundem redderet, esset vsura, Nauar. loco citato, nu. 85. & sufficit, quod fundus sit aptus ad ferendos dictos fructus, si locaretur, licet non soleat locari; quia non solum prædium, quod actu fert fructum, dicitur fructiferum, sed etiam illud, quod de se aptum, natum est ferre fructum, arg. cap. quid per nouale, de verb. signif. l. silua cędua, de verb. signif. Nauar. de vsur. num. 113. Item debet res, super qua imponitur
8 census esse libera, idest quòd non sit feudalis; quia qui constitueret censum super re feudali sine assensu regio, asserens illam esse burgensaticam, committeret crimen stellionatus, quod est vendere rem duobus, & venditor census celans vitia, & defectus rei venditæ: vt si dixit rem esse liberam, & alteri non obligatam, tenetur ad interesse, l. Iulianus, ff. de action. empt. Et nota, quod potest constitui census super aliqua re, vel rebus determinatis, & nominatis, cum

hypoteca omnium bonorum, & potest etiam fundari super omnibus bonis immobilibus iuribus, & actionibus, quia Nicolaus V. in dicta Constitutione declarauit licitos esse contractus, per quos aliqui vendunt census annuales super domibus, possessionibus, & proprietatibus specialiter, vel etiam generaliter super omnibus bonis, redditibus, emolumentis, iuribus, & rebus, mediante tamen pacto de redimendo, Nauar. cons. 21. n. 4. de empt. & vendit. & maximè vbi viget talis consuetudo, quæ est valida; quia non est contra legem naturalem, neq; diuinam, & si legitimo tempore est præscripta, seruanda est cap. quo iure, dist. 8. & cap. fin. de consuetud. l. de quibus, ff. de legib. Nauar. loco citato, num. 5.

9 Tertia conditio est, vt annuus census ematur iusto pretio; & ideò sciendum est, quod pretium iustum est duplex, naturale, & legiti-
10 mum; naturale est illud, quod communiter currit iuxta locorum & temporum consuetudinem, legitimum est illud, quod est præfixum, & taxatum à lege, siue à Rege, vel Republica, vel alio superiore, non recognoscente, Ludouic. Molin. de contract. disputat. 347. & 364. sed pro constituendo censu, non pretium naturale, sed legitimum in Regno attenditur, nempe illud, quod est præfixum à Nicolao V. & à regia pragmatica; & est vt annuus census non excedat decimam partem pretij recepti, & sic decem pro centenario.

11 Sed circa hanc conditionem insurgunt aliquæ dubitationes, quarum prima est, an debitum ex alia causa possit in sortem conuerti, & constitui census? Resp. affirmatiuè, quia attenditur veritas, quod secus est in illis locis l. vbi seruatur Bulla Pij V. nam secundum illam requiritur, quod census fiat pecunia præsenti, sed in Regno hæc conditio non est necessaria; quia si debitum est ex alia causa, potest in sortem computari, & fundari census, Petr. Foller. in prax. censual. in verb. huiusmodi census, n. 95. Tiraquell. de vtroq; retract. est, n. 135.
† Rouit. super pragmat. de censib. num. 10. in fin. & sic tertiæ decursæ possunt poni ad censum, & ista est communis opinio, de qua Marius Giurba in decis. 24. num. 34. quicquid dicat Viu. decis. 369. num. 13. quia loquitur de illis locis, vbi obseruatur Bulla Pij V.

12 Secunda dubitatio est, an liceat anticipare solutionem annui census in limine contractus, vt si darem mille aureos ad census, an mihi liceat accipere ducatos centum anticipatos? Resp. negatiuè, nam excederet decimam partē pretij propter anticipatā solutionē; quia plus
13 soluit, qui ante tēpus soluit, §. plus autē Instit. de action. nisi nō soluerentur decē pro centenario, sed nouem, vel octo, per vulgatā regulā; qui in vno grauatur, in alia debet releuari, l. eū, qui ff. de iureiurando.

Tertia

14 Tertia dubitatio est, an liceat pacisci, quod solutio census fiat per tres tertias, vel per singulos menses? Resp. affirmatiuè, quia hoc pactum licitum est, Nauar. de vsur. n. 134. Capiblanc. sing. 277. fol. 486. vbi ait, quod iustè potest conueniri, vt dimidium census soluatur in fine semestris, & alterum in fine anni, vel quod tertia pars in fine cuiuslibet semestris; quia in nullo iure prohibetur, nec etiam per bullam Nicolai V. de iure communi pensio alicuius rei conductæ debet solui in termino à partibus statuto, glos. communiter recepta in l. eadem, C. locat.

15 Quarta dubitatio est, an valeat pactum, vt venditor census teneatur soluere mercedem Notario pro stipulatione, & reassumptione Instrumenti? Resp. negatiuè, quia excedit pretium; emptor enim ad cuius commodum, & fauorem fit contractus, tenetur soluere mercedem Notario, Afflict. in Constitut. Regn. Baiulos, nisi solueret censum minus decem pro centenario.

16 Quinta dubitatio, an valeat pactum in contractu censuali, vt venditor teneatur soluere Adoham pro re feudali, vel collectas, gabellas, & vectigalia pro rebus burgensaticis? Resp. affirmatiuè, quia istud pactum est iustum, & potest apponi in contractu censuali, ex quo emptio census non est emptio proprietatis, & vsusfructus fundi: sed est emptio percipiendi annuam pensionem, & non debetur, vt vsusfructus, sed vt pretium, Couar. var. resolut. lib. 1. cap. 15. Nauar. de vsur. num. 132. nec obstat tex. in l. id, quod ff. de pericul. & comod. rei vend. vbi habetur, quod onera realia pertinēt ad emptorem; quia illa lex habet locum in emptore proprietatis, seu vsufructus fundi, & non in emptore pensionis annuæ percipiendæ, ac percipiendi censum. Non autem hoc habet locum in vectigalibus, collectis, vel gabellis, quæ soluuntur pro redditibus; nam quando dicta onera sunt imposita redditibus, & censibus; emptor, qui percipit dictos annuos redditus, & census, tenetur illos soluere, & in Regno, quando census est constitutus ad decem pro centenario, regia Camera Summariæ solet cogere ipsum emptorem ad soluendum dictas collectas, etiam

17 si contrahentes conuenissent, vt eas teneatur soluere venditor. Et quia feci mentionem de illo termino Adoha, sciendum est, quod adoha est onus quoddā pro re feudali, & seruitium pecuniarium pro seruitio personali, quod debetur à vassallo Regi pro feudo. Afflict. decis. 252. num. 3. & hoc onus remanet apud possessorem; & emptor census non tenetur imperialem, §. firmiter de prohibit. feud. alienat. per Federic.

18 Quarta conditio, quæ requiritur in huiusmodi contractu census,

est, vt apponatur pactum, de retrouendendo ad arbitrium venditoris; ita vt neque pacto vllo, neque longi temporis præscriptione possit præscribi, sed quod semper, & in æternum possit redemi, & hoc speciale, & præcipuum est in hoc contractu censuali, vt in dicta Bul-
19 la Nicolai V. Felin. in rub. de præscript. nec valet pactum limitatum, ne possit redimi census infra quinquennium, vel infra tot annos, vel è conuerso, vt infra quinquennium redimatur; quia est contra dictam Bullam, & pragmaticam de censibus; nam pro forma huius contractus in Regno requiritur, vt facultas redimendi sit libera; verum si hoc pactum redimēdi in contractu non esset appositum, adhuc huiusmodi census esset perpetuò redimibilis; quia intelligitur appositum secundùm glos. Pariens. tit. 1. §. 18. num. 13. idem si esset appositum ad tempus, cum pacto quod post lapsum tempus sit perpetuus census, Couar. var. resolut. lib. 1. cap. 9. num. 9. & lib. 3. cap. 8. num. 7. & ita fuisse decisum in sacro regio Consilio refert Ann. allegat. 11. num. 20. Scipio Rouit. super pragm. de censibus, num. 1.

20 Sed quæro, an possit apponi pactum in contractu censuali, vt debitor non soluens duas, vel tres tertias possit accusari, & contra eum liquidari instrumentum, secundum formam Ritus magnæ Curiæ Vicariæ, 166. incip. *Item si qui debitores?* Resp. quòd aliqui putant hoc pactum esse iniustum; quia restringitur pactum de retrouendendo quandocumque quod est contra Bullam Nicolai V. item quia pœna debet esse proportionata culpæ, cap. tuam, de pæn. sed veritas est, quod dictum pactum valet, & potest apponi, & exequi; quia cum dictum pactum fiat ex conuentione partium in pœnam, non videtur restringere potestatem redimendi, nec talis pęna est tam grauis; pręsertim quia volenti non fit iniuria; item quia ex lege commissoria in omni emptione hoc pactum poni potest, l. 2. ff. de leg. commiss. quia sic contrahentes coguntur stare promissis, vide Nauar. in Manual. cap. 17. num. 217. & sic passim obseruatur in hoc Regno.

21 Secundò quæro, an valeat pactum, vt venditor teneatur monere, & requirere emptorem census tempore redemptionis per aliquod tempus, vt per viginti, vel triginta dies antea? Respond. affirmatiuè; quia est pactum iustum, & licitum, approbatum à Pio V. in dicta sua Constitutione, vbi dicitur, quod venditor teneatur requirere emptorem per bimestre tempus ante redemptionem.

22 Tertiò, quæro, an possit constitui census in testamento? Resp. affirmatiuè, & intelligitur constitutus ad formam dictæ Bullæ Nicolai V. & regiæ pragmaticæ in Regno; quia testator fingitur cogitare illud idem, quod lex, Bald. in l. precibus, C. de impub. & in l. cum patrem,

trem, C. de condit. insert. nisi constet de contraria voluntate, Foller. in prax. censual. verb. Huiusmodi census, num. 68.

23 Quartò quæro, si non apparet instrumentum census, an possit aliquo modo probari census? Resp. quòd census probari potest, si ille, qui possidet rem censualem in aliquo instrumento venditionis, permutationis, vel in alio quocunque contractu, vel scriptura authentica fateatur rem esse subiectam censui; talis enim confessio probat censum, adeò vt ne dum ipse confitens, sed etiam singularis successor habens causam ab eo, teneatur domino census, Crauett. cons. 217. num. 4. vbi alios citat Petr. Foller. in prax. censual. in verb. Huiusmodi census, num. 98. sed est aduertendum, quod non sufficit sola confessio venditoris ad probandum censum, sed pręter confessionem, & assentionem, necesse est, vt concurrant aliqua alia, vt si probetur ante venditionem consueuisse soluere censum; vel quia aliàs dispositiuè recognouerat, & professus fuerat rem illam esse censualem coram parte, cui debetur census; nam istis casibus rectè probatur census, tàm in præiudicium venditoris, quàm successorum, Foller. loco citato, num. 87. Guid. Pap. quæst. 282. per tot. Mascard. de probat. conclus. 280. num. 1. & 2. probatur etiam census probata solutione

24 census per duos annos ad obtinendum in possessorio, Gulielm. Bened. in repet. cap. Rainutius in verb. & vxorem nomine Adelasiam, num. 438. de testam. probatur in l. si certis annis, C. de pact. l. de in rem verso, ff. de vsur. cap. querelam, de elect. vbi pro talibus præstationibus competunt remedia possessoria, licet non appareat titulus, Foller. loco citato.

25 Sed notandum est, quòd pro censu non solùm potest fieri exequutio in bonis, & in personis censuariorum, sed etiam contra tertios possessores realiter, & personaliter; quia ita disponitur per regiam pragmaticam de censibus; quod intelligitur, quando tertius possessor emisset bona subiecta censui cum onere soluendi censum; quia cum in hoc regia pragmatica videtur contra ius commune, l. quicquid astringendæ, & ibi Doctores de verb. obligat. l. 3. §. hæc verba, ff. de negot. gest. Foller. in dicta regia pragmatica in verb. tamquam res iudicata, num. 32. sed si emisset bona obligata censui absque dicto onere soluendi censum, tunc contra tertium possessorem fit in bonis exequutio tantùm, vide Scipion. Rouitum super dicta pragmatica, num. 3.

26 Secundò notandum est, quod instrumentum censuale habet exequutionem paratam, & promptam pro tertijs, etiam si prolapsi fuerint viginti anni à die natæ actionis; secus si produceretur per viam

liquidationis secundùm formam Ritus, 166. Magnæ Curiæ; quia quotiescumque à die natæ actionis in instrumento elapsi sunt anni viginti, debet contra debitorem procedi via ordinaria per Rit. 167. Magnæ Curiæ, & ibi Carauit. num. 1. & Foller. loco citato, num. 37. & sic etiam in obligationibus stipulatis penes acta Curiæ, quæ si sunt elapsi decem anni à die natiuitatis actionis, non habent exequutionem paratam, Carauit. in Ritu magnæ Curiæ, 128. num. 4. & istud tempus viginti annorum in instrumentis, & decem in obligationibus penès acta Curiæ intelligitur à die promissæ solutionis, non autem à die celebrati instrumenti, vel stipulatæ obligationis; quia licèt sit controuersia inter glos. Bart. & Cyn. vt dicit idem Bart. in l. stipulationes non diuiduntur, ff. de verb. oblgat. quando est facta promissio ad certam diem, an actio statim oriatur, vel adueniente die solutionis, tamen omnes concludunt, quòd actio nascitur adueniente die solutionis; vnde cum Ritus prædictus 167. magnæ Curiæ decursu viginti annorum à die natæ actionis disponat, intelligi debet à die primo, quo cum effectu nata est actio, idest à die promissionis solutionis, Vinc. de Franch. decis. 341.

27 Tertiò notandum est, quod si Capitulum alicuius Ecclesię habeat libros, in quibus sunt descripti omnes census, & redditus ipsius Capituli sine alia causæ expressione, nisi quod talis domus, vinea, & fundus est redditius Capitulo in tot ducatos, vel carolenos, quod dicti libri probant, si vigore dictorum librorum Capitulum solitum fuit exigere census in eis descriptos, & dummodò dicti libri conseruentur in Archiuio Capituli cum alijs scripturis, cap. ad audientiam, & ibi glos. in verb. censualem, & Abb. num. 4. de præscript. vbi Additio allegat eundem Abbat. in cons. 67. Bart. in l. 1. ff. si cert. petat. Roman. cons. 127. etiam si dicti libri non essent scripti manu publici notarij, probant; quia censentur scripti de voluntate censuariorum, ita singulariter Anchar. cons. 44. Felin. in dicto cap. ad audientiam. Marant. cons. 40. num. 5. & tantò magis, quando interuenit præstatio census diuturna, scilicet per decem annos, prout intelligit Bart. in l. 1. ff. de aqu. pluu. arcen. & roboratum est per optimum dictum, Bal. in l. si certis annis, C. de pact. vbi facit differentiam inter iura personalia, & realia; nam personalia non acquiruntur solo tempore, sed realia sic absque allegatione tituli, l. si quis diuturno, ff. si seruit. vendat. & subdit, quod præstatio census est ius reale, & competit petitorium, & possessorium, cap. querelam, de elect. & cum census sit ius reale ex solo cursu decennij præscribitur absque titulo, sicut alia iura realia, Bal. in l. 2. C. de seruit. Bart. in dicta l. 1. §. denique ff. de

aqu.

aqu. plu.arc.& est tex. in dicta l. si quis diuturno, ff. si seruit. vend.

28 Quartò est notandum, quod Romæ solet fieri quidam census, qui dicitur in societate super officijs, ad rationem duodecim pro quolibet centenario; & volui hic inserere formam contractus, ex qua colligitur modus contrahendi super huiusmodi constitutione census; forma autem est, vt sequitur videlicet.

In nomine Domini, Amen. Per præsens publicum instrumentum, &c. in mei Notarij, &c. personaliter constituti Petrus N. sacri Palatij Apostolici causarum Notarius ex vna, & Iacobus N. ex altera parte, &c. inierunt inter se societatem super dicto officio Notariatus, quam tenere, & durare voluerunt ad sex menses proximè venturos, & deinde ad beneplacitum ambarum partium, cum disdicta, & intimatione quindecim dierum præcedente, quæ fieri possit domi dimissa copia, in qua societate dictus Iacobus posuit scuta ducentum auri in auro, quæ Dominus Petrus ab eodem Iacobo præsente in mei Notarij, &c. præsentia in promptu,& numerata pecunia recepit, & ad se traxit, de quibus, &c. exceptioni, &c. & illa restituere promisit eidem Iacobo præsenti; &c. seù cui ipse Iacobus cesserit, in simili specie statim finita præsenti societate absque exceptione, & illa durante facere participem dictum Iacobum in fructibus ordinarijs,& extra ordinarijs dicti officij pro rata parte, quam partem propter incertitudinem fructuum, & fastidia computorum, quæ desuper oriri, & esse possunt, dictus Iacobus conduxit ab eodem Petro ad rationem scutorum duodecim similium pro quolibet centenario in anno, quæ solui debeant de semestri in semestrem, & in principio cuiuslibet semestris; & sint libera, & exempta ab omni onere ordinario, & extraordinario, decima, subsidio, impositione, quauis authoritate imposita, & imponenda, etiam in euentu belli, pestis, obitus Pontificis, etiam ipso Domino Petro officium ammittente, seu dimittente, & quoscumque alios casus, & euentus, qui esse possunt, cum pacto, quod dicta scuta duodecim similia semper currant, & debeantur ad eandem rationem, etiam in omnes dictos euentus, ac post finitam, seu disdictam societatem vsque ad integram, & realem dictorum scutorum ducentorum restitutionem loco damnorum, & interesse, quæ ad tantundem dicti contrahentes extimauerunt, & taxarunt. Super morte autem conuenerunt, quod moriente dicto Domino Iacobo ante dominum Petrum durante societate huiusmodi; morte tamen naturali, non violenta, non vi, ferro, nec veneno, seu alitercumque inflicta ab homine violenter, quod dictus Petrus lucretur dicta scuta ducenta, & teneatur tantùm ad solutionem fructuum decursorum

rum

rum non solutorum. In omnes autem alios casus, & euentus idem Petrus teneatur ad dictorum scutorum ducentorum solutionem, & restitutionem, & dictus Iacobus sponte confessus fuit habuisse dictã ratam conductam, seu fructus primi semestris ab eodem Domino Petro, de quibus, &c. Vlterius conuenerunt, quod dictus Dominus Iacobus possit nominare aliam personam, & in eam periculum mortis, ac dicta scuta ducentum, cum omni iure, quod habet virtute præsentis obligationis, & instrumenti, tam coniunctim, quàm diuisim, dictamque pecunias in totum, seu in partem arbitrio suo transferre, & se totum, vel in partem excludere, quæ persona possit, & valeat vti præsenti instrumento, & contra quoscumque illius virtute agere, & experiri in iudicio, & extra in omnibus, & per omnia, prout ipse Iacobus posset, si illam nominasset; adiecto pacto, quod dictus Iacobus teneatur eandem nominationem, & translationem intimare, & viuere per decem dies post factam intimationem, quæ etiam valeat domi dimissa copia; & idem Petrus dare promisit in fideiussorem huic societati, qui personaliter accedant Dominos N. & N. licet absentes, me Notario, &c. indemnes releuare promisit, & promisit, quod moriente, seu conditionem deteriorante vno, seu quolibet ipsorum dare alium, seu alios, æquè idoneos, qui eodem modo accedant: aliàs voluerunt dicti contrahentes, quod dictus Petrus teneatur ad restitutionem, & solutionem omnium, & quorumcumque ea, quæ tenerentur, si societas esset finita præsentibus, &c.

Iste contractus societatis super officijs, an possit iustificari, quod habens officium accipiat aliquam quantitatem pecuniæ ab aliquo, faciatque eum participem fructuum sui officij, & propter dictorum fructuum incertitudinem, & fastidia computorum euitanda, obligatur soluere duodecim pro centum, eo pacto, vt pecunia sit semper salua, & absque periculo, dum viuit, & quòd possit discedere à contractu, & repetere pecuniam singulis semestribus dum viuit, & quod si moriatur, antequam discedat à societate, tota pecunia sit officialis, est videndus Nauar. in cons. 29. de vsur. vbi dicit, quod iste contractus, nec ratione emptionis, vel venditionis, quæ in dicto contractu non reperitur, nec ratione mutui; quia mutuans nihil vltra sortem capere potest, cap. 1. 14. q. 3. cap. consuluit, de vsur. nec sola ratione societatis: eo quòd ad iustitiam societatis requiritur, vt omnes participent de lucro, & de damno, quod in dicto contractu non videtur fieri, nec ratione census; quia pecunia data non potest repeti, nisi de voluntate censuarij; & concludit, quod ex eo solo potest iustificari, quòd dans pecuniam in societate subit periculum perdendi sortem, si moria-

moriatur, antequam discedat à societate; & sic ratione periculi, quod subdit in vtilitatem socij potest fieri iste contractus.

29 Quintò notandum est, quòd instrumentum, in quo asseritur fundum, qui venditur, permutatur, vel quomodolibet alienatur, seu donatur, esse francum, & liberum ab omni onere census, non præiudicat censuario, qui habet censum, glos. Bart. Bald. & communiter Doctores in l. cum aliquibus, C. de iur. delib. & l. optimam, C. de contrah. & committ. stipulat. & per tot. C. res inter ali. act. Marant. cons.
† 93. num. 14. Mastrill. decis. 171. imò possessor fundi censui subiecti tenetur soluere census præteritos non exactos, cum regressu tamen contra authorem, à quo causam habuit, Alex. cons. 4. vol. 5. & Afflict. decis. 95.

30 Sextò notandum est, quod impositio census æquiparatur alienationi; vnde qui non potest alienare, nec etiam potest censum imponere, l. iubemus la 2. §. scientes, C. de sacros. Eccles. Abb. in cap. si-
† gnificasti, de censib. Marant. in cons. 107. num. 12. Ricc. in collect. decis. 2928. p. 7. fol. 191.

31 Et demum notandum est, quod si per apochas constiterit censum fuisse solutum per tres annos proximè decursos, antequam conueniretur, præsumitur fuisse factam solutionem pro præteritis annis, l. qui-
32 cumque C. de apoch. public. lib. 10. Vinc. de Franch. decis. 137. & nota etiam, quod emptor census non solùm pro sorte principali: sed etiam pro tertijs præfertur posterioribus creditoribus; quia in illis quoque habet anteriorem hypotecam, vt est tex. & ibi glos. & Bart. in l. lucius, ff. qui pot. in pign. habeant. Neguс. de pignor. membr. 2.
33 quintæ partis, num. 10. Non omittam dicere, quod si domus aliqua est subiecta censui, non potest discooperiri ob non solutionem census, ne deformetur ciuitas ruinis, l. fin. ff. ne quid in loc. publ. & not. per Angel. & Doctores in l. cætera, §. hoc Senatus, ff. de legat. l. quia interest Reipublicæ, ne ædificia destruantur, Bart. in l. mutum,
34 §. fin. ff. de legat. 3. Ferret. in tract. de gabell. num. 287. sicut similiter non potest creditor virtute sententiæ contra debitorem, iux. not. in l. à diuo Pio, §. in venditione, ff. de re iudic. capere pro exequutione tegulas, vel cuppos, vt est tex. in dicto §. hoc Senatus, Cæpoll. in tract. de seruit. vrb. præd. capit. 14. num. 9.

CAP.

CAPVT XX.

De liquidatione instrumentorum, & obligationibus penes acta Curiæ Episcopalis.

SVMMARIVM.

1 *Ritus Magnæ Curiæ Vicariæ de liquidatione instrumentorum an sit seruandus in Curijs Ecclesiasticis.*
2 *Clericorum causæ secundum ius canonicum, & non statuta laicorum sunt decidendæ.*
3 *Obseruantia habet vim consuetudinis.*
4 *Curia Ecclesiastica tenetur obseruare omnes qualitates statuti laicalis, si eo vtitur.*
5 *Instrumentum præsentandum secundum formam Ritus debet esse liquidum, non indigens aliqua probatione extrinseca.*
6 *Instrumentum non potest præsentari, & liquidari si sunt elapsi viginti anni à die natæ actionis.*
7 *Instrumentum continens debitum infra vnciam non potest liquidari.*
8 *Instrumentum continens debitum vltra libram auri debet esse subscriptum à iudice, & testibus.*
9 *Libra auri quot ducatis constat.*
10 *Creditor debet comparere personaliter in curia ad faciendam liquidationem.*
11 *Præuentionem faciens clericus tenetur præstare cautionem de soluendo debitum, & penam.*
12 *Exceptio nullitatis opposita contra instrumentum debet probari in promptu.*
13 *Clericus non tenetur, nisi in quantum facere potest.*
14 *Clericus an possit carcerari, pro debito iuratur.*
15 *Clericus si est obligatus in forma Cameræ Apostolicæ, non potest cogi per Episcopum ad soluendum.*
16 *Instrumentum an possit liquidari contra clericum coniugatum in Curia Episcopali.*
17 *Liquidatio instrumentorum est criminalis.*
18 *Obligatio stipulata penes acta Curiæ die feriato an valeat.*
19 *Instrumentum etiam quòd non contineat pactum exequutiuum, potest liquidari.*
20 *Filius an possit liquidare instrumentum contra patrem.*
21 *Instrumentum locationis territorij pro certa summa promissa, reseruata tamen mensura per compassum, an possit liquidari.*
22 *Instrumentum illiquidum an possit liquidari per apocam Banci.*

Matri-

23 *Matrimonium an probetur per librum Parochi.*
24 *Sententia liquidationis instrumenti sicut habet exequutionem paratam non obstante appellatione, sic reuocata.*
25 *Praeuentioni renuntians cum iuramento, si est absolutus à dicto iuramento, an possit impedire liquidationem.*
26 *Clericus si est creditor laici, & à debitore est facienda praeuentio, coram quo iudice fieri debeat.*

1 CVm in Regno sit Ritus magnæ Curiæ Vicariæ 166. qui incipit, *Item si qui debitores;* quo omnes Curiæ Sęculares vtuntur, fuit aliquando dubitatum, an prædictus Ritus possit, & debeat obseruari etiam in Curijs Ecclesiasticis; ita vt contra clericum possit præsentari instrumentum, & liquidari iuxta formam dicti Ritus? & videbatur dicendum, non posse, per doctrinam Felin. & Abb. in cap. Ecclesia sanctæ Mariæ de constit. Alber. Oliu. in Rit. 22. Curiæ Archiep. Neapolit. in verb. excepto iure congrui, qui expresè hoc te-
2 net; quia causæ clericorum secundum ius canonicum, & non secundum statuta laicorum sunt decidendæ, & terminandæ, cap. quod clericis, de for. compet. & ibi Abb. verumtamen in defectu iuris canonici recurrendum est ad ius ciuile, Abb. & communiter Doctores in cap. 1. de nou. oper. nunt. cap. si in adiutorium, dist. 10. cap. vt lex continentiæ, 27. q. 1. & ibi Archid. & Præposit. Felin. latè in dicto cap. Ecclesia sanctæ Mariæ, num. 67. Carol. de Grass. de effect. cleric. effect. 2. num. 264. Sed Bart. in l. cunctos populos, C. de summ. Trinit. & fid. Cathol. dicit, quòd stante statuto, vt instrumenta laicorum habeant exequutionem paratam, potest tale statutum seruari in foro Ecclesiastico, quæ opinio Bart. licèt sit communiter reprobata, vt dicit Viu. decis. 326. num. 3. tamen in quam pluribus Curijs Ecclesiasticis seruatur dictus Ritus, quæ obseruantia habet vim con-
3 suetudinis, quæ legem imitatur, §. ex non scripto Instit. de iur. nat. gent. & ciuil. Doctores in l. de quibus, ff. de legib. nec obstat tex. in d. cap. quod clericis; quia eius dispositio est specialis, & localis, vt dicit glos. ibidem, in verb. aliquos.

4 Sed notandum est, quòd Curiæ Ecclesiasticæ, in quibus obseruatur prędictus Ritus tenentur obseruare omnes qualitates ipsius Ritus, Bal. in l. omni nouatione, C. de contrah. empt. & l. de quibus, ff. de legib. Dec. cons. 132. num. 8. & in cap. Ecclesia sanctæ Mariæ, de
5 const. & sic sunt obseruandæ omnes qualitates ipsius, scilicet vt Instrumentum præsentandum sit liquidum, non indigens aliqua probatione externa, Bart. in l. creditores, C. de pign. Franc. Ant. de iudic.

dic. in pract. liquid. instr. consid. 3. vel si non sit liquidum de per se, possit tamen per aliud liquidari, vt per Rit. 167. Bart. in l. proinde, §. notandum, ff. ad leg. aquil. & quod sit appos. iuramentum, & quod sit stipulatum de facie ad faciem, Affl. dec. 64.

6 Item quòd instrumentum non excedat viginti annos à die natæ actionis, & obligationes penes acta Curiæ decem annos, Carauit. in Rit. 128. num. 5. & similia congerit, Bart. in l. planè, ff quod fall. tutor. idest a die promissionis solutionis, quo nata est actio, Vinc. de Franch. decis. 341. verùm si infra dictum tempus fuerit expedita citatio contra debitorem, quæ non sit circumducta, posset instrumen-
7 tum præsentari; quia dicitur interrupta præscriptio, Ias. in §. pœna-
† les, num. 128. & 130. Instit. de act. Nouarius de elect. fori q. 42. numer. 10. fol. 294. Item Instrumentum debet continere debitum vltra vnciam, quæ constat ex sex ducatis, vt in Rit. 187. incipien. *Item quæcumque*, & ibi Carauit. qui limitat non procedere, si quantitas infra vnciam esset ex ressiduo maioris summæ; quia eo casu instrumentum
8 potest præsentari, & exequi ad formam Ritus. Item instrumentum excedens libram auri, vt possit præsentari, debet esse subscriptum à Iudice ad contractus, & à tribus testibus litteratis; infra verò dictam summam à Iudice ad contractus, & à duobus testibus litteratis, aliàs si essent idiotæ, qui fecissent signum crucis, & contractus esset celebratus in loco, vbi adest copia litteratorum, non posset præsentari, secus si non adesset copia litteratorum; & si est dubium, prouidetur auditis partibus, quæ omnia habentur in Constitut. Regni incipien. *Instrumentorum robur*, vbi Afflict. num. 4. & Luc. de Penn. in l. nulli, §. omnia, C. de num. in verb. mentionem, lib. 12. Franc. Anton. de Iudic. in pract. liquidat. instrum. considerat. 1. num. 14. & nota, quòd
9 ducati septuaginta faciunt libram auri, l. quotiescumq; C. de suscept. præp. & arch. lib. 10. Alber. Oliu. in Rit. 25. Cur. Archiep. Neap.
10 glos. 2. num. 2. sed ad constituendum libram regalem auri, requirun-
† tur ducati octuaginta sex, Oliu. loco cit. de Franchis decis. 676. fol. 148. à terg. Item requiritur, quod personaliter creditor comparere debeat in curia ad faciendam liquidationem, etiam si esset carceratus; quia de licentia debet adire Curiam, vel si esset infirmus debet in sede asportari, vel de licentia Curiæ debet actuarius accedere ad
11 domum infirmi ad faciendam liquidationem, Franc. Anton. de Iudic. considerat. 3. num. 7. Item si clericus obligatus vellet facere præuentionem, tenetur adimplere omnia, quæ sunt necessaria circa præuentionem faciendam iuxta pragmaticam sanctionem, quæ incipit, *Malitijs litigantium, & antiquam*, faciat citare suum creditorem pro cassando

sando instrumento, vel super aliqua alia exceptione opponenda debet prestare cautionem de comparendo personaliter tempore publicationis faciendæ in causa præuentionis, & de soluendo debitum, & pęnam, quæ est ducatorum sexaginta in casu succumbentiæ; & sic concludendum est, quod si Curia Episcopalis vtitur dicto Ritu, debet seruare dictas, & alias qualitates,& conditiones concernentes,& spectantes ad dictum Ritum.

12 Secundò notandum est, quòd dictus Ritus magnæ Curiæ Vicarię de liquidatione instrumentorum, procedit solùm contra principalem debitorem obligatum ex contractu valido; quia tunc non auditur, nisi in vinculis, vel facto deposito, si vult se defendere ope alicuius exceptionis; sed quando non per exceptionem venit contra contractum, sed petit declarari nullum, tunc Ritus non habet locum, Andr.Molfes. ad Comment.consuetud. Neapol.tom.2. consf.22. nu. 34. quod intelligitur, si exceptio nullitatis, simulationis, falsitatis, & huiusmodi in promptu pateat, vt per Dec.in cap. ex parte il 2. de offic. delegat. Cagnol.in l.in testamentis, numer.11.ff. de regul. iur. Gramat. consil.ciuil.66. Carauit. super d.Rit.166. num.58. & 59.

13 Tertiò notandum est, quòd quamuis clericus non teneatur, nisi in quantum facere potest, gloss. Bart. & alij in l.miles, vbi Ias. & Rip.ff. de re iud. glos. in cap.studeat, dist.50. Felin.in cap. cum ex officij, de præscript. Couar. var. resolut. lib.2. cap.1. num.9. Abb. Anchar. in cap.Odoardus, de solut.Franch. in cap.si clericos, de sent. excomm. lib.6. Farinac.tit. de carcer.q.27. num.65. & ideò non potest pro debito ciuili cogi, carcerari, vel excommunicari, dicto cap.Odoardus:

14 tamen pro debito iurato secundum aliquos non potest gaudere beneficio dicti cap. Odoardus, & potest carcerari, Afflict. in Constit. Regn. si quis clericus, tit.de Episcop. & cler. & ibi Foller. & in tract. de censib. in verb. huiusmodi census, n.9.Gomes. in compend.vtriusque signaturę, col. fin. & alijs, contrarium tenuerunt nonnulli alij, quòd pro debito ciuili iurato poterit clericus iuuari beneficio dicti cap.Odoardus, Couar. var. resolut.cap.1. nu.9. Io. Guttier. in tract. de contract. iurat. part.1.cap.17. num.36. & alij allegati per Carol. de Grass. de effect. cler. effect.7. num.19. sed Farinac. tit. de carcer. quæst.27. num.70. tenet, quod clericus pro debito iurato non gaudet beneficio dicti cap. Odoardus; & dicit, quod ita obseruatur in practica, sed loquitur de obligationibus in forma Cameræ Apostolicæ. Quid dicendum? Ego in ea sum opinione, quòd iuramentum obstat clerico debitori cum iuramento; sed remedium est, quòd primò se carceribus mancipet, & petat absolutionem à iuramento, qua abso-

absolutione obtenta, potest instare pro beneficio, d.cap. Odoardus, quia si à principio opponeret de priuilegio dicti cap. Odoardus, incideret in periurium, cap.querelam, de iureiur.& non esset audiendus; quia periurium est graue peccatum, cap. hoc videtur, 22. q. 8. & iudex Ecclesiasticus debet concedere dictam absolutionem, etiam si clericus in specie renuntiasset cum iuramento beneficio dicti cap. Odoardus, Felin.in cap.1. nu.22. de iureiur. Couar. var. resolut.cap.4. num.5. lib.1. Crauet.cons.192. num.2. lib. 1. Roland. à Val. cons.7. num.50. Natt.cons.497. num.1. lib.3. Carol.de Grass.de effect.cler. effect.7. num.22. & seq. qui multos allegat.

15 Quartò est notandum, quòd si clericus est obligatus per instrumentum, vel penes acta Curiæ Episcopalis in forma Cameræ Apostolicæ, non potest per Curiam Episcopalem cogi ad soluendum; quia in causa dictæ obligationis Episcopus, eiusque Curia non potest se intromittere, sed creditor tenetur adire Auditorem Cameræ Apostolicæ, eiusque tribunal in alma Vrbe, qui solus est iudex competens dictarum obligationum in forma Cameræ Apostolicæ, vigore amplissimorum priuilegiorum Auditoribus Cameræ concessorum per diuersos Summos Pontifices, qui Auditor procedit contra obligatos in forma Cameræ, & excommunicat recusantes soluere, in quibus concessionibus priuilegiorum leguntur hæc verba videlicet: Ac de omnibus, & singulis obligationibus in forma Cameræ vbiuis locorum, & inter quascumque personas factis, & faciendis,&c. Et sequitur: Ita vt quascumque causas, quæ de cętero perpetuis futuris temporibus in eadem Curia super ipsis obligationibus, alijsque omnibus prædictis in alio,quam præfati Auditoris tribunali, Præter quam in vim specialis commissionis nostræ de dicti obligationibus specialem mentionem facientis motæ fuerint, &c. & sequitur: Inhibendo omnibus, & quibuscumque iudicibus, tàm Ecclesiasticis, quàm sęcularibus, ne in exequutionibus, & processibus dictarum obligationum sub censuris, & pœnis, & priuationis officiorum directè, vel indirectè se intromittere præsumant, quicquid secus super his contingerit attentari irritum, & inane decernendo. Hæc in dictis facultatibus à Summis Pontificibus concessis Auditoribus Cameræ Apostolicæ.

16 Sed quæro primò, an possit liquidari instrumentum contra clericum coniugatum in Curia Ecclesiastica? Respond. quòd videtur dicendum, non posse, sed debere præsentari in Curia sæculari, cum tractetur de debito; cuius actio est ciuilis, & pro causis ciuilibus clericus coniugatus est conueniendus coram iudice sęculari, cap. vnic. de cleric. coniugat.lib.6. vbi Io. Andr. & omnes, Abb. in cap. Ioannes,

nes, num.3. de cleric. coniugat. & cap.2. de for.compet.Dec.in cap. at si clerici, num.151. de iudic. Syluest. in verb. clericus 1. quæst.6. Tabien.in verb. cleric.5. & verb. excomm.5. cas.1. num.27. Couar. † pract. quæst. cap.31. num.7. Capiblanc. de Canon. pragm.8. p.3. fol.307. de Marinis quotid. resol.cap.58. fol.89. num.10. Danza tit. de Clericis coniugatis fol.222. cum seq. & est communis opinio.

18 Secundò quæro, an valeat obligatio penes acta Curiæ stipulata die festiuo, & feriato ad honorem Dei, & habeat exequutionem paratam? Resp. affirmatiuè; quia est actus iurisdictionis voluntariȩ per notat. in glos. in authent. generaliter, C. de Episcop. & de cleric. & per Canonistas in cap. si quando, de offic.delegat. Vin. decis.35. Carauit. in Rit. magnæ Curiæ Vicariæ, 128. num.14. sed cum licentia obtinenda à iudice Ecclesiastico, ob iuramentum, quod præstatur in talibus obligationibus, cap.1. de ferijs.

19 Tertiò quæro, an Instrumentum possit liquidari secundum formam Ritus, etiam quòd non contineat pactum exequutiuum, vt sunt Instrumenta matrimonialia? Resp. affirmatiuè; nam isti Ritus in Regno faciunt ius commune, & submissio, quam faciunt contrahentes non est de necessitate, sed ad maiorem cautelam, Vinc. de Franch. decis.366. num.15.

20 Quartò quæro, an filiusfamilias possit incusare, & liquidare instrumentum contra patrem? Respons. negatiuè, quia filius non potest incusare criminaliter eius patrem, Vinc. de Franch. decis.162. vbi dicit, quod hæc quȩstio non fuit decisa in Consilio; quia partes transegerunt, tamen ex claris rationibus, quas adducit, non videtur dubitandum filium non posse accusare patrem via Ritus, & quamuis in fine alterius, decis.366. dicat, quòd vnus ex Consiliarijs dixit se vidisse liquidari instrumentum per D. Carolum de Auolos contra eius matrem, tamen casus est diuersus; nam mater non habet filios in potestate, nisi sit tutrix, vel auia tutrix similiter; quia tunc ipsa tutrix dicitur habere filium, vel nepotem sub sua potestate cap. ex parte il 2. cum glos. in verb. sub potestate, de appellat. sed in fine dictæ decis. 366. concluditur, non posse filium liquidare contra patrem; sed generum benè contra socerum.

21 Quartò, an instrumentum locationis territorij, in quo facta est promissio certæ summæ, seruata mensura facienda per compassum possit liquidari secundum formam dicti Ritus? Pro ista quæstione vide Vinc. de Franch. decis.292. vbi proposito tali casu in sacro Consilio, die 16. Decembris 1582. fuit decisum instrumentum prædictum esse illiquidum, & non posse præsentari via Ritus: & subiungit au-

thor, quòd est cogitandum, quia saltem deberet liquidari pro summa certa promissa ex multis Doctoribus, quos allegat, sed cum iterum idem casus accidisset in quadam causa Ducis Seminariæ cum aurigis Ciuitatis Neapolis, fuit die 12. Decembris 1589. decisum ad fauorem creditoris, quod possit liquidari pro illa certa summa promissa.

22 Sextò quæro, ex quo instrumentum quando illiquidum per se potest liquidari per aliud instrumentum, vt per Bart. in l. proinde, §. notandum, ff. ad leg. aquil. & per Rit. magnæ Cur. 167. an possit liquidari per partitam banci publici? Resp. affirmatiuè; quia apocha, seu partita banci publici probat, & litteris Bancheriorum creditur, l. prætor ait, l. quædam, §. nummularios, ff. de edend. vbi habetur, quod libris argentariorum, & nummulariorum adhibetur fides, dummodo sint approbati à publico, vt in Regno; & ita prouisum est per D. Petrum Giron Proregem per suam pragmaticam, vide Scipionem Rouitum super pragmatica *De his, qui petunt debitum aliàs satisfactum*. Idem dicendum est de instrumento dotis, quòd si in eo non

23 constat de matrimonio contracto, non solùm potest liquidari per aliud instrumentum, sed per fidem Parochi, qui est persona publica, & in dignitate constitutus: & eius liber non est scriptura priuata, sed legalis, & facit plenam fidem in iudicio circa matrimonium, & baptismum; vt apertissimè sancitum est in Concilio Trident. sess. 24. cap. 1. de reformat. matrim. vbi dicitur: Habeat Parochus librum, in quo coniugum, & testium nomina, diemque, & locum contracti matrimonij describat, quem apud se diligenter custodiat. Hæc ibi. Ratio est, quia libro deputato à publico plenè creditur, vt supra: sicut videmus libros mercatorum facere plenam fidem, quando à statuto approbantur, Viu. commun. opin. in verb. statutum, & decis. 415. & cum libri Parochorum approbentur à Cócilio Triden. plenè probant Mascard. de probat. conclus. 763. num. 8. & ita fuisse decisum per Rotam Romanam dicit Ricc. decis. 240.

24 Septimò quæro de quodam casu. Quidam fuit citatus super tenore instrumenti, & fuit contra eum liquidatum, à qua liquidatione appellauit; qua appellatione non obstante fuit facta exequutio, sed per iudicem appellationis fuit declaratam nullam liquidationem, & per creditorem fuit appellatum à dicta declaratione, quæritur an sit restituenda exequutio pendente vltima appellatione? Resp. affirmatiuè; quia sicut primum decretum liquidationis fuit mandatum exequutioni, non obstante appellatione ex dispositione Ritus, ita vltimum decretum exequendum est non obstante appellatione, Vinc. de † Franch. decis. 136. & decis. 288. Giurba decis. 49. numer. 11. cum seqq.

seqq. idem in decis. 89. num. 1.

15 Octauo quæro, an renuntians cum iuramento præuentionem, si est absolutus à dicto iuramento possit impedire liquidationem instrumenti? Resp. negatiuè, Frecc. de liquidat. instrum. part. 3. q. 1. Carauit. Rit. 168. num. 1. & habet locum tam in instrumentis, quàm in obligationibus penes acta; & ita pluries fuit decisum per sacrum Concilium, Vinc. de Franch. decis. 670.

16 Nonò quæro, si laicus est debitor clerici, qui vellet clericum præuenire, vel facere depositum, coram quo iudice, præuentio, vel depositum fieri debeat? Resp. quòd qui præuenit, prouocat ad iudicium petendo cassari instrumentum, & venit necessario ad iudicium, ne molestetur; & sic est reus necessarius, & non actor voluntarius; quo casu debet attendi origo causæ naturalis, & non accidentalis, vt dicunt Doctores in l. diffamari, C. de ingen. & manumiss. & consequenter causa debet agitari coram iudice diffamantis, & præuenientis, ac volentis facere depositum, coram quo præueniens esset conueniendus, Alex. cons. 103. vol. 5. Abb. & Felin. in cap. si quis contra clericum de for. compet. Cardinal. Tusch. pract. conclus. tom. 1. conclus. 386. & hanc esse communiorem opinionem testatur Cagnol. in repet. dictæ l. diffamari. Sed in Regno habemus Ritum Magnæ Curiæ Vicariæ 190. incip. In primis per quem disponitur præuentionem esse faciendam coram iudice præueniendi, & diffamati, & coram iudice Ecclesiastico, Carau. in d. Rit. n. 2. vers. tertio nota, Afflict. decis. 268. in qua dicit, quòd prouocans est actor, etiam ex causa voluntaria, Vinc. de Franch. decis. 657. Marant. part. 4. dist. 21. nu. 219. & in tract. de multip. alienat. num. 350. Capyc. decis. 18.

CAPVT XXI.

De Appellationibus.

SVMMARIVM.

1 *Appellans de iure canonico quantum temporis spatium habet ad prosequendam appellationem.*

2 *Iudex Ecclesiasticus debet statuere terminum competentem appellanti.*

3 *Appellari potest à nimia breuitate termini statuti ad prosequendam appellationem.*

4 *Appellans de iure Regni habet spatium quinquaginta dierum ad præsentandum processum iudici ad quem.*

5 Iudex in quibus casibus tenetur deferre appellationi.
6 Appellatio friuola non admittitur, & quæ appellatio sit friuola.
7 Appellatio de iure Concilij Trident. quando admittatur.
8 Appellatio deuolutiua tantùm, & non suspensiua admittitur à sententia priuatiua beneficij.
9 Appellatio an admittatur à decretis visitationis.
10 Appellari an possit ab indebita carceratione.
11 Carcer semper grauat.
12 Concilij Triden. intentio non fuit, vt subditi infra biennium grauentur.
13 Carcer infamat, & est ignominiosus.
14 Carceratio indebita quibus modis dicatur.
15 Episcopus si protrahit expedire causam, an Metropolitanus possit illam ad se aduocare.
16 Episcopi, & alij iudices Ecclesiastici carcerantes clericos sine legitima causa, sunt excommunicati.
17 Clerici, & maximè sacerdotes, & in dignitate constituti sunt detinendi in carcere decenti.
18 Iudex appellationis ab indebita carceratione, vel alio grauamine an possit cognoscere de negotio principali.
19 Delegatus non potest cognoscere, nisi de grauamine, à quo est appellatum.
20 Intellectus cap. vt debitus honor de appellat.
21 Causa grauaminis non solet committi à Sede Apostolica, nisi cum negotio principali.
22 Appellatio à decreto de torquendo an sit admittenda.
23 Inhibitio, etiam si appellatio sit euidenter friuola, ligat manus iudicis à quo.
24 Practica Marantæ de torquendo reum in loco torturæ non obstante appellatione, an sit admittenda.
25 Appellatio à decreto torturæ deuoluit totam causam ad iudicem, ad quem.
26 Appellans à sententia diffinitiua si reperiatur carceratus, an debeat remanere in carceribus.
27 Appellari non potest à sententia Vicarij generalis ad Episcopum.
28 Appellari an possit ad Episcopum à sententia delegati per eundem Episcopum.
29 Episcopus non potest delegare causas malitiosè in fraudem appellationis.
30 Appellari potest ad Papam omisso medio.
31 Causa instructa, quando dicatur.
32 Carceratus etiam si se examinare permittat, non dicitur consentire in iudicem.
33 Clausula vocatis vocandis, & amoto detentore quid importent.
34 Clausula non obstantibus præmissis, ac felic. recordat. Bonifacij VIII. de vna, & Concilij generalis de duabus dictis, quid importet.
35 Inhibitio antequam per Metropolitanum decernatur, multa scrutanda sunt.
36 Iudices delegati statim inhibent iuxta formam delegationis.

Clan-

1 APpellans de iure Canonico in Curijs Ecclesiasticis obseruare tenetur tex. in cap. cum sit Romana, & cap. personas, de appellat. vbi datur annus, & ex causa biennium appellanti ad se præ-
2 sentandum conspectui Apostolico, & ad prosequendum appellationem interpositam; potest tamen iudex à quo breuiare, & restringere tempus, vt in dicto cap. cum sit Romana, qui iudex debet moderare terminum secundum distantiam locorum, & temporis qualitatem,
3 Abb. in dicto cap. cum sit Romana, num. 15. & in cap. cum speciali, §. porrò num. 2. & cap. ad hæc, de appellat. & si iudex malè arbitrabitur, nimis restringendo, vel multum ampliando, pars grauata poterit appellare; quia à commissis iudicis arbitrio potest appellari, glos. in cap. super, in verb. arbitrium de accusat. probatur in cap. 1. de dilat. Bart. in l. si qua pœna, ff. de verb. sign. Abb. in dicto cap. cum sit Romana, & in omnibus Curijs Ecclesiasticis pro Apostolis, quos petunt appellantes obseruatur, quòd datur copia sententiæ.

4 De iure verò Regni appellans habet spatium quinquaginta dierum post appellationem interpositam ad petendum Apostolos, illos præsentandi iudici, ad quem vnà cum processu per Constitut. quæ incipit, *Appellationum tempora*, & per Ritum magnæ Curiæ Vicariæ 260. qui incipit, *Item seruat ipsa magna Curia*, Marant. part.6. actu 2. num.228. & sic in Regno est correcta, l. iudicibus, de appellat. vbi dantur triginta dies ad petendum, & recipiendos Apostolos.

5 Sed quæro, in quibus casibus iudex teneatur deferre appellationi? Resp. quòd regulariter in omnibus, in quibus appellatur legitimè, &
6 de iure non reperitur prohibita appellatio, vt si appellatio esset friuola, quæ non est admittenda, cap. cum appellationibus, de appellat. lib.6. Franch. in cap. personas extr. eod. Lancelott. de attent. limit. 6. cap.12. sed in hoc iudex cautè procedere debet, vt non admittat illam appellationem, quæ verè, & notoriè est friuola, aliàs tenetur illam admittere; sunt enim aliqui iudices, qui aut ex imperitia semper dicunt, appellatio non fuit admissa; quia friuola, aut ex malitia; nam conantur auferre remedium appellationis, quæ principaliter fuit inuenta ad coercendam iniquitatem, & imperitiam iudicis, l. 1. ff. de appellat. & est præsidium innocentiæ Concil. Trident. sess. 13. cap. 1. vndè notandum illam appellationem verè dici friuolam, quæ interponitur sine iusta, & legitima causa, vt quando appellans notoriè non est grauatus, Gemin. in dicto cap. cum appellationibus, immò semper appellatio est admittenda, etiam si dubitaretur an sit, vel ne friuola, est supersedendum in appellatione dubia, an sit friuola, ab exequutione, glos. in l. qui restituere, §. fin. ff. de rei vendic. Dec. in cap. cum sit Romana, de appellat. Ias. in l. preces, ff. de re iudic. Afflict. in Constitut. appellationum tempora, Lancelott. vbi supra.

7 Sed notandum est, quòd non admittitur appellatio in Curijs Ecclesiasticis nisi à diffinitiua, vel habente vim diffinitiuæ, vel à grauamine, quod reparari, vel tolli non posset per diffinitiuam, Concil. Trident. sess. 13. cap. 1. & sess. 24. cap. 20. de reformat. vndè ab interloquutorijs non appellatur, nisi ab habentibus vim diffinitiui: vt si iudex delegatus mediante decreto declarat se iudicem competentem; quia hoc decretum habet vim diffinitiui, Bal. in auth. habita, C. ne fil. pro patr. Nat. consf. 172. num. 1. Guid. Pap. decis. 10. Aloys. Ricc. in collectan. part. 4. collect. 1306. in princip. & non solùm quando expresè hoc declarat, sed etiam tacitè per processum ad vlteriora; sed intelligitur, quando profertur à Delegato, secus ab Ordinario, quo casu super incompetentia non habet vim diffinitiui. Roman.

man. consf.358. Bal. in cap. significantibus, numer. 1. de offic. delegat. Ricc. decis. 505.

8 Item notandum est, quòd non admittitur appellatio ad effectum suspensiuum à sententia priuatiua beneficij ob non residentiam, cap. relatum, & cap. conquerente, de cler. non resid. Concil. Trident. sess. 23. cap. 1. §. quod si per edictum de reformat. quod est verum, si sententia lata sit iuris ordine seruato; nam contra absentem requiritur trina citatio per publicum edictum in loco beneficij, cap. ex tuæ, de cler. non resid. & extat declaratio sacræ Congregationis Concilij Trident. de qua testatur Seraph. Oliuar. decis. 1446. requiritur etiam, vt expectetur per sex menses dicto cap. ex tuæ, nisi præcessisset citatio personalis; quia tunc Ordinarius etiam non expectatis sex mensibus potest procedere ad priuationem, Seraph. Oliuar. dicta decis.

9 Sed quæro, an possit appellari à decretis visitationis, ita vt suspendantur per appellationem? Resp. quòd sacra Congregatio Concilij Trident. in cap. 10. sess. 24. de reformat. pluries censuit, quòd si Episcopus procedit in visitatione quoad morum correctionem, non fabricato processu: tunc quia non potest imponere pœnam ordinariam, appellatio non suspendit, sed deuoluit causam ad superiorem; non enim sublata est appellatio deuolutiua per Concilium in dicto cap. 10. sed tantùm suspensiua, si verò procedit compilato processu ad pęnam ordinariam, & tunc appellatio suspendit, & deuoluit causam ad Superiorem.

10 Secundò quæro, an possit appellari ab indebita carceratione? Resp. affirmatiuè, quia carceratio continet grauamen irreparabile, quod per sententiam diffinitiuam reparari non potest, & appellari potest etiam post decem dies, Lancelott. de attent. par. 1. cap. 12. limitat. 50. num. 31. quia carceratio semper grauat, & habet actum
11 continuum, & successiuum, & iudex Ecclesiasticus non debet esse promptus ad carcerandum clericos: quia affert damnum irreparabile, Bal. in l. 1. C. de in integr. restit. Ias. in l. 4. §. condemnatum ff. de re iudic. & per sacram Congregationem Concilij Trident. fuit declaratum his verbis: An decretum sacri Concilij Trident. sess. 13. cap. 1. & sess. 24. cap. 20. de reformat. de grauamine quod per appellationem à diffinitiua reparari non potest intelligi possit, & debeat de grauamine indebitæ carcerationis? Sanctissimus D. N. audita relatione Congregationis declarauit ita esse intelligendum; & ideò ab huiusmodi grauamine appellari posse; & Ordinarium teneri huic appellationi deferre, & teneri, processum transmittere ad iudicem appellationis; interim tamen reo manente in carceribus, donec iu-

dex appellationis causa cognita aliud iusserit. Nec obstat, quòd Cõcilium dicta sess.24.cap.20. prohibeat causas in prima instantia auocari ab Ordinario ante biennium; tum quia carceratio est actus irre-
12 parabilis, vt supra: tum etiam quia intentio Concilij non fuit, vt per biennium clerici carceribus, & grauaminibus macerentur, vt quamplurimi iudices Ecclesiastici,(salua pace bonorum) faciunt, qui nullo habito respectu ad dignitatem Sacerdotalem, ad quam ipsi aliquando non reperiuntur promoti; sicut sunt nonnulli, qui in minoribus ordinibus constituti, Vicariatus officium ambiunt, & ex fauore consequuntur passim ex leuibus causis Sacerdotes carceribus mancipant, causasque non expediunt, munientes se clypeo biennij ad expediendas causas concessi: non considerantes, quòd dispositio Concilij intelligitur, dummodò non inferatur grauamen partibus; & ideò licitum est appellare ab indebita carceratione, & petere iustitiam de quocumque grauamine, Abb. in dicto cap. cum de appellationibus,
13 de appellat. quia carcer infamat, & est ignominiosus, Bal. in l. si clericus, C. de Episcop. de aud. & in l.1. C.de integr. restit.& licet carceratio possit per liberationem de futuro reuocari; non tamen potest reuocari de præterito, respectu præiudicij macerationis corporis, & ignominiæ, quæ honesto viro infertur, Abb. in cap. suscitata, de integr. restitut. Vestr. in prax. lib.8. cap.3. num.17. & non solùm lege humana, sed etiam naturali, & diuina contenta in octauo præcepto Decalogi prohibetur, ne quis proximum suum infamet, vel sit causa proximum infamandi: & eadem ratione debent iudices, & maximè Ecclesiastici abstinere à conijciendo carceribus viros honoratos, & maximè Sacerdotes, & de fuga non suspectos, donec iustam informationem de crimine habeant iuxtà doctrinam Salicet. in l. nullus, C. de exibend. reis, & latè tradita per Hippol. de Marsil. in prax. crimin.§. constante, qua informatione capta, mandatum ad personaliter comparendum, vel etiam de capiendo, si grauitas criminis id exigerit, expedire, & relaxare debent, dummodò id proposito actuali, & intentione virtuali faciant, vt appellationem interpositam admittant, si illam iussus comparere, vel captus interponat, Bal. in dicta l. si clericus, C. de Episcop. audient. quia grauamen illatum per decretum interloquutorium de capiendo non potest reparari per diffinitiuam, quo casu etiam de iure ciuili appellatur, l. 2. ff. de appellat. & etiam de iure Concilij Trident. vt supra sess.24. cap.20. licet derogauerit antiquis canonibus permittentibus appellare à decretis interlocutorijs, quorum grauamen per sententiam diffinitiuam, vel per finem causæ reparari potest, Nauar. in rubric. de iudic. num.83.

& quòd

& quòd possit appellari à mandato, vel decreto interlocutorio, vt quis incarceratur, tenet Aloys. Ricc. in collect. decis. part. 3. collect. 642. vers. Primò, Prosper de Augustin. in addit. ad Quarant. in Summ. Bullar. verb. Archiepiscopi authoritas, vers. Decima octaua authoritas, num. 3 o Duen. in regul. 52.

14 Tertiò postquam admittitur appellatio ab indebita carceratione, quæro, quæ sit, vel dicatur carceratio indebita, & iniusta? Resp. pluribus modis. Primò dicitur iniusta carceratio, quando tractatur de delicto, pro quo venit imponenda pœna pecuniaria, Hippolyt. de Marsil. in pract. criminal. §. Attingam num. 3. vbi ponit aliquos casus, in quibus reus non est relaxandus sub fideiussoribus, etiam si veniret imponenda pęna pecuniaria, Gram. cons. criminal. 55. num. 8. Carauit. super Rit. 41. num. 17. & licet aliqui teneant contrarium, vt Farinac. tit. de carcerib. quæst. 27. num. 39. tamen omnes communiter dicunt, quod statim est relaxandus reus per tex. in cap. si clericos, de sentent. excomm. lib. 6. & tantò magis hoc procedit in clericis, Felin. in cap. legebatur de maior. & obed. quia ad carcerandum clericos magis temperatè est deueniendum. Secundò dicitur carceratio iniusta, & indebita, quando carceratur clericus pro debito ciuili; quia clerici habent à iure priuilegium, ne conueniantur in plus quam facere possunt, cap. Odoardus, de solut. sed exigitur iuratoria cautio de soluendo debitum, cum ad meliorem fortunam peruenerint, nisi esset in forma Cameræ Apostolicæ obligatus, Farinac. tit. de carcerib. quæst. 33. num. 70. Tertiò, quando carceratur infirmus, quia debet relaxari sub fideiussoribus, Gram. cons. 59. num. 9. Quartò dicitur indebita carceratio ratione loci; nam carcer non debet esse horribilis, subterraneus, obscurus, vel fętidus; quia datur ad custodiam, & non ad pęnam, l. aut damnum, §. solent, ff. de pęn. Concil. Trid. sess. 25. cap. 6. & in Regno est prouisum per regiam pragmaticam editam per Don. Perafan. Proregem sub die 7. Octobris 1559. incipit, *Perche per quanto semo informati*, quòd carceres non sint subterranei, nec obscuri. Quintò, & vltimò ratione personæ; nam constituti in dignitate non debent carcerari, nisi pro delicto graui, & in custodia decenti, l. fin. C. de accusat. in illis verbis, habita tamen dignitatis æstimatione, Clar. quæst. 46. num. 1.

15 Quartò quæro, an Episcopo negligente, vel retardante expedire causas, possit adiri Archiepiscopus Metropolitanus? Resp. affirmatiuè Abb. in cap. graue, num. 9. de off. ordinar. vbi dicit hanc esse communem opinionem, licet in repetitione, cap. si quis contra clericum dixerit contrarium: affirmatiuam sententiam etiam tenet Felin.

lin. in cap. pastoralis, de concess. præbend. contra Abb. cuius opinionem dicit esse nouam, & quòd totus mundus tenet opinionem affirmatiuam. Sed Archiepiscopus debet ter monere Episcopum, apponendo terminum; & tunc eo elapso poterit ad se aduocare causam, Gram. cons. criminal. 54. nu. 8. vbi dicit, quòd iudex non conuincitur de negligentia, & de retardata iustitia, nisi ter interpellatus fuerit, vel nisi in prima interpellatione recusaret; quia tunc vnica sufficeret, si in ea tres termini apponantur, Rebuff. in tract. concordator, in verb. de Friuel. appellat. vbi concludit esse communem opinionem, quòd si quis non potest habere complementum iustitiæ à suo superiore, potest appellare immediatè ad Superiorem post trinam monitionem factam, vel vnica pro trina, prout seruatur in ferenda excommunicatione. Nec potest Episcopus se tueri decreto Concilij Trident. prædicto cap. 20. sess. 24. de reformat. vbi datur biennium ad expediendas causas, vt supra dictum est; quia in eodem cap. 20. §. legati expresè id cauetur, quod negligente Episcopo, eoque requisito, Superior potest procedere, cuius Concilij verba hæc sunt: Legati quoque etiam de latere, Nuntij Gubernatores Ecclesiastici, & alij quarumcumque facultatum vigore, non solùm Episcopos in prædictis causis impedire, aut aliquo modo eorum iurisdictionem ijs præripere, aut turbare præsumant, sed nec etiam contra clericos, aliasue personas Ecclesiasticas, nisi Episcopo prius requisito, eoque negligente procedant. Hæc tibi; & ratio est, quia illa retardatio expeditionis causæ, præsertim si reus detinetur in carcere, continet grauamen irreparabile, à quo potest appellari, vt supra dictum est, & non debet resultari iniuria, vnde iura nascuntur, l. meminerit, C. vnde vi Prosp. de Augustin. in addit. ad Quarant. in Summ. Bullarij, in verb. Archiepiscopi authoritas post nu. 12. sed cauere debent
16 Episcopi, & Officiales Ecclesiastici, ne passim procedant ad carcerationem clericorum; nam si eos iniustè, & absque causa carceribus mancipant, sunt excommunicati, cap. si clericos, de sent. excomm.
17 lib. 6. sæpè enim videmus Sacerdotes, & immo Canonicos, in dignitate constitutos, nulla subsistente causa legitima; sed odio, & alijs animi passionibus in carceres detrudi; & quod peius horribiles, obscuros, & absque commoditatibus humanis vsibus necessarijs, ac fætidos contra dispositionem Concilij Trident. sess. 25. cap. 6. de reformat. vbi dicitur: In omnibus casibus ea ratio habeatur, vt iuxta qualitatem delicti, & personarum delinquentes ipsi loco decenti custodiantur; & similiter sunt excommunicati iudices Ecclesiastici carcerantes clericos non constito de delicto secundum communem opinionem

nionem Corn. cons. 325. lit. C. quem refert, & sequitur Clar. qu. 28. num. 5. Baiard. in eius addit. in eadem quæst. num. 6.

18 Sed quò ad appellationem ab indebita carceratione, vel ab alijs grauaminibus, quæ per sententiam diffinitiuam reparari non possunt, est aduertendum, quòd aut appellatur ad Metropolitanum, aut ad Summum Pontificem, qui delegat appellationem, & causam alicui Episcopo. Quando appellatur ad Metropolitanum; & tunc si coram eo constat de grauamine, potest Metropolitanus cognoscere causam principalem, & erit iudex tàm grauaminis, quàm totius causæ, cap. vt debitus honor, & ibi Abb. num. 3. de appellat. vbi dicitur, quòd iustificata appellatione ab interlocutoria, iudex ad quem succedit in locum iudicis à quo, & potest procedere in causa principali, sicut potuisset iudex à quo. Aut est appellatum ad Papam, &

19 est delegata causa grauaminis alicui Episcopo: & tunc delegatus non potest cognoscere causã principalem, sed erit iudex grauaminis

20 tantùm; quia tex. in dicto cap. vt debitus honor, ponens totum negotium in manibus iudicis ad quem, cui constitit de grauamine, non habet locum, & non procedit in delegato Apostolico, sed loquitur de iudice Ordinario, Vestr. in prax. lib. 3. cap. 9. num. 11. per tex. in cap. 1. & ibi glos. in verb. prætermisso, de for. compet. lib. 6. secus est in delegato, qui seruata forma rescripti non potest cognoscere, nisi

21 de grauamine, Staffil. de signat. iust. & liter. Apostolic. in forma breuis, fol. mihi 327. nisi in rescripto Apostolico adesset clausula, quæ communiter solet apponi, videlicet, *Et cum toto negotio principali*; quæ clausula ideò apponitur, ne causæ continentia diuidatur, l. nulli, C. de iudic. cap. 1. de sequestrat. possess. & fruct. quia tunc iustificet grauamine delegatus Apostolicus est iudex etiam causæ principalis per dictam clausulam, Couarr. practicar. quæst. cap. 9. vbi ait, e contra quod quoties fuerit causa appellationis ab interlocutoria commissa vna cum negotio principali, non poterit iudex delegatus de causa principali cognoscere, si appellatio minimè iustificetur, iniusteque sit appellatum; quia delegatus tunc causam principalem cognoscit, cum appellatio iusta fuerit pronuntiata.

22 Quintò quæro, an possit appellari à decreto de torquendo, ita vt appellatio liget manus iudicis? Resp. quòd si licet appellari ab indebita carceratione, tantò magis à decreto torturæ; quia iudex interloquendo, vel cominando velle torquere reum, grauat irreparabiliter, & eius exequutio per sententiam diffinitiuam non potest reparari, & ita tenet Bart. in l. 1. ff. de appell. recipien. & in l. ante sententiæ tempus, C. quor. appellat. non recip. Abb. in cap. super il 2. num. 3. de appel-

appellat. & ius ciuile concordat cum dispositione Concilij Tridentini dum disponit, quod appellatio admittatur à decreto, cuius grauamen per diffinitiuam sententiam reparari nequit; ideò à decreto de torquendo, vel à cominata tortura potest appellari, & suspenditur actus torturæ, Abb. in dicto cap. super eo, Carauit. Rit. 41. num. 13. & in Rit. 259. num. 11. magnæ Curiæ Vicariæ, vbi dicit, quòd à decreto de torquendo admittitur appellatio; quia tortura affert damnum irreparabile, Hippolit. de Marsil. in l. 1. n. 34. ff. de q. Clar. q. 64. n. 27. Ricc. collect. 642. vers. secundo, & tortura suspenditur, etiam antequam inhibeatur à iudice ad quem, cap. non solum, de appellat. lib. 6. licet in Regno in foro sęculari, si appellatio est friuola iudices procedunt ad torturam, dummodo omnia ritè, & rectè processerunt, vt quia datæ fuerunt defensiones, & repulsa concessa cum esset petita, & publicatus processus, & auditus reus in omnibus suis iuribus cum eius aduocato, & procuratore, & inditia non sunt euacuata per defensiones, & alia requisita acta sunt, & hoc non obstante, cap. Regn. incip. si iustè, in quo disponitur, quòd recipiantur appellationes à decretis de torquendo; quia illud cap. procedit in appellatione iusta, secus si est iniusta, & friuola, vt dicit Foller. in pract. crimin. tertia parte, num. 50. Sed Carauit. in dicto Rit. 259. à num. 10. vsque ad 15 dicit, quod semper est supersedendum in tortura stante appellatione, & quòd ita practicatur; sed ad maiorem cautelam cauti procuratores secreto obtinent inhibitiones à Superioribus appellando à comminata tortura, & illas præsentant iudici, per quas eius manus ligantur, & hoc fit propter iudices imperitos, qui, vt dicit idem Carauit. loco citato, in sindicatu aufugiunt cum ignominia; peritiores autem statim admittant appellationem, hic est etiam quòd illud,

23

24 quod dicit Marant. in specul. part. 6. act. 14. num. 14. quod si decretum de torquendo legatur in loco torturæ, vbi est ductus reus, non obstante quòd appellet, potest torqueri, est valdè insipidum, & insipidi, ac imperiti sunt iudices hanc practicam obseruantes; quia nescio videre differentiam, quare reus potest appellare à decreto de torquendo, antequam ducatur ad locum torturæ, & quòd in ipso loco non possit; ideò non est admittenda dicta practica, Baiard. in ad-

25 dit. ad Clar. quæst. 64. nu. 85. Sigism. Scacc. in tract. de iudic. caus. ciuil. & crimin. cap. 47. num. 59. & notandum est, quòd appellatio à tortura totam causam deuoluit ad iudicem ad quem, Abb. in dicto cap. super eo, de appellat. per tex. in l. si quis prouocatus, C. de appellat. ita quòd aufertur iurisdictio iudicis, à quò in tota causa, & deuoluitur cognitio ad superiorem, Innoc. in cap. quia propter, &

cap.

cap. cum à nobis, de elect.

26 Sextò quæro, an appellans in causa criminali à sententia diffinitiua, si eo tempore reperitur carceratus, debeat pendente appellatione remanere carceratus? Resp. affirmatiuè, donec iudex ad quem aliud iusserit, Bal. in l. 2. C. de Episcopal. audient. Speculat. in tit. de appellat. §. nouissimè. Alex. in addit. ad Bart. in l. 1. ff. de custod. reor. Bart. in l. ab exequutione, C. quor. appellat. non recip. Lancelott. de attent. cap. 12. limit. 15. num. 8. Sed si est condemnatus ad pœnam pecuniariam, & offert cautionem, de se præsentando, & soluendo condemnationem in casu succumbentiæ, est relaxandus, l. eos, §. super la prima, C. de appellat. l. minimè in fin. C. eod. Prosp. Farinac. tit. de carcer. quæst. 33. num. 20. sed in Vrbe, & statu Ecclesiastico fit depositum per condemnatum, si est diues, & condemnatus per confessionem propriam; sed si est pauper, relaxatur præstita cautione, sed hoc non habet locum extra Vrbem, & statum Ecclesiasticum; quia Constitutio Pij IV. per quam hoc disponitur est localis, Farinac. loco citato, numer. 23. sed extra illum statum in curijs Ecclesiasticis obseruatur dispositio iuris communis, Baiard. in addit. ad Clar. q 94. num. 24.

27 Sed notandum est, quòd à sententia Vicarij generalis Episcopi, non appellatur ad eundem Episcopum; quia est idem tribunal, cap. Romana, & ibi Doctores de appellat. lib. 6. Abb. in cap. si quis in prima lectura, de for. compet. Doctores in clem. Et si principalis, de rescript. quia appellatio est à minori iudice ad maiorem, & daretur appellatio ab eodem iudice ad eundem, dicto cap. Romana, & non esset distinctio personarum inter iudicem à quo, & ad quem, Dec. in
28 cap. dilecti il 3. num. 4. de appellat. limitatur tamen nisi Episcopus delegasset aliquam causam; quia tunc in dicta causa à sententia Delegati appellari posset ad Episcopum delegantem, Abb. in dicto cap. dilecti, num. 18. Felin. in cap. insinuante de off. delegat. Cardinal. in clem. 2. de rescript. Abb. in dicto cap. si quis in prima lectura, n. 26.
29 de for. compet. & in cap. cum terra, num. 1. de elect. Bart. in l. 1. ff. si quis, & à quo, nisi Episcopus delegaret causas malitiosè in fraudem appellationis interponendæ; tunc enim Episcopus non debet ex fraude cõmodum reportare, Iacob. Sbroz. de offic. Vicar. lib. 3. quæst. 2. num. 23. sed puniri potest per superiorem, Abb. in dicto cap. dilecti, numer. 18. malitijs enim non est indulgendum, l. in fundo, ff. de re-
30 incid. remedium tamen est, vt appelletur à sententia delegati Episcopi ad Summum Pontificem, ad quem omisso medio appellari potest, Abb. & omnes in dicto cap. dilecti, & præsertim Franch. vbi

hanc

hanc materiam latè prosequitur de appellatione omisso medio, Lancelott. de attent. part.2. cap.12. ampliat.12. num.3. sed maior difficultas est, an possit appellari à delegato Episcopi ad eius Vicarium generalem; & licèt variæ sint Doctorum opiniones, nam Abb. in dicto cap. dilecti, num.3. de appellat. & in dicto cap. si quis contra, in prima lectura, num.25. & in cap.2. num.30. de for. compet. ad partes hanc quæstionem examinat, tandem in negatiua residet sententia, nisi quando Episcopus esset absens, Archid. affirmatiuam tenet in c.2. de consuetud. lib.6. Cardin. in dicta clem.2. de rescript. Bart. in l.1.§.1. ff. de appellat. Felin. in cap. si quis contra, numer.5. de for. compet. hanc etiam quæstionem prosequitur Iacob. Sbroz. de Vic. Episcop. lib.3. q.2. tandem concludit pro parte negatiua, quam dicit esse communem, cum declaratione, vt procedat, quando Episcopus non est absens, vt per Abb. in dicto cap. dilecti, num.3. & d. cap. si quis contra, num.25.

31 Secundò notandum est, quòd quando appellatur ad Summum Pontificem in aliqua causa, & per Signaturam committitur alicui Episcopo, & contingit illum reuocari per suspitionem, vel aliquam legitimam causam, solet per eandem signaturam apponi in rescripto clausula illa videlicet, dummodo causa non sit instructa, vel non sit consensum in iudicem; ideò sciendum est, quòd tunc causa dicitur instructa, quando pro altera parte essent probationes factæ, & causa esset in statu, in quo possit pronuntiari, cap. pastoralis, de caus. propr. & possess. Vestr. in pract. lib.3. cap.3. num.9. & propriè causa instructa dicitur, quando in ea est conclusum, vel renuntiatum probationibus; quia tunc iudex potest pronuntiare, Vestr. loco citato, Lancelott. de attent. p.2. cap.10. n.16. cum sequentibus; hinc est, quod quando in rescripto Apostolico est apposita dicta clausula, dummodo causa non sit instructa, iudex, cui vltima commissio, seù Breue præsentatum fuit, priori iudici inhibet cum inserta præfata clausula, quatenus causa non sit instructa, iudex inhibitus videns inhibitionem conditionalem; quia iam est instructa causa coram eo, procedere potest, non obstante inhibitione absque metu attentatorum, March. de commiss. super attent. p.2. cap.13. Sed an intelligatur vt causa sit instructa tempore exequutionis inhibitionis, vel tempore impetratæ commissionis, vide Lancelott. de attent. part.2. cap.20. ampliat.3. qui adducit quamplures decisiones Rotæ Romanæ, quarum aliquæ concludunt inspiciendum esse tempus impetratæ commissionis, & aliquæ tempus inhibitionis præsentatæ, sed pro concordia distinguit, aut primus iudex sciuit reuocationem causæ, & ex arte,

& sesti-

& festinanter causam instruxit, & procedit opinio Rotæ, quando dicit quod est inspiciendum tempus impetratæ commissionis, aut Iudex reuocationem ignorauit, & inspicitur tempus præsentatæ inhibitionis. De clausula autem illa dummodò non sit consensum in Iudicem,
32 sciendum est, quòd non dicitur esse consensum in Iudicem ex eo solùm quòd reus carceratus se examinare permittat, etiam si fateatur delictum, de quo inquiritur; quia non spontè, sed coactè, & compulsus illud videtur fecisse, Angel. cons. 27. Innoc. in cap. ad petitionem, de accusat. Farinac. tit. de for. compet. numer. 179. In ciuilibus autem si reus in responsionibus, & replicationibus per eum factis in processu, non fuerit expreßè protestatus se non consentire in Iudicem, videtur consensisse, l. 1. C. de filio famil. & quæmadm. pat. Bart. in l. 4. §. si in venditione, C. ad Velleián.

33 Solet etiam apponi in rescriptis Apostolicis clausula, *Vocatis vocandis*, & clausula, *amoto illicito detentore*, quæ clausulæ non faciunt commissarium merum exequutorem, vt nonnulli arbitrantur, & malè, quia faciunt mistum exequutorem; per dictas enim clausulas committitur causæ cognitio vnà cum exequutione, Abb. in cap. pastoralis, §. quia verò, ff. de off. de legat. secus est in exequutore mero, qui nullam habet causæ cognitionem, sed tantùm debet exequi, glos. in cap. nouit. in verb. ab exequutoribus, de appellat. à quo exequutore mero non datur appellatio dicto cap. pastoralis, §. quia verò, l. exequutore, C. de exequut. rei iudicat. dicto cap. nouit. de appellat. sed Iudex datus cum prædictis clausulis, vel aliqua ipsarum habet causæ cognitionem, & potest videre, & cognoscere, si possessor est legitimus, vel ne, & ab eius sententia appellari potest; & quemadmodum Iudex ordinarius lata sententia per eum, à qua fuit appellatum, nihil potest innouare pendente appellatione, ita exequutor mistus cum aliqua prædictarum clausularum tenetur appellationi deferre, Marches. de commiss. appellat. p. 2. cap. 3. num. 2. & sequentibus, & ita fuit resolutum in vna Panormitana Archidiaconatus die 15. Iunij 1590. coram Pegna, Ricc. collect. 1746. p. 5. Sed dubium est, quando committitur possessio beneficij impetrati à Papa alicui sine dicta clausula vocatis vocandis, an intelligatur apposita, quando alius reperitur in possessione beneficij? Resp. quòd intelligitur apposita, quia possessor non debet remoueri à sua possessione, vel quasi, sine causæ cognitione, & ipso inaudito, tex. est in cap. licet Episcopus, & ibi glos. in verb. te non vocato, de præbend. lib. 6. vbi Franch. Paris. de resignat. benefic. lib. 11. q. 10. num. 33. Abb. cons. 34. num. 7. part. 2. Innoc. in cap. cùm olim il 2. de priuileg. & sic est vocandus possessor,

for, Prax. Cur. Archiep. Neap. cap. 85. num. 4.

34 Solet quoque in rescriptis Apostolicis poni clausula, *Non obstantibus præmissis*, ac felic. recordat. Bonifacij VIII. de vna, & Concilij generalis de duabus dietis, dummodo quis non vltra tres; ideò sciendum est, quòd Constitutio Bonifacij de vna est tex. in cap. statutum, §. cum verò de rescript. lib. 6. & Concilium generale est tex. in cap. nonnulli, de rescrip. vbi habetur, vt quis non possit trahi extra suam Diœcesim per duas dietas, & in dicto cap. statutum, §. cum verò per vnam Dietam, & per hanc clausulam Papa derogat dictis capitulis; sed est aduertendum, quòd dieta intelligitur de vulgari, idest secundum consuetudinem locorum, & regionis, & non de legali, secundum quam computantur viginti milliaria pro qualibet dieta, l. 3. ff. de verb. significat. ita glos. in dicto cap. nonnulli in verb. duas dietas, de rescript. & ibi Abb. & Doctores, & Dieta computatur à fine Diœcesis, vt in dicto cap. statutum, §. cum verò, vers. nullus.

35 Tertiò notandum est, quòd Metropolitanus antequam decernat, & expediat inhibitionem iudici à quo ad instantiam appellantis, multa debet scrutari, videlicet an sit appellatum à diffinitiua, vel ab interloquutoria, & an infra decem dies, & si ab interloquutoria, an cum expressione causæ, ac citato appellato ad opponendum aduersus appellationem, per ea, quæ concludit, Gemin. in cap. Romana, de appellat. lib. 6. & Angel. in l. scio, §. sed illud, de appellat. nam est obseruandus tex. in dicto cap. Romana, non obstante quacumque consuetudine, stylo, vel priuilegio in contrarium Concil. Trident. sess. 22. cap. 7. de reformat.

36 In causis verò delegatis per Sedem Apostolicam vidi aliter seruari; quia iudices delegati iuxta formam delegationis parendo rescripto Apostolico, statim inhibent cum inserto tenore Breuis, sicut obseruatur in Curia Romana, vt testatur Marches. in tract. de commiss. part. 2. cap. 1. num. 52. cum sequen. ratio est, quia semper in rescriptis Apostolicis solet per Signaturam apponi clausula *videlicet*, cum facultate citandi, & inhibendi; qua clausula apposita licèt Iudex aliàs non posset statim inhibere, tamen vt clausula illa aliquid operetur, potest statim absque citatione partis inhibere, Lancelott. de attent. part. 2. cap. 20. num. 164. quam inhibitionem facere debet cum insertione commissionis, vt appareat, & constet de eius potestate, aliàs inhibitio esset nulla, & citatus non tenetur comparere, Felin. in cap. cætera de rescript. Guido Pap. decis. 286. Ann. allegat. 24. num. 1. & 2. vbi dicit quòd Delegatus tenetur inserere copiam suæ delegationis in citatione; nam asserenti se esse delegatum non creditur, l. vnic.

vbi

vbi Dec. C. de mand. princip. cap. cum in iure peritus vbi Innoc. n. 4. & Felin. num. 3. de offic. delegat. & est tex. in extrauag. comun. incip. iniustæ, de elect. Bart. in d. l. vnic. Sbroz. de Vicar. Episcop. lib. 2. cap. 129. num. 5. Carol. de Grass. de effect. cleric. effect. 1. num. 34. Verùm Iudex delegatus in causa sibi delegata non potest procedere, nisi priùs, & ante omnia sibi de appellatione constabit, Rot. decis. 4. in nouis, de appellatio, & decis. 5. eod. tit. in antiquis; sed si in
37 rescripto est apposita clausula solita scilicet quam, & quas, etiam si non constabit de appellatione, poterit delegatus procedere, Rot. teste Cæsare de Grass. decis. 8. de appellat. Achill. decis. 14. eod. tit. Hieronym. Campanil. super Rit. 36. Cur. Archiep. Neap.

38 Quartò notandum est, quòd rescripta Apostolica possunt impetrari etiam à non habente mandatum procurationis, l. vniuersis, C. de precib. Imper. offer. quia in impetrando rescripto à Principe non attenditur, an sit procurator, Bart. & Ias. in d. l. vniuersis, licet Abb. in cap. nonnulli, §. sunt, & alij de rescrip. teneant contrarium; quia in praxi obseruatur opinio Bart. & Ias.

39 Quintò notandum est, quòd aliquando à Concilio Trident. tribuitur facultas Episcopis in quibusdam causis, vt procedant tamquã Apostolicæ Sedis delegati; ideò videndum est, an quando procedunt vti Sedis Apostolicæ Delegati, ab ipsis possit appellari ad Metropolitanum, vel ad Summum Põtificem? Pro cuius resolutione dubij sciendum est, Episcopis à Concilio solere tribui iurisdictionem, vel in his casibus, in quibus ante Concilium iure ordinario facultatem habebant, & in his, etiam si constituantur Apostolicæ sedis Delegati, vti Ordinarij procedunt, & cognoscunt; quia videtur potius excitata iurisdictio, quæ prius eis competebat, quàm noua concessã, l. sæpè, & sequenti, ff. de offic. præsid. Felin. in cap. in corrigendis, numer. 1. de offic. Ordin. & præsertim si Concilium dicat, cognoscat Episcopus etiam vti delegatus, quòd illa dictu etiam implicat Episcopum posse cognoscere etiam iure ordinario, & potest in his vsibus appellari ad Metropolitanum. Vel Episcopus constituitur delegatus in casibus, in quibus iure ordinario ante Concilium non habebat facultatem procedendi; & in his est appellandum ad Sedem Apostolicam, & ita refertur pluries censuisse sacram Congregationem Concilij.

40 Sextò notandum est, quòd appellatio ab excommunicatione, qua quis declaratur excommunicatus virtute obligationis in forma Cameræ Apostolicæ, etiam si appellatio præcesserit ipsam declarationem, non suspendit excommunicationem, Galles. de obligat. in

 form.

form. Camer. in verb. Reliqua de processu, num. 44. Canonistæ in cap. pastoralis, §. verum, de appellat.

41 Septimò notandum est, quòd in for. Ecclesiastico, non potest exequi sententia, quæ non excedit summam decem ducatorum; quia non admittitur appellatio suspensiua, sed deuolutiua tantum per quamdam extrauag. vt dicit Vestr. in pract. lib. 7. cap. 3. num. 2. sed hodie si sententia excedit summam ducatorum quadraginta non demandatur exequutioni, sed infra exequitur, vt per inhibitiones, quæ expediuntur à tribunali Auditoris Cameræ, in quibus dicitur, vt Iudex, à quo in causa appellata nihil innouet, nisi sit infra summam ducatorum quadraginta. De iure verò Regni, quando causa non excedit duas vncias, appellatio suspensiua non admittitur per Rit. Magn. Cur. Vicar. 267. & ibi Carauit. num. 1.

42 Octauò notandum est, quòd quando causa est delegata pluribus, nempè Episcopo, siue eius Vicario, quilibet delegatus recipit iurisdictionem, si tamen vnus causam occupauerit, eo quòd ei fuit præsentatum rescriptum, non potest alter se intromittere, & illa procedere, nisi vel infirmitate, vel alia iusta causa sit impeditus, vnde si Vicarius illam cognoscere incęperit, non potest Episcopus in ea se intromittere, cap. cum plures, de offic. delegat. Sed si commissio fuerit in personam Vicarij Episcopi, non potest illam Episcopus cognoscere, etiam Vicario amoto ab officio; nam cum differentia sit inter Episcopum, & eius Vicarium, vt patet ex cap. venerabilibus, de sent. excomm. lib. 6. ibi Archiepiscopo, vel eius officiali, & commissio si soli Vicario facta est, nullatenus Episcopus potest se intromittere, & cognoscere; quia delegatio facta Vicario Episcopi non censetur facta Episcopo, nec transit in Episcopum, Cardin. in clem. 2. de rescript. Item quia licet Episcopi, & eius Vicarij sit idem tribunal, cap. Romana, de appellat. lib. 6. id tamen solum verùm est, & procedit in causis, quæ iure ordinario competunt Vicario, Cardinal. in clem. 2. num. 10. de rescript. Dec. in cap. quoniam. Abbas num. 62. de offic. delegat. Rebuff. in prax. beneficial. tit. de form. Vicar. numer. 161. Nauar. cons. 5. num. 1. de offic. delegat. Thom. Sanch. de matrim. lib. 8. disput. 27. num. 30. & quamuis Episcopus Vicarium suum generalem ab officio remouere possit, & ita impedire ne delegationem Vicario sub nomine dignitatis commissam exequatur, Cardin. in dicta clem. 2. num. 10. tamen non potest specialem Vicarium deputare, vt de ea sola delegatione cognoscat; quia commissa est principaliter Vicario generali; sed hic non est generalis Vicarius, nec ordinariam iurisdictionem Vicarij sortitur, sed est delegatus ad

eam causam expediendam; quam nequit Episcopus delegare, quæ non est suæ iurisdictionis; potest tamen Vicarium generalem constituere, remoto priori, & ille potest causam exequi; verum tamen posset Episcopus puniri, si remouet Vicarium in fraudem iurisdictionis delegatæ, ne eam exequatur, tamquam illam perturbans, cap. 1. de offic. delegat. Sanch. loco citato disput. 23. num. 43.

43 Nonò est notandum, quòd quando adest clausula illa; quæ solet apponi in rescriptis Apostolicis, videlicet, statum, & merita causæ, & causarum huiusmodi præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes operatur illud idem, ac si totus processus secundum veritatem in supplicatione esset registratus, etiam si agatur de præiudicio alterius tertij, & per dictam clausulam est sublatum omne vitium subreptionis, & obreptionis, Farinac. cons 92. numer. 5. Lancilott. de attent. p. 2. cap. 4. num. 648. in præfat.

44 Decimò notandum est, quòd appellatio in causa liquidę obligationis penès acta Curiæ, vel in forma Cameræ Apostolicæ, seu instrumenti liquidati non suspendit exequutionem, sed deuoluit causam ad superiorem, Felin. in cap. quoad consultationem, num. 13. de sent. & re iudic. quia sicut appellatio non suspendit actum præteritum, nec potest suspendere actum futurum illi annexum; quandocunque enim appellatio non impedit actum gestum de præterito, sic non impendit actum gerendum; si ille actus est accessorius, & consequutorius ad actum gestum non suspensum per appellationem, Abb. in cap. pastoralis, §. verum, de appellat. hinc est quod signatu-

45 ra iustitiæ in huiusmodi commissionibus solet apponere clausulam, videlicet, sine præiudicio legitimæ exequutionis, vel non retardata vlteriori exequutione: quæ verba tantum innuunt, quantum solue, & repete, Marches. de commiss. part. 2. de commiss. appellat. cap. 5. num. 5. & hoc procedit in omnibus causis, & casibus, in quibus non admittitur appellatio suspensiua; & ideò gesta post appellationem non veniunt, vt attentata, & innouata reuocanda cap. non solum, & ibi Doctores, de appellat. Lancellott. de attent. part. 2. cap. 12. limit. 13.

46 Vndecimò notandum est, quoad practicam appellandi in Curijs Ecclesiasticis, quando appellatur ad Romanam Curiam, quòd appellans præsentat Iudici à quo appellationem in scriptis, simul cum petitione Apostolorum infrà dies decem à die latæ sententiæ, iuxta tex. in auth. hodie autem, C. de appellat. & per Curiam sit decretum, quòd appellanti concedatur copia sententiæ loco Apostolorum; & statuitur terminus eidem appellanti ad se pręsentandum

conspectui Apostolico, & reportandum congruum responsum, qui terminus debet esse competens, & congruus secundum distantiam locorum, & qualitatem temporis, Abb. in cap. cum sit Romana numer. 15. & in cap. cum speciali, §. porro, numer. 2. & in cap. ad hæc,
47 num. 6. de appellat. si verò non fuerint petiti Apostoli in libello appellàtionis, appellans habet spatium triginta dierum illos petendi, & recipiendi, l. iudicibus, C. de appellat. cap. ab eo, de appellat. lib. 6. adeò quòd si appellans infra dictum tempus dierum triginta non petierit, vel receperit Apostolos, censetur appellationi renuntiasse, & efficitur appellatio deserta, dicto cap. ab eo, & clem. quamuis de appellat. & quando stat per Iudicem, qui requisitus non dat Apostolos, appellans debet protestari, vt habetur in dicta Clem. quamuis, & dicti triginta dies currunt à die, quo habuit notitiam sententiæ, Marant. in specul. part. 6. numer. 219. & 220. Sed appellans aduertere debet, quòd si causam intendit introducere in Curia
48 Romana, debet adire Auditorem Cameræ Apostolicæ; ipse enim non solum intra temporalem statum Ecclesiasticum sine vllo speciali rescripto Pontificis omnes recursus, & grauamina eorum, qui appellant ad Summum Pontificem, sed etiam de quibuscumque partibus, & de quibuscumque rebus, audit, cognoscit, in illis procedit, vt per Vestr. in pract. lib. 2. cap. 4. sub num. 4. Scacc. de Iudic. caus. ciuil. & criminal. cap. 22. numer. 2. sed appellans necesse habet omninò producere, & præsentare copiam authenticam sententiæ diffinitiuæ, alias non poterit obtinere inhibitionem; quia Auditor nunquam inhibet nisi cum insertione sententiæ; & ratio est, nam eius potestas se extendit ad admittendas appellationes, quatenus à diffinitiua sententia, vel habente vim diffinitiuæ, vel cuius grauamen per diffinitiuam reparari non potest, appellatum extiterit, vt in Bulla reformationis Tribunalis Auditoris Cameræ per Pium V. die 4. mensis Decembris 1570. Si verò appellans intendit causam committi facere alicui Episcopo viciniori, tunc non est opus producere copiam sententiæ, cum oporteat adire signaturam iustitiæ Domini Papæ, quæ absque dicta copia sententiæ committit causam per Breue, satis enim est per appellantem asserere fuisse diffinitiuè sententiatum, & à diffinitiua appellatum.

49 Duodecimò notandum est, quòd in Regno appellans à diffinitiua infra decem dies: si postea non præsentat processum, & acta infra quinquaginta dies post interpositam appellationem Iudici ad quem per Constitut. Regn. quæ incipit, *Appellationum tempore, & non facit*

sitari

citari partem appellatio esset deserta; potest tamen se excusare per aliquod impedimentum, & prosequi appellationem. Carauit. in Rit. 260. num. 12. & præsertim succurritur pauperi, qui est paupertate
50 impeditus; nam ei fatalia non currunt; quia paupertas à desertione causæ excusat; impossibilium enim nulla est obligatio l. impossibilium, ff. de regul. iur. Hyppol. de Marsil. in pract. criminal. §. sequitur, num. 35. vbi ait impotentiam excusare appellantem à prosequutione appellationis, vt non sit deserta, si debito tempore eam non sit prosequutus, l. si procuratorem, §. si ignoranter, ff. mandat. facit tex. in cap. licet, de censib. facit etiam, quia pauper, qui non potest soluere in termino non est periurus, Bal. in cap. 1. §. porrò, quæ sit prim. caus. benef. ammitt. nam licet sit periurus quoad actum, non tamen quo ad reatum; quia paupertas excusationem affert, & est quædam species defensionis per not. in l. Titius, ff. de procurat. Franch. in cap. repræhensibilis, n. 16. de appellat. vide Boer. decis. 247. Gail. lib. 1. obseruat. 142. num. 2. Sed est aduertendum, quòd pauper debet protestari se propter paupertatem appellationem prosequi non posse, Muscatell. in prax. Sacri Reg. Consil. part. 2. glos. secundum fatale, num. 18. & in glos. Primum per tot. quæ protestatio constare ex actis debet, Gram. vot. 31. num. 13. nisi paupertas sit notoria, Mar. Giurb. decis. Sicil. 116. num. 17. Sed pauperi currunt decem dies dati ad appellandum, eo quod minima est illa impensa, l. inuitus, C. de procurat.

51 Tertiò decimò est notandum, quòd non admittitur appellatio suspensiua à decreto assistentiæ in Regno virtute Regiæ pragmaticæ, quæ incipit, *Magna Curia*, nisi latum sit cum facultate vendendi; quia tunc etiam suspensiua admittitur, Vinc. de Franch. decis. 120. secus quando esset latum decretum, cum facultate adiudicandi; quia non retardatur exequutio, item procedit respectu sortis principalis, & non interesse, Vinc. de Ann. singul. 404. vide Afflict. decis. 161. sed de nullitate potest dici ad effectum retardandę exequutionis, vt dicitur in dicta pragmatica, Marant. in specul. part. 6. nu. 321. in quibus non admittitur appellatio suspensiua, vide eundem Marant. loco citato, num. 278. cum sequentibus.

52 Decimoquartò notandum est, quòd sententiæ latæ per Rationales alicuius ad ministrationis, quas significatorias vocant, si ab eis fuerit legitimè appellatum, non demandantur exequutioni, quia ab eis non prohibetur de iure appellari, & quod non est prohibitum, videtur concessum, l. 1. ff. de testib. l. quæramus iuncta glos. ff. de testam. & regulariter Iudex à quo tenetur quamlibet appellationem admit-

tere, Alex. in l. 1. ff. si quis caut. Marant. part. 6. act. 1. num. 399. & pendente appellatione, vel decendio ad appellandum, nihil est innouandum, l. 1. ff. nihil innou. appell. pend. cap. non solùm, de appellat. lib. 6. Marant. loco citato, n. 400. Vrsil. ad Afflict. decis. 157. vbi tenet, quòd ab istis significatorijs potest appellari, qui allegat. tex. in l. 2. C. de iur. fisc. lib. 10. & ita pluries fuisse decisum per Sacrum Regium Consilium testatur Capiblanc. in tract. de iur. Baron. & auth. Baron. in pragmat. 17. num. 63. & sequen. qui loquitur in fortiori casu, nempè, in significatorijs contra Erarios Baronum administrantes bona feudalia, quæ non exequuntur pendente appellatione. Sed fallit in tribus casibus. Primò in significatorijs, in quibus quis condemnatur in summa de introitu superante exitum; nam ponens videtur fateri, & in confessis, partes Iudicis sunt in exequendo, l. vnic. C. de confess. & l. 12. C. quor. appell. non recip. & plenè per Franch. in cap. cum speciali, §. porrò de appellat. & pro summa superante exitum fit exequutio. Secundò in significatorijs in Regno ad fauorem Vniuersitatum, quæ non obstante appellatione exequuntur realiter, & personaliter præstita cautione in casu retractationis, & appellantes non audiuntur, nisi facto deposito, vel in vinculis per Regiam pragmaticam sub tit. de officio procurat. Cæsar. Vinc. de Franch. decis. 347. Paul. Montanar. super pragmat. de regimin. Vniuers. §. 3. num. 10. Tertiò in significatorijs locorum piorum; nam œconomi, & administratores non obstante appellatione possunt cogi ad soluendum, si fuerint condemnati, tex. est in §. œconomos, Auth. de Sanctiss. Episcop. vbi glos. in verb. repetitiones, & Bart. num. 1. in quibus tribus casibus non admittitur appellatio quoad effectum suspensiuum, sed tantum deuolutiuum.

Et quoniam sæpè oriri solent controuersiæ iurisdictionales inter Metropolitanos, & Episcopos suffraganeos in causis appellationum, placuit hic inserere decretum Sacræ Congregationis super negotijs Episcoporum præfectæ Congregationis tenoris sequentis.

53 Ad tollendas ambiguitates, & controuersias iurisdictionales, quæ inter appellationum, & prioris instantiæ Iudices non sine parum dispendio, cursusque iustitiæ impedimento, & sæpè cũ scandalo oriuntur, Sacra Congregatio causis Episcoporum præposita, facta prius relatione S. D. N. Clementi Papæ VIII. ac de Sanctitatis suæ mandato viuæ vocis oraculo desuper habito, in hunc, qui sequitur modum ab omnibus, ad quos spectat, in posterum fieri, ac obseruari debere, mandauit, & mandat.

Metropolitani, Archiepiscopi, Primates, aut Patriarchæ in suffraganeos,

ganeos, eorumque subditos non iudicent, nisi in casibus à iure expressis.

Iidem, nec alij Superiores, etiam Nuntij vel legati de latere specificam facultatem maiorem non habentes, causas in Curijs Ordinariorum, vel aliorum inferiorum Iudicum pendentes ad se non aduocent, nisi per viam legitimæ appellationis ad ipsorum tribunalia deferantur: tuncque appellantes ab inferiorum iurisdictionibus quoad alias causas eximere non possint.

Appellationes nunquam recipiantur, nisi per publica documenta, quæ realiter exhibeantur, prius constiterit appellationem à sententia diffinitiua, vel habente vim diffinitiuæ, aut à grauamine, quod per diffinitiuam sententiam reparari non possit, in casibus à Iure non prohibitis per legitimam personam, & intra debita tempora fuisse interpositam, ac prosequutam.

Nec dùm causæ coram inferioribus Iudicibus pendent ante diffinitiuam sententiam, vel vim diffinitiuæ habentem; de grauamine illato Superiores cognoscere valeant, licèt citra præiudicium cursus causarum id facere contestentur, nec ad hunc effectum liceat eis inhibere, aut simpliciter mandare, vt ipsis copia processus transmittatur, etiam expensis appellantis.

Inhibitiones post appellationem sicut præmittitur, receptam, non concedantur nisi cum insertione tenoris sententiæ, aut decreti diffinitiui, aut vim diffinitiui habentis, vel damnum per diffinitiuam irreparabile continentis, aliàs inhibitiones, & processus, & inde sequuta quæcumque sint ipso iure nulla, eisque impunè non parare liceat.

Si appellans asserat sententiæ, aut appellationis exemplum culpa Iudicis, vel actuarij habere non posse, non ideò recipienda erit appellatio, aut aliqua inhibitio concedenda; sed eis, ad quos pertinet iniungi poterit, vt soluta condigna mercede, actorum exemplum authenticum appellanti intra breuem aliquem competentem terminum tradatur. Caueat tamen Iudex à quo, ne si verè appellatum fuerit in causa appellabili, interim aliquid in præiudicium appellantis attentet; & si per actum publicum, aut per testium depositiones constiterit acta negari appellanti, tunc Iudex appellationis in mandato trahendi acta possit adijcere, ne interim aliquid noui contra appellantem intentetur.

A sententia etiam diffinitiua contra verè contumacem prolata appellatio non recipiatur, nec inhibitio, aut alia quæuis prouisio, quamdiu appellans in huiusmodi vera contumacia perstiterit, concedatur.

Ab exequutione decretorum S. Concilij Trident. aut visitationis Apostolicæ Appellationes à Metropolitanis non recipiantur, nec si Episcopi virtute eiusdem Sacri Concilij procedunt, vti Sedis Apostolicæ delegati in causis, quæ sub iurisdictione ordinaria non compræhenduntur; salua tamen in hoc casu Legatorum, & Nuntiorum Apostolicorum authoritate.

In causis visitationis Ordinariorum, aut correctionis morũ quoad effectum deuolutiuum tantum admittantur, nisi de grauamine per diffinitiuam irreparabili agatur, vel cum visitator citata parte, & adhibita causæ cognitione iudicialiter procedit; tunc enim appellationi locus erit, etiam ad effectum suspensiuum.

Cùm à grauamine, quod per diffinitiuam reparari nequit, vt indebitæ carcerationis, vel torturæ, vel excommunicationis, etiam comminatæ, appellatur, nonnisi visis actis, ex quibus euidenter appareat de grauamine, appellatio admittatur, aut inhibitio, vel prouisio aliqua concedatur.

Causa appellationis pendente, appellans in eodem, quo reperitur carcere, permanebit, quoad Iudex ad quem appellatum est, visis actis, & causa cognita aliter decreuerit: & tunc si à Iudicis ad quem decreto vim diffinitiuæ habente fuerit appellatum, is nihil mandare, aut pro sui decreti exequutione attentare poterit, donec per Iudicem Superiorem aliud fuerit ordinatum.

Acta originalia processum primæ instantiæ ad Iudicem appellationis Notarius mittere non cogatur, nisi probabilis aliqua falsitatis causa, & suspitio incidat, quæ iudicialiter obijciatur, & tunc terminata causa remittenda sunt ad Ordinarium, vt in suo archiuio conseruentur.

Censura Ecclesiastica in appellantem prolata relaxari, aut nulla declarari per Iudicem appellationis non possit, nisi auditis partibus, & causa cognita, tuncque si constiterit eam iustam esse, ad Iudicem, qui excommunicauit appellans remittendus est, vt ab ipso iuxta sacros Canones, beneficium absolutionis, si humiliter petierit, debitamque emendationem præstiterit, obtineat. Si verò iniustam esse clarè appareat, superior absolutionem impendat; si autem dubitetur, honestius est, vt ad excommunicatorem infra breuem aliquem competentem terminum, ei præfigendum absoluendus remittatur, licet superior hoc id ipsum præstare iure poterit.

Absolutio ad cautelam non nisi parte citata, & visis actis, cum dubitetur de nullitate excommunicationis ab homine prolatæ, vel à iure si occurrat dubium facti, vel probabile dubium iuris, concedenda

da erit, tuncque ad tempus breue cum reincidentia, & præstita per excommunicatum cautione de stando iuri, & parendo mandatis Ecclesiæ tantum; & si iuxta formam à iure præscriptam apparebit, quem ob manifestam offensam excommunicatum fuisse, debitam etiam satisfactionem præstare, si verò ob contumaciam manifestam, expensas quoque reficere, & cauere de iudicio sisti coram excommunicatore teneatur, priusque ad cautelam absoluatur. Romæ ex sacra Congregatione die 16. Octobris 1600. Alex. Card. Florent. Hyeron. Aug. Secret.

CAPVT XXII.

De appellationibus quoad Regulares.

SVMMARIVM.

1 *Regulares an possint appellare à suis Prælatis, & Superioribus.*
2 *Regularibus non licet à suis Conuentibus sine licentia recedere.*
3 *Appellandi facultas est de iure naturæ.*
4 *Religiosi peioris conditionis esse non debent, quam alij.*
5 *Appellatio Regul. prohibita quomodo, & quando intelligatur.*
6 *Correctio secundum Regularem disciplinam non est grauamen.*
7 *Regularis potest appellare à Superiore excedente modum in corrigendo.*
8 *Constitutio Gregorij XIII. circa appellationem Regularium.*
9 *Decretum Sacræ Congregationis quoad ordinem appellandi per Regulares.*
10 *Concilium Trident. non vetat Regularibus eundi ad Superiores per viam appellationis.*
11 *Regulares non possunt appellare in causis parui momenti.*

1 Dubitatum fuit, an Regulares, & Religiosi possint appellare à grauaminibus eis illatis à suis Prælatis, & Superioribus, & videbatur dicendum, non posse per tex. in cap. ad nostram, & cap. repræhensibilis, de appellat. vbi prohibetur appellatio Regularibus à suis Superioribus, idem statuit Sixtus IV. quod Generales Fratrum Carmelitarum, & Augustinianensium administrent, & exerceant ea, quæ ad officium Generalatus pertinent, reiecta qua vis professorum sui ordinis, & aliorum sibi ratione dicti officij subditorum appellatione, quæ ab eius preceptis, monitionibus, & mandatis, ac decretis regulari disciplina quomodolibet interponi contingerit, idem statuit Eugenius IV. anno Domini 1436. pridie calend. Iulij, pro Abbatibus, & Prioribus Ordinis Sancti Benedicti Congregationis Cassi-

Cassinensis, vt habetur in Compendio eorum priuilegiorum, priuilegio decimo. Et Pius II. prohibuit, ne aliqua persona cuiuscumque status, gradus, vel conditionis audent appellare, vt habetur in Compendio priuilegiorum Mendicantium in verb. Appellare. Idem statuit Iulius II. ne sub pęna excommunicationis Fratres, & Sorores Ordinis Prædicatorum à mandatis, & ordinationibus Prælatorum dicti Ordinis appellare valeat. Iudicibus verò quarumcumque Curiarum sub poena prædicta districtè inhibuit, ne appellationes huiusmodi re-
2 cipere, aut illas cognoscere quoquomodo præsumant, & nouissimè per Concilium Trident. sess. 25. cap. 4. de Regular. est prohibitum Regularibus à suis Monasterijs, & Conuentibus recedere, etiam pretextu eundi ad Superiores nisi ab eis missi, aut vocati fuerint: & qui sine mandato prædicto in scriptis obtento repertus fuerit, ab ordinarijs locorum tamquam desertor sui instituti puniatur.

3 E contra verò videtur dicendum posse appellare; nam clarum est appellationem esse de iure naturæ, qua quis ab iniustitia, & iusto grauamine defendere se possit, recurrendo ad Superiorem, cum appellatio sit pręsidium innocentiæ Concil. Trident. sess. 13. cap. 1. de reformat. & non debet aliquo iure prohiberi; & ideò tex. in cap. ad Romanam Ecclesiam il 2. 2. q. 6. statuit, vt ad Romanam Ecclesiam ab omnibus maximè oppressis appellandum sit, & recurrendum, quasi ad matrem, vt eius vberibus nutriantur, auctoritate defendantur, & à suis oppressionibus releuentur; quia non potest, nec debet mater obliuisci filiorum suorum; vbi habetur, quod ab omnibus generaliter oppressis licitum est appellare, & nullam facit differentiam
4 inter sęculares, & Regulares; quia cum appellatio sit de iure naturali, non est alicui deneganda; tum quia Religiosi peioris conditionis esse non debent, quàm alij, immò, & melioris; tùm etiam quia licèt grauati appellare non possint, & per remedium appellationis adire, possent tamen per viam simplicis quærelæ accedere ad Superiorem grauantis, Abb. & omnes in cap. dilecti il 2. de appellat. & possent vti remedio defensionis, quam appellatio in se includit, Nauar. cons. 5. num. 6. de appellat.

5 Vnde his omnibus sic stantibus in hac quæstione dicerem, quòd licet Regularibus grauatis non sit licitum dicere, appello, & peto apostolos (prout nos clerici sęculares possumus) à correctionibus ipsis inflictis, & à statutis regularibus, vt iuribus supra allegatis; hoc tamen intelligendum est à correctione in mandatis legitimè factis; & ita intelligendæ sunt Constitutiones Summorum Pontificum prohi-
6 bentes Regularibus appellare; ratio est, vt per Abb. in cap. licet, n. 1.

de

de off. ordin. quia qui corrigit secundum regularem disciplinam, non
7 dicitur grauare; appellatio enim fundata est super grauamine, cap. vt debitus, de appellat. Si verò Superior modum regularem etiam in mandatis Regularibus excedat in corrigendo, tunc etiam Regularibus appellare licitum est, vt euidenter colligitur, ex cap. de Priore, de appellat. vbi Alexander III. mandat grauiter puniri Priorem, qui modum corrigendi excedens, appellationem non admisit sui subditi; nam, & si in corrigendis excessibus iuxta canonicas sanctiones appellationis remedium sit interclusum, cap. ad nostram, & cap. repræhensibilis, de appellat. hoc verum est, nisi corrigens modum excedat, glos. in cap. licet in corrigendis in verb. interclusum, & ibi Abb. & Dec. de off. Ordin. & Abb. in dicto cap. de Priore.

8 Et quamuis nouissimè per Constitutionem Gregorij XIII. quæ incipit, *Quoniam nostro pastorali*, editam die 8. Aprilis 1575. sit prohibitum Fratribus Minoribus de Obseruantia sub pœna excommunicationis latæ sententiæ Summo Pontifici reseruata, necnon priuationis perpetuæ officiorum per eos obtentorum, & inhabilitatis ad illa, & alia quæcumque dicti Ordinis exercenda, ac vocis actiuæ, & passiuæ eo ipso incurrendis pœnis, quas omnes tàm directè, quàm indirectè, fautores, & consultores incurrere mandat; nihilominus idem Pontifex concedit, quòd si se à Prælatis suis grauari prætendunt ad Generalem Ministrum ipsius Ordinis, seu illius Protectorem, seu Viceprotectorem in Romana Curia, vel ad ipsum Romanum Pontificem, sicut antiquitus consuetum erat, recursum habeant.

9 Verùm anno 1587. per Sacram Cardinalium Congregationem super negotijs Regularium fuit factum decretum, vt appellatio Regularium hoc modo fieri debeat, videlicet; A Guardiano ad Prouincialem; à Prouinciali ad Generalem; à Generali ad Protectorem; à Protectore ad Sacram Congregationem; & hoc modo, & ordine appellatio est permissa Regularibus, vt in Constitutione Sixti V. quę incipit, *Ad Romanum spectat Pontificem*, anno 1588.

Sed notandum est, quòd cum dicitur Superiores ad correctionem fratrum procedere posse apicibus iuris postpositis, est intelligendum, quòd sunt sublatæ omnes solemnitates iuris positiui, Alex. cons. 6. vol. 3. & Superior potest sequi solam veritatem omisso ordine iuris, Bart. in l. Æmilius, ff. de minor. facit tex. in cap. ad petitionem, de accusat. non tamen potest omittere ea, quæ sunt iuris naturalis, vt est citatio, & probationes necessariæ clem. sæpè, & ibi glos. & Cardinal. de verb. signif. quare superiores Regularium non

eximuntur à iure communi; nam ea, quæ sunt de substantia iuris non sunt sublata, vt sunt testes idonei, legitimæ probationes, exceptiones, & defensiones, ad quæ omnes tenentur, cap. 1. de constit. nec concessio hæc appellandi modo prędicto contrariatur Concilio Trident. supra citato sess. 25. cap. 4. de Regularib. siquidem Concilium
10 non prohibet Regulares recurrere ad Superiores per viam appellationis, sed tantum prohibet, quòd ad eos personaliter non recurrant sine Superiorum licentia, nisi ab eis vocati fuerint, quæ duo longè inter se differunt; non enim credendum est Concilium velle tollere à Religiosis id, quod eis competit de iure naturæ, sed solum prohibet, ne quis accedat ad Superiorem sine licentia sui Prælati; quinimò si Regularis grauatus, cuius appellationem grauans non admisit; nec ei facult. facit adeundi Superiorem, sed conijcit in carcerem, vel alio modo impedit; si verè grauatus sit, iustè sine sui Prelati licentia fugere, & Sup. adire potest, vt se à tali grauamine possit liberare, secundum Bal. in dicto cap. ad nostram, de appellat. nec ob id incurrit censuram aliquam, cum in excommunicationem non incurratur sine peccato mortali, cap. nemo, & cap. nullus 11. q. 3. quinimò per solum exitum etiam temerarium, & absque iusta causa à Monasterio non incurritur de iure communi in excommunicationem, dummodò non dimittatur habitus, nec sic eundo in apostasiam, nec Concilium transgreditur; quia intelligendum est de eo, qui non grauatus sine vlla appellatione accedit ad Superiorem eo solo, quòd prætendit sibi licere adire illum sine sui Prælati immediatè saltem petita licentia iusta de causa, & hoc prohibetur in dicto Concilio Trident. dicto cap. 4. ex Nauar. in cap. non dicatis 12. q. 1. num. 6. & in cap. nullum, 18. q. 2. num. 51. additque idem Nauar. in dicto nu. 51. in fin. quòd licet Ordinarius iustè capere posset talem Regularem per suum territorium transeuntem iuxta dispositionem dicti cap. 4. Concilij, iustè tamen retinere non poterit, si fidem faceret se grauatum appellasse, & de grauamine protestatum iter arripuisse ad Superiorem; & ideò licentiam in scriptis non deferre, quia Prelatus, à quo appellauit, eam dare noluit, vel iustè eam petere metuit, vel quia ob appellationem, vel licentiæ petitionem in carcerem coniectus aufugit.

11. Sed aduertendum est, quòd quamuis concedatur ipsis Regularibus, vt ad Prouincialem, ad Generalem, ad Protectorem, ad sacram Congregationem, & ad Papam appellare, vt supra dictum est, hoc tamen non procedit in rebus leuibus, & parui momenti, sed solùm in negotijs grauibus, & cum debita consideratione fieri debet appellatio, Gregor. Sayr. in claui regia lib. 12. cap. 17. num. 36. vers. dubium

bium

bium autem, & sequen. vbi hæc omnia reperies; quia docti viri, & graues de Religione benè meriti repræhendunt illos, qui tam facile, & pro leuibus causis recurrunt ad Superiores extra Religionem, illasque extra eam deducere conantur, vndè decor, & honor Religionis sępè minuitur.

CAPVT XXIII.

De fisco, an appellare possit.

SVMMARIVM.

1 *Fiscus an appellare possit de iure.*
2 *Constitutiones Pij IV. circa appellationem Fisci.*
3 *Instigator publicus, vel secretus tenetur cauere de expensis tàm prioris, quam vlterioris instantiæ.*
4 *Episcopi an habeant Fiscum.*
5 *Promotor Curiæ Episcopalis, an possit appellare.*

1 QVamuis Fiscus nullo iure reperiatur prohibitus appellare, vt dicunt Innoc. & Abb. in cap. cum clamor, de testib. Gabriel. commun. opin. in criminalib. conclus. 14. per tex. in l. illud la 2. ff. de appellat. Gramat. decis. 14. Carauit. super Rit. Magn. Cur. 258. numer. 2. Baiar. in addit. ad Clar. quæst. 94. num. 24. tamen de generali consuetudine totius Italiæ seruabatur, quod Fiscus non appellat, Ioseph. Ludouic. decis. Lucens. 1. num. 41. & seq. vbi dicit, quod licet de iure communi Fiscus possit appellare, de consuetudine tamen secus est, quam consuetudinem non solum in Regno Neapolitano, sed etiam in tota Italia seruari se audiuisse affirmat, prout etiam dicit vidisse seruari Perusij, & in Prouincia Marchę, & pro Tribunalibus Ecclesiasticis extat Constitutio Pij IV. quæ incipit, *Inter multiplices*, Romæ quarto nonas Iunij 1562. vbi mandat Auditori Cameræ, ne admittat appellationem Fisci ab absolutoria lata iuxta laudabilem consuetudinem hactenus obseruatam iuncta alia Constitutione eiusdem Pij IV. quæ incipit, *Cum ab ipso nostri Pontificatus*, initio Calendis Ianuarij 1562. vers. & cum ad signaturam, & vers. Non prosequatur, vbi declarando præcedentem Constitutionem, Summus Pontifex statuit, quòd non prohibeatur Fisco appellare, sed an appellationis causa sit reijcienda, vel committenda iudicabit signatura parte absoluta citata, & in omnem euentum Fisco prohibetur appellare, vbi

adest

3 adest instigator secretus, vel publicus prosequi non potest, nisi data prius cautione per eundem instigatorem de reficiendis expensis tam prioris, quàm vlterioris instantiæ in casu succumbentiæ; quod intelligendum est, parte petente cautionem, & non aliter ad tradita per Marsil. in pract. criminal. §. nunc videndum, numer. 2. & seq. & in l. vnius, §. cogniturum, ff. de quæst. Farinac. in prax. tit. variar. & diuersar. quæst. 100. num. 32. limit. 1. Baiar. ad Clar. quæst. 94. nu. 24. Marches. de commiss. appellat. in caus. criminal. part. 1. §. 1. nu. 13.

4 Hinc est, quòd cum Archiepiscopi, Episcopi, & alij Prælati, vt Patriarchæ, & Primates censeantur habere Fiscum, secundum Felin. in cap. irrefragabili, num. 11. de off. ordin. inquirens, quòd quicquid sit de iure, Episcopi habent Fiscum, ex generali consuetudine licèt impropriè; nam verè, & propriè Ecclesia vniuersalis habet Fiscum; non autem Archiepiscopi, & Episcopi; quia ista præeminentia habendi Fiscum non residet, nisi penes Papam, Imperatorem, Principes, & Ciuitates non recognoscentes superiorem, Bart. in l. 2. ff. de iur. Fisc. glos. & ibi Abb. post alios in cap. quia diuersitatem in verb. præter, de concess. præbend. Bal. in l. 1. C. de hæred. inst. & in l. 1. in fin. C. de hæred. vel act. ven. hinc est etiam, quòd nec Barones terrarum; quia recognoscunt Regem in Superiorem in Regno habent Fiscum, benè tamen habent vnum, qui conditor Curiæ vulgariter nuncupatur, & Episcopi promotorem nuncupatum, Carauit. in Rit. Magn. Cur. Vicariæ 17. num. 11. & sequen. Vnde si de iure communi Fiscus appellare potest, & tamen de consuetudine non appellat,
5 tantò minus isti coadiutores Curiarum Baronum, & promotores Episcoporum, qui censentur habere Fiscum appellare possunt, Innoc. & Abb. in dicto cap. cum clamor, num. 2. de testib. quos, & refert, & sequitur Gabriel. commun. opin. in criminal. conclus. 15. & sequen.

CAPVT XXIV.

De Nullitate.

SVMMARIVM.

1 *Appellantes communiter solent dicere de nullitate.*
2 *Nullitate pendente nihil est innouandum.*
3 *Nullitas proposita impedit exequutionem cuiuscumque sententiæ.*
4 *Sententia nulla nunquam transit in rem iudicatam.*

5 Sen-

5 *Sententia etiam nulla si quoad merita continet iustitiam potest confirmari per Iudicem appellationis.*
6 *Appellatio si est prohibita, non est vetitum dicere de nullitate.*
7 *Rescriptum Principis cum clausula appellatione remota non tollit nullitatem.*
8 *Appellatione deserta an censeatur deserta nullitas proposita.*
9 *Nullitas proposita potest prosequi vsque ad triginta annos, & quid de iure Regni.*
10 *Nullitas principaliter intentata deuoluit causam ad Iudicem ad quem.*
11 *Nullitas potest deduci coram Iudice à quo, & ad quem in electione grauati.*
12 *Nullitas sententiæ latæ per Delegatum non potest proponi coram eo, sed coram Delegante.*
13 *Nullitati sententiæ potest, ex pacto per partes renuntiari.*
14 *Nullitas notoria retardat exequutionem etiam obligationis in forma Cameræ Apostolicæ.*
15 *Nullitates insanabiles quot, & quæ sint.*
16 *Clausula supplendo omnes iuris, & facti defectus in rescripto, quid operatur.*
17 *Nullitas ex defectu iurisdictionis, an possit conualidari.*
18 *Nullitas ex defectu mandati quomodo conualidatur.*
19 *Citatio est de iure naturæ, & actus facti sine citatione sunt nulli.*
20 *Delegatus Principis si mandat Ordinario, vt eius sententiam exequatur, licet coram eo dictum fuerit de nullitate sententiæ, non tamen potest de ea cognoscere.*
21 *Sententia quando est nulla de per se, non ex defectu processus, potest confirmari per Iudicem appellationis, secus si est nulla ex actis.*

1 COmmuniter appellantes solent semper dicere de nullitate; ideò sciendum est, quòd proposita nullitate, eaque pendente, Iudex non potest aliquid innouare, l.4. §. condemnatum, ff. de re iudic. & melius secundum Ripam in dicto §. condemnatum, num. 10.
2 in l. si prætor, §. Marcellus secundum primum intellectum, ff. de iudic. quia nullitas est tantæ efficaciæ, & potentiæ, quòd impedit exe-
3 quutionem cuiuscumque sententiæ, l. fin. C. si ex fals. caus. l. 1. & ibi Bart. C. quand. prouocar. non est necess. & in Regno extat regia pragmatica, quæ incipit, *Magnæ Curiæ Vicariæ ritum;* & per Carauit. super Rit. 257. Afflict. decis. 356. num. 2. & procedit non solùm quando ageretur principaliter de nullitate, sed etiam, quando nullitas esset proposita per viam exceptionis, cum regia pragmatica non videatur distinguere, & in vtroque casu videtur eadem ratio, immò maior, cum hoc casu regul. retardet exequutionem per not. per Bart.
4 Ias. & Doct. in dicta l. 4. §. condemnatum; sententia enim nulla nun-

quam

quam transit in rem iudicatam, l. expressim, ff. de appellat. & ideò sententia lata, succumbentes ad nullitatis, & nullitatum remedium
5 recurrent, quod impedit exequutionem. Sed fallit quando licet sententia sit nulliter prolata, tamen quoad merita causæ est iusta, potest, & debet confirmari per iudicem appellationis, Caualc. decis. 22. numer. 92. Rot. Genuen. decis. 23. num. 15. Rot. Lucen. decis. 92. n. 33. Alex. cons. 73. nu. 8. & cons. 181. Negusant. de pignor. p. 3. memb. 2. num. 23. Vant. de nullit. tit. qualit. & quib. mod. sentent. n. 129. nam præsupposito, quòd sententia foret nulla, puta absque citatione, vel in die feriato, seu extra instantiam, vel ex aliquo alio defectu sententiam ipsam concernente lata; si tamen constaret eandem sententiam quoad causæ merita in se iustitiam continere, à iudice appellationis, seu nullitatis in parte, vel in toto quoad merita, & negotium principale, confirmari, vel reformari potest, Arg. l. fin. §. fin. ff. quod met. caus. vbi super debito verè exacto processus inordinatus toleratur. Vant. loc. cit. vide infra fine huius capituli.

6 Sed notandum est, quòd quamuis in aliquibus causis prohibitum est appellari, quoad effectum suspensiuum, de nullitate, tamen non est vetitum dicere; quia appellatio, & nullitas sunt remedia ad inuicem separata; nam remoto vno, remanet aliud, & remota appellatione, reliqua iuris remedia non sunt sublata, & hæc est communis Doctorum sententia Vant. de nullit. tit. quis possit dicer. de nullit. num. 33. Bal. in l. eos §. ne temere in princip. C. de appellat. & in l. contra maiores, C. de inoff. testam. & est communis opinio Dec. in cons. 535. Bart. & alij in l. planè, ff. quod vi, aut clam. & est tex. in cap. vt concertationi, vbi Franch. & alij de appellat. lib. 6. & in cap. inter cæteras, de re iudic. & cap. licet in fin. de sent. excomm. lib. 6. & in l. expressim, ff. de appellat. & sic etiam deserta appellatione, quis non prohibetur vti remedio nullitatis, Alex. in cons. 123. lib. 1. & cons. 47. lib. 5. Afflict. decis. 354. Vant. loco citato, & pendente discussione nullitatis Iudex non potest aliquid innouare; ratio est, quia sicut alias lite, vel appellatione pendente non est aliquid attentandum, & innouandum ex ratione naturali, quæ dictat; quòd dum inter aliquos de aliqua re disceptatur, & est lis, non debet per alium præiudicium inferri, Lancelot. de attent. cap. 17. num. 46. ita etiam
7 pendente discussione nullitatis supersederi debet; quia eadem ratio militat, immò si per rescriptum Principis fuerit amota appellatio, non tollitur dictio nullitatis d. cap. inter cæteras, de re iud. Doctores in cap. pastoralis, de appellat. Hippolit. de Marsil. singular. 192. glos. in cap. ex conquæstione, in verb. post appellationem, de restit. spoliat.

liat. Bart. in l. 1. §. prętor, num. 1. & 2. ff. qui satisd. cogan. Vant. loco citato.

8 Secundò notandum est, quòd deserta appellatione ex cursu fatalium, si nullitas in appellatione fuerit principaliter intenta, non censetur deserta, & pendente causa nullitatis non currunt fatalia d. l. ex-
9 pressim, de appellat. Bal. in l. tale pactum, §. qui prouocauerit, ff. de pact. & nullitas principaliter intentata potest prosequi vsque ad triginta annos per not. in l. sicut, C. de præscript. trig. annor. & notat Innoc. in cap. dilectus, de appellat. Couarr. pract. quæst. cap. 24. vbi dicit, quod deserta appellatione non censetur finita instantia ad prosequendum nullitatem, & est communis opinio Io. de Amic. consf. 6. num. 35. Natt consf. 117. num. 4. lib. 1. & alij verò qui sunt in contraria opinione, sunt intelligendi, quando non principaliter, sed incidenter fuit proposita nullitas, Lancellott. de attent. cap. 17. n. 71. Sed in Regno nullitas principaliter intentata potest prosequi, vsque ad decem annos tantum per Regiam pragmaticam Comitis de Lemos die 11. Maij 1612. per quam fuit terminus triginta annorum, qui erat de iure communi redactus, & restrictus ad decem annos.

10 Tertiò notandum est, quòd nullitas principaliter intentata, & proposita deuoluit totam causam, & negotium principalem coram Iudice superiore, prout deuoluit appellatio à sententia diffinitiua; & talis Iudex, nedum super nullitate; quinimo etiam super principali negotio potest pronuntiare, & super meritis cognoscere, & sententiam diffinitiuam confirmare, vel reformare, l. assentem, C. de accusat. l. 1. vers. sed & si, ff. quæ sent. sin. appellat. rescin. Bart. in l. 1. n. 13. & 16. C. quand. prouoc. non est necess. qui ait, quòd potest nouas probationes, & nouas allegationes audire, idem Bart. in l. sicut proponis, C. quem, & quand. Iudic. Felin. in cap. per tuas, num. 8. de sent. excom. Abb. in cap. cum Ioannes de fid. instr. Alex. consf. 179. lib. 2. Bal. in l. 2. C. de rescin. vendit. Vant. de nullit. tit. coram quo
† poss. & deb. null. pup. num. 12. Visconte in verbo nullitas fol. 205.
11 Immò est in arbitrio, & electione grauati, si vult nullitatem propositam post sententiam diffinitiuam coram eodem Iudice discutere, vel coram Iudice ad quem, l. si accusationibus, C. de accusat. & ibi glos. in verb. eundem, Felin. in cap. per tuas, de sent. excommun. Vant. loco citato, num. 8. Gaill. pract. obseruat. lib. 1. obseruat. 127. num. 16.

12 Quartò notandum est, quòd si lata est sententia diffinitiua per Iudicem delegatum, nullitas sententiæ prædictæ non potest coram eodem Delegato discuti, sed coram Delegante; quia Delegatus post-

quam pronuntiauit siue benè, siue malè functus est officio suo, & eius iurisdictio est finita, l. si vt proponis l 1. & ibi glos. & Bald. & alij, C. quem, & quand. Iud. l. qualem, ff. de arbitr. l. si de proprietate, C. si non à comp. Iudic. l. cum non eo, C. quand. prouoc. non est necess. Vant. de nullit. tit. coram quo poss. & deb. nullit. propon. quod intelligendum est dummodò Delegatus pronuntiauerit super toto negotio principali, secus super aliqua parte illius, idem Vant. loco citato, nu. 14. sed fallit in Delegato ad vniuersitatem causarum, qui Ordinario, æquiparatur, & ideò instar Ordinarij potest sententias suas nulliter prolatas emendare, & corrigere, Felin. in cap. qualiter, & quando il 1. de accusat. Abb. in cap. cum Bertoldus, de re iudic. Boer. decis. 6. Angel. in l. Iudex, ff. de re iud. Bal. in l. si vt proponis, C. quem, & quand. Van. loco citato, num. 17.

13 Quintò notandum est, quòd ex pacto inter partes inito potest renunciari nullitati sententiæ, vt de ea agi non possit, vel excipi, Angel. in l. tale pactum, §. qui pronuntiauit, ff. de pact. Imol. in cap. penult.
† de iudic. facit quod notat Bart. in l. properandum, C. de iud. de Marinis quotid. 18. resol. cap. 119. num. 9. fol. 203.

14 Sextò notandum est, quod nullitas notoria retardat etiam executionem obligationis in forma Cameræ Apostolicæ, Mandos. in tract. de inhibit. quæst. 43. num. 5. Viu. decis. 304. num. 7.

15 Septimò notandum est, quòd tres sunt nullitates præcipuè insanabiles à iure, & à Principis gratia exclusæ, videlicet, iurisdictionis,
16 mandati, & citationis; & ideò quamuis in rescripto Principis adsit clausula supplendo omnes iuris, & facti defectus; si qui forsan interuenerint, huius clausulæ virtus extenditur tantum ad defectum iuris positiui, idest circa solemnitates à iure requisitas, & non ad has tres nullitates, nisi specialiter fiat mentio de his tribus, alias nullitates prouenientes ex tribus non sunt sublatæ, Abb. in cap. 1. n. 5. de transact. glos. in clem. vnic. de sequestr. possess. & fruct. Felin. in cap. ex parte de off. delegat. quia per solum Papam tolluntur, Dec. cons. 8. n. 7. hinc est, quod in rescriptis Apostolicis solet apponi illa clausula, videlicet, nullitatis etiam ex tribus, & istæ tres nullitates tantum militat in alma Vrbe per Constitutionem Pij IV. quæ postea fuit ampliata per totum Statum Ecclesiasticum per Constitutionem Clementis VIII. quinto idus Februarij 1592. quæ incipit, *litium dispendijs*, quibus Constitutionibus cautum est, vt in quacumq; causa, & instantia Ecclesiastica, profana, ciuili, & criminali, aut mista iudicari posse, & definiri, quibuscumque nullitatibus non obstantibus præter superius tres expressas, & ad expeditionem causarum earundem procedi debere,

here, cum decreto irritanti.
17 Prima nullitas iurisdictionis est tantæ efficaciæ, & potentiæ, quod sententia lata ex defectu iurisdictionis nō potest conualidari, etiā de consensu partium, Doctores in l.extraneū, ff.de appellat. l.priuatorū. ff.de iurisd.omn.iudic.licet Bart.& glos. teneant cōtrarium in l.vnic. C.qui pro sua iurisdict. nam iudicatum dici non potest ab eo, qui ius dicendi nō habet, l.1.§.fin.ff.ad Tertull.l.1.§.hæc autē verba, ff.quod quisq. iur. & l.2.in fin. ff.de pœn. & quamuis aliquo statuto caueatur, quod de nullitate dici nequeat, tamē nullitas ex defectu iurisdictionis nō est exclusa, glos.fin. in clem. de sequestr. possess. & fruct. Felin.in cap.ex parte il 2. de offic.delegat.& in rubr.de for.comp.Dec.cons.8.
† Alex.cons.77.vol.2. vide Visconte in suis conclusionibus in verbo nullitas fol.204.
18 Secunda nullitas mandati.& quando iudicium tractatur cum falso procuratore, qui nullū habet mandatum, Bart.& Doct.in l.licet, ff.de proc. Abb.in cap.in nostra, de proc. Couar. pract.q.c.25.n.4. veruntamen si causa agitata fuerit cū asserto procurat. & lata est sententia non constito, de procurationis mandato; si tamen post sententiam constabit, substinetur sententia, Rot.decis.1.n.4. de sent.& re iudic. & hoc si non processerit protestatio; quia si pars aduersa fuerit protestata, vt assertus procurat.doceat de mādato, sententia corruet, Marches.de commis.super nullit.p.2.c.1.n.44. Marsil.l.sing.100. in fin.
†
19 Tertia nullitas est ex defectu citationis; nam cum sit de iure naturali, & diuino, quilibet actus iudiciarius factus absq; citatione est ipso iure nullus, l.de vnoquoq; ff.de iudic. clem. pastoralis de re iudic. nec sententia tenet, l.si cum illo, ff.de re iudic. Innoc.in cap. præsenti, n.4. de rescript.& in cap.quærelam, n.2. de procurat. hæc nullitas potentissima est inter alias respiciens defensionem, quæ à iure naturali prouenit, l.vt vim, ff.de iust. & iur.l.1. ff.cum arietes, ff.si quadr. pauper, fecis.dicat. quæ defensio nemini neganda est, l. defensionis facultas, & ibi Bart.C.de iur.fisc.l.10.& l.vnius, §.cogniturum, ff.de quęst.cap. cum inter, de except. solemnitas igitur citationis adeò substantialis censetur, vt si absq; ea sententia lata est ad fauorem absentis non citati, est ipso iure nulla, Bart.ad reprimendum in verb.figura. & in l.ea quidem vbi per Bal. C.quem, & quand. & in l. furioso, ff. de re iud.
† Vant. tit.de nullit. ex defect. cit. Rouit. ad pragm.in rubr. de prouocat. num.25.& 27. Guallupp. in sua praxi S. C. p.2. cap.8. num.5. fol.192.
20 Octauò notandum est, quòd quotiescumque Superior mandat iudici inferiori, sicut Delegatus Principis si mandat Ordinario, vt sen-

tentiam ipsius Delegati exequatur, quòd licet opponatur exceptio nullitatis coram Ordinario, tamen ipse non potest de nullitate cognoscere, sed tenetur exequi sententiam; quia non potest resistere mandatis Superioris, cap. significasti, & cap. sanè; de offic. delegat. Mascard. de probat. conclus. 682. num. 22.

21 Quatenus autem supra, n. 5. dixi quod sententia etiam si sit nulla, & quoad merita continet iustitiam potest confirmari per iudicem appellationis. Addi quòd hoc procedit, & habet locum, quando nullitas opposita respiceret sententiam tantum, & defectus esset solùm in ipsa sententia, & totus processus validus, quòd tunc poterit Iudex appellationis cognoscere de meritis causæ, & reformare sententiam nullam, sed quando processus est nullus, & nullitas surgeret ex processu, & ex actis, in quibus substantiatur, & fundatur sententia, Iudex nullitatis non potest confirmare, vel reformare sententiam nullam, ne sit error peior priore, Alex. cons. 53. num. 15. & cons. 79. num. 3. Dec. cons. 488. num. 8. Grauet. cons. 179. nu. 3. ex doct. Bal. in l. 2. C. de rescind. vendit. Et quamuis Muscatell. de appellat. p. 1. glos. nullit. n. 83. dicat, quòd in Regno non obstantibus nullitatibus, etiam si totum processum respicerent possunt Iudices iudicare sola veritate inspecta per Ritum Magnę Curiæ Vicariæ 285. incipit. *Isabella*, tamen contrarium est tenendum; quia dictus Ritus, vt dicit Io. Anton. de Nigr. in cap. Regni incip. *Frequens*, num. 62. non seruatur, & quod fuit localis in dicta Magna Curia, de qua expresè loquitur, sed nec ibi obseruetur, vt testatur Carauit. in d. Rit. remanet ergo dispositio iuris communis, est seruanda.

CAPVT XXV.

De recusatione Iudicis.

SVMMARIVM.

1 *IVdice sub suspecto nihil durius, quàm litigare.*
2 *Iudicia eorum à nobis sunt fugienda, quos suspectos habemus.*
3 *Iudicis recusatio iudicialiter facienda est.*
4 *Suspicio in qua parte iudicij proponenda est.*
5 *Suspicionis exceptio ante omnes dilatorias est apponenda.*
6 *Suspicio in Regno non potest allegari post conclusum in causa.*
7 *Recusatio Iudicis facta à procuratore non habente speciale mandatum, an valeat.*

8 *Pro-*

8 *Procuratores ambarum partium si consentiant in Iudicem, an earum principales possint illum recusare.*
9 *Iudex ordinarius de iure ciuili recusatus non remouetur in totum, sed datur ei adiunctus.*
10 *Concilium Prouinciale, vel Diœcesanum, an recusari possit.*
11 *Clausula recusatione remota in rescriptis Principis, quomodo intelligitur.*
12 *Commißarij deputati ad examinandum testes, an possint recusari.*
13 *Episcopus si fuerit, vt suspectus recusatus, quid faciendum.*
14 *Arbitri ad cognoscendum de suspicione, an possint eligi alibi, quam in loco Iudicis suspecti.*
15 *Vicarius generalis ex sola suspictione Episcopi, an possit recusari.*
16 *Episcopus ex suspicione sui Vicarij, an possit recusari.*
17 *Episcopus visitans, an possit allegari suspectus.*
18 *Vicarius generalis Episcopi si fuerit allegatus suspectus, quid faciendum.*
19 *Vicarius Capitularis si fuerit allegatus suspectus, quid faciendum.*
20 *Suspictionis causa proponuntur coram Iudice recusato, & non coram arbitris.*
21 *Arbitri non eliguntur in Curia Romana, sed suspicio proponitur in signatura iustitia.*
22 *Causa suspicionis qua sint remissiua.*
23 *Iudex recusatus si procedit, processus est nullus.*
24 *Suspicionis causa contra officiales in Regno, tàm Neapoli, quàm extra, vbi proponantur.*
25 *Ritus Magna Curia Vicaria 265. est correctus per Regiam pragmaticam circa suspictionem Officialium.*
26 *Votum latum à consultore; non data lista suspectorum est nullum.*
27 *Suspicio generalis omnium Doctorum Ciuitatis non admittitur.*
28 *Suspicionis causa si est frustatoria, non admittitur.*
29 *Arbitrij non eliguntur, quando causa suspicionis est iusta.*
30 *Arbiter electus in vim compromissi, an possit recusari, vt consanguineus.*
31 *Recusatio Iudicis non admittitur in crimine manifesto.*
32 *Iudex potest recusari, etiam si culpa recusantis est suspectus.*
33 *Manifestum quando dicatur.*

1 CVm nihil durius, nihilque grauius accidere possit, quam quòd sub Iudice suspecto litigare, cap. cum inter de except. l. apertissimi, C. de Iudic. iustè, sanctèque sancitum est licere Iudices suspectos recusari posse; quia etiam si nulla humana lex de hac re fuisset statuta, ratio ipsa naturalis facillimè eorum iudicia ostenderet, nobis facienda, quos propter odium inimicitiam aliasque causas su-
2 spectos habemus, aut iustè opinamur amicos esse cum his, qui nobiscum aliqua de re controuertat; & propterea legitimè possunt Iudi-

3 ces recusari, sed recusatio iudicialiter facienda est; nam libellus offerendus est in terminis iuris cõmunis, l. fin. Cod. de Iud. Ruin. cons. 6. num. 10. Doctores in dicta l. apertissimi; quia sicut protestatio facta extra iudicium parte absente, quando requiritur eius præsentia, non valet, ita nec recusatio, l. vt perfectius, C. de except. item alle-
4 ganda est suspitio ante litis constitutionem dicta l. apertissimi in
5 principio, & ibi glos. & debet esse prima exceptio, quæ opponi debet ante omnes dilatorias; quia si opponitur alia dilatoria, censetur prouocari Iudex, vt super ea pronunciet, & sic inducitur consensus in Iudicem, vnde postea non posset recusari, Lanfranch. in cap. quoniam contra vers. recusationes, de probat. per ea, quæ notant, Bart. & Doctores in l. quidam consulebant, ff. de re iudic. & glos. & Doctores in cap. inter Monasterium, de re iudic. Marant. part. 6. nu. 26. nisi post litem contestatam superuenerit aliqua noua causa suspitionis, l. non distinguemus, §. cum quidam, ff. de arbitr. Lanfranch. in
6 dicto cap. quoniam contra, de probat. Sed in Regno adest Regia pragmatica Ducis Ossuni sub die 20. Iulij 1585. qua disponitur, vt Iudices tam in Ciuitate Neapolis, quàm in Regno non possint recusari, vt suspecti per partes litigantes, etiam si fuerint fœminæ, minores, Vniuersitates, & Collegia post conclusum in causa, etiam si de nouo suspitio aliqua ad eorum notitiam superuenisse cum iuramento allegare, prout etiam de iure communi esse, dicit Marsil. in pract. crimin. §. sequens quæstio, num. 22. Host. 17. tit. de. Iudic. delegat. §. quando in princ. Viu. decis. 363. numer. 8. extat etiam alia Regia pragmatica circa suspitiones Officialium Neapolis edita per Comitem de Lemos die 3. Nouembris 1611. quam vide. Similiter non
7 valet recusatio Iudicis facta à procuratore nõ habente speciale mandatum; etiam si iuret habere talem Iudicem suspectum; quia cum in arbitrio, & in animo sui principalis consistat, absque dicto speciali mandato id facere non valet; nam absconditam sui principalis voluntatem declarare ad eum non pertinet, Alex. cons. 26. num. 6. Angel. in l. si quis intentione ambigua, ff. de iudic. Felin. in cap. 1. vt lit. non contest. Roland. cons. 19. vol. 3. Verum tamen si procuratore ambarum
8 partium de communi consensu Iudicem in Romana Curia impetrauerint, principales in partibus, illum recusare, nec suspectum allegare possunt, cap. cum olim de caus. possess. & propr. nisi nouam causam superuenisse probarent, Imol. in cap. 1. num. 8. de Iud. Iasi. in dicta l. apertissimi, nec etiam valent opponere exceptionem loci non tuti, Anchar. cons. 158. num. 19.
9 Est etiam aduertendum, quòd de iure ciuili Iudex ordinarius allegatus.

gatus suspectus, non potest in totum remoueri, sed si aliqua causa suspitionis subsit, datur ei adiunctus per tex. in auth. si verò contingerit, C. de iud. glos. in dicta l. apertissimi in verb. Iudices, vbi Bart. num. 1. & Ias. num. 4. C. de Iud. Sed in Regno non datur adiunctus, & Iudex Ordinarius in totum remouetur, & similiter delegatus, pro vt disponitur de iure Canonico, per tex. in cap. si quis contra Clericum, & ibi Abb. & Doctores, de for. compet. & idem Abbas in cap. cum speciali, de appellat. & hoc per dispositionem Regiæ pragmaticæ, quæ incipit, *Item si contingat*.

10 Possunt ergo Iudices recusari, & allegari suspecti, vt supra, quòd ampliatur, etiam in Concilio Prouinciali, & Diœcesani, quòd possunt recusari, & allegari suspecti, Abbas, Felin. & communiter omnes contra glos. in cap. 1. in verb. interrogatus de iudic. per tex. in cap. quod suspecti 3. q. 5. Menoch. de arbitr. Iudic. centur. 5. & cons. 448. Nauar. cons. 2. de appellat. Abb. in dicto cap. si quis contra clericum, num. 21. de for. compet. & in cap. sua, num. 14. de iudic. & ibi Dec. num. 95. & Felin. nu. 6. Capyc. decis. 138. & suspectus non debet interesse, quando votatur, etiam si non dat votum suum, Capyc. dicta decis. num. 5. Carauit. super Rit. 265. num. 27. & est communis opinio, quòd totum Concilium Prouinciale suspectum haberi potest, quando solus Archiepiscopus est suspectus, Crauet. de antiquit. temp. part. 1. num. 80. ratio est; quia si Archiepiscopus, qui est caput Concilij, est suspectus, totum Concilium redditur suspectum, cum ab eo dependeat, ipsoque amoto non datur Concilium.

11 Ampliatur secundò, etiam si Princeps delegasset aliquam causam, cum clausula recusatione amota; nam Principis rescripta, quæ dictam clausulam continent, strictè sunt intelligenda, nempè, de friuola suspitione, non autem, de graui, vt post Speculat. Anton. de Butr. Ias. & alios tradit, Natt. cons. 174. incip. viso, num. 5. lib. 1. Lancelott. de attent. part. 2. cap. 6. nu. 33. sicut de clausula appellatione remota, quæ cum hodie apponatur potius de stylo generali, quam de ministerio speciali, sonat potius in quandam monitionem, videlicet, vt non deferatur appellationi friuolæ, & frustratoriæ, quàm quòd in aliquo deroget iuri communi; ita quòd aufert solùm friuolas, non autem legitimas appellationes, & à iure permissas, vt post alios tradit Imol. in cap. vt debitus, num. 9. de appellat. quod etiam dixit Mansuer. in prax. iudicial. in tit. de appellat. colum. 11. vers. item quando dicitur in litteris, Lancellott. de attent. part. 2. cap. 12. limit. 8. num. 38. & 39. sic etiam de clausula, remotis omnibus exceptionibus, nam de friuolis tantum intelligi debet, Felin. in cap. ex parte

il 2. de appellat. Alex. conf. 95. numer. 2. vol. 1.

12 Ampliatur tertiò in commissarijs deputatis ad examinandum, & recipiendum depositiones testium, qui vt suspecti recusari possunt; nam ex eis pendet omnis victoria, nempè, ex probationibus, non tamen hoc casu arbitri sunt eligendi, sed recurritur ad delegantes eos, & sufficit solum iuramentum partis, Anchar. cons. 263. Alex. cons. 104. Afflict. in Constitut. Regn. Iustitiarij per Prouincias, num. 5. sed in Regno requiritur aliqua suspicionis causa, & non curatur, quod non sit vrgens; quia minima sufficit ad remouendum actuarium, quae causa relinquitur arbitrio Iudicis, Carauit. in dicto Rit. 265. num. 8. Muscatell. in prax. sacr. Reg. Consil. part. 5. glos. suspectu, num. 9. & 11.

13 Sed quarto, quando Episcopus est aliqua causa allegandus suspectus, quid faciendum erit? Resp. quòd in recusatione Episcopi, causae suspicionis proponi debent coram eodem Episcopo recusato, & eliguntur arbitri, vnus scilicet ab ipso recusatore, & alius ab Episcopo recusato, & arbitri electi cognoscere debent, an causae suspicionis militent, cap. cum speciali, de appellat. & ibi Doctores, & si arbitri inter se fuerint discordes, debent ipsi tertium adhibere intra competentem terminum praefigendum ab Episcopo recusato, cap. legit. de appell. lib. 6. quae causae si non probantur, aut illigitimae fuerint iudicatae, tunc causa vel ad Episcopum remittitur, aut illam Episcopus alteri committit de consensu tamen recusatoris, vt in dicto cap. cum speciali in fin. & ibi glos. in verb. de recusatoris, si verò per arbitros fuerit pronuntiatum causas suspicionis, vel aliquam earum militа-
14 rem, & legitimas esse, causa deuoluitur ad Superiorem; & notandum est, quòd recusans potest eligere arbitrum alibi, quàm in loco Iudicis recusati, dummodò non in loco valdè remoto, idest vltra dietam legalem, Abb. in cap. secundo requiris, num. 7. de appellat. vbi dicit, quòd sepè Iudex recusatus est potens in loco, vt Episcopus, & recusans non habet idoneos arbitros in loco, nisi posset alibi eligere.

15. Sed an si Episcopus ex aliqua causa erit suspectus, possit ex eadem causa recusari eius Vicarius generalis? Respond. affirmatiuè, licèt in specie nulla causa suspicionis sit contra Vicarium, Salicet. in l. vnica, C. si quacumque praed. potest vbi etiam Socc. Ias. in dicta l. apertissimi, C. de iudic. Innoc. Imol. Abb. & Felin. in cap. insinuante, de offic. delegat. Franc. in cap. non putamus, de consuetud. lib. 6. idem Franc. in cap. si contra, de offi. delegat. lib. 6. & in cap. dilectus, de appellat. Rip. in cap. 1. de iudic. Capyc. decis. 137. num. 9. Redoan. de reb. Eccl. non alien. cap. 3. num. 29. quicquid dixerint aliqui in con-

contrarium, quos refert Iacob. Sbroz. de offic. Vicar. lib. 3. quæst. 14. vbi dicit interponendam esse appellationem à non admissione recusationis; quia generaliter, vbi superior est suspectus, sunt quoque suspecti eius officiales per tex. in cap. visis litteris 16. q. 2. in illis verbis. Humani moris est illum vereri, cuius iudicio, & voluntate nunc erigitur, nunc deprimitur, quasi quod Vicarius Episcopum timet, à quo creatus fuit, & potest ad libitum amoueri, Abb. in cap. quoniam Abbas num. 2. de off. delegat. Lancilott. de attent. part. 2. num. 38. & ob huiusmodi metũ Vicarius trahit ad voluntatem Episcopi recusati; tùm etiam quia Vicarius facit idem tribunal cum Episcopo, cap. Romana, de appellat. lib. 6. ideò sicut Episcopus recusatur, pari ratione recusari potest eius Vicarius, qui habet idem tribunal cum eo; Fallit tamen nisi causa esset delegata per Episcopum, non tamquam Vicario, sed tamquam Delegato, Card. in clem. 2. de rescript. Felin. in dicto cap. insinuante, de off. delegat. quia tunc Vicarius non facit idem tribunal cum Episcopo, ex quo à Vicario sic delegato ad Episcopum appellari potest, Io. Andr. in cap. dilecti il 3. in glos. in vers. quod non erat de curia, de appellat. vbi Abb. num. 18. & cum sit diuersum tribunal, nimirum si Vicarius non potest recusari suspectus, licèt recusatus fuerit Episcopus.

16 Et è contra, an si Vicarius recusetur, vt suspectus possit Episcopus recusari? Respond. quòd licèt nonnulli teneant opinionem affirmatiuam, vt Salicet. in dicta l. vnic. C. si quacumque præd. leg. potest Dec. in cap. 1. num. 17. de offic. delegat. per eandem rationem, quod Episcopus, & Vicarius habent vnum, & idem tribunal; & ideò recusato Vicario Episcopi potest etiam recusari ipse Episcopus, sicut recusato assessore, Iudicem quoque recusari posse dicit, Abb. in dicto cap. 1. de off. delegat. quem refert, & sequitur Dec. ibi num. 17. tamen contrariam opinionem, & veram tenet Bal. in dicta l. vnica, Angel. in l. aduersus, C. si aduers. rem. iudic. Ias. in dicta l. apertissimi, nu. 9. C. de iudic. Franc. in cap. dilecti, de appellat. & in cap. si contra, de off. delegat. lib. 6. nec obstat, quòd Episcopus, & Vicarius faciunt vnum tribunal, cum loquantur, de Vicario non Episcopali; nec valet argumentum ab assessore ad Vicarium, cum assessor ob Iudicis imperitiam constituatur, Abb. in dicto cap. 1. num. 14. de off. assess. & verisimile est, quòd Iudex imperitus sit suspectus, ne sequatur assessoris suspecti opinionem: sed hoc non cadit in Episcopo, Iacob. Sbroz. de off. Vic. lib. 3. q. 15.

17 Item quæro, an Episcopus visitans possit recusari, vt suspectus? Respond. quod de iure non reperitur prohibita recusatio immò permis-

sa,

sa, Abb. in cap. secundo quæris, de appellat. sed refertur per sacram Congregationem Concilij Trident. fuisse resolutum, quòd Episcopus visitans non possit recusari, si voluerit visitare ad morum correctionem non compilato processu, quo casu non potest imponere pœnam ordinariam, sed si voluerit visitare compilato processu, & imponere pęnam ordinariam; quòd sicut isto casu datur à iure appellatio, ita etiam potest allegari suspectus; nam Concilium Trident. sess. 24. cap. 10. de reform. non habet locum, quando fabricato processu, & ad pęnam ordinariam Episcopus prçcedit. Sed post hæc scripta, peruenit ad manus quodam Breue S. D. N. Pauli V. transmissum ad Episcopum Portucalensem tenoris sequentis: Venerabilis frater salutem, & Apostolicam benedictionem. Fraternitatis tuæ nomine, nobis nuper expositum fuit, quod visitationes, quæ in tua Diœcesi in vim decretorum Concilij Trident. & aliàs legitimè fiunt, sępius impediuntur; eo quia visitati, Prælatum seù alium legitimè visitantem, suspectum allegant, in magni diuini cultus, præsertim, & fabricæ Ecclesiarum præiudicium. Quamobrem nos huiusmodi abusum tollere volentes, supplicationibus tuo nomine super hoc humiliter porrectis inclinati, de consilio venerabilium fratrum nostrorum, S. R. E. Cardinalium Sacri Concilij Trident. interpretum Apostolica authoritate tenore pręsentium declaramus, Episcopum, vel alium, cui id legitimè competit visitantem non posse, vti suspectum recusari, non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cæterisque in contrarium facientibus quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die 29. Octobris 1610. Pontificatus nostri anno 6. S. Cobellutius. Venerabili fratri nostro Condizaulo Episcopo Portucalensi.

18 Et notandum est, quòd in recusatione Vicarij generalis non eliguntur arbitri ad cognoscendas causas suspitionis, sed causæ debent proponi coram Episcopo, cap. si contra vbi Anchar. & Archid. de offic. delegat. lib. 6. Ias. in dicta l. apertissimi, C. de iud. Host. in cap. legitima, de appellat. lib. 6. & in cap. non putamus, num. 7. de consuetud. lib. 6. glos. in §. fin. in verb. ad Episcopum Instit. iur. Canon. Lancelott. de offic. Vicar. Bal. in l. 1. C. si quacumque præd. potest, Redoan. de reb. Eccles. non alien. q. 22. cap. 3. num. 27. & ratio est; quia recusatio Vicarij concernit eius personam, nec quoad illam facit idem Tribunal cum Episcopo, & non prohibetur cognoscere causas recusationis sui Vicarij, sicut prohibetur cognoscere causas appellationis, Card. in clem. 2. numer. 28. de rescript. quod intelligitur, si Episcopus est in Diœcesi, vel propè absens, secus si in remotis; quia tunc

tunc eliguntur arbitri in forma iuris, sicut cognoscerent de suspitione Episcopi, Gemin. in dicto cap. si contra, nu. 7. vbi Anchar. & Franc.
19 de off. delegat. Iacob. Sbroz. de offic. Vicar. lib. 3. quæst. 16. Sed quid agendum sit, quando allegaretur, ex aliqua causa suspectus Vicarius à Capitulo deputatus Episcopali Sede vacante? Resp. quòd eo casu est recurrendum ad ipsum Capitulum, quod potest eligere arbitros ad cognoscendum causas suspitionis, quæ proponendæ sunt eo modo, quo Episcopus potuisset; & ita Sacra Congregatio censuit, quod si causæ suspitionis militauerint, eo casu potest Capitulum illas causas à Vicario auferre, & alteri committere. Quarant. in summ. Bullar. in verb. Capitulum Sede vacante num. 5.

20 Quatenus autem supra dictum est, quòd in suspitione Iudicis Ecclesiastici eliguntur arbitri ad cognoscendum causas suspitionis, est notandum, quòd si causa suspitionis non fuerit proposita coram Iudice, non potest postea proponi coram arbitris, Speculat. tit. de recusat. in prima part. §. effectus, vers. item quid si, & ibi Bal. in addit. quia causa suspitionis debet allegari, & proponi coram Iudice recusato, & probari coram arbitris.

21 Verum tamen in alma Vrbe in Curia Romana non eliguntur arbitri, sed suspitio Iudicis ordinarij, siue delegati proponitur coram Summo Pontifice in signatura iustitiæ, quæ prouidet, vel de alio Iudice, vel dat adiunctum; & extra Vrbem in statu Ecclesiastico suspitio allegatur coram Præsidibus Prouinciarum, si adsunt; sin minus coram Sacra Consulta, vt refert Sigismund. Scaccia in tract. de Iudic. caus. ciuil. & criminal. cap. 101. num. 28.

22 Causæ suspitionis multæ sunt, veluti inimicitia, affinitas, iuris imperitia, causæ magnitudo, & aliæ multæ, quæ enumerantur per Aufrer. in tract. de recusat. Specul. in tit. de Iud. delegat. §. superest. Ias. in dicta l. apertissimi, C. de Iudic. Marant. in specul. p. 6. actu 2. numer. 24. cum seqq. & licet per Doctores enumerentur multæ causæ, per quas possunt Iudices recusari, tamen multæ aliæ possunt accidere, quæ iustiores essent illis, quæ à iure expressæ reperiuntur, & relinquuntur arbitrio boni viri, qui si malè arbitrabitur, potest appellari, Abb. in dicto cap. cum speciali, de appellat. num. 28.

23 Effectus autem recusationis est, vt post propositam suspitionem Iudex recusatus supersedere debet, nec ad vlteriora procedere, aliàs processus esset nullus, Alex. latè in l. quia poterat, ff. ad Senatuscons. Trebell. Cappell. Tholos. decis. 478. Bart. & Doctores in dicta l. quia poterat, Marant. part. 4. dist. 16. num. 4. & part. 6. actu 2. de appellat. num. 24. quicquid dixerit Caruit. in Rit. 265. num. 3. quia

con-

contra ipsum est tex. in cap. quoties Episcopi 2.q.6. & ibi glos. in verb. appellent; quia per solam propositionem recusationis suspenditur iurisdictio Iudicis recusati; & adeò inficitur, quod non solum causam committere potest sine recusatoris consensu, sed nec in ea procedere, nisi prius discutiatur articulus recusationis, vt benè probatur in cap. cum speciali, de appellat. & in cap. legitima, eod. tit. lib. 6. adeò quod si recusans fuerit postea citatus ab ipso Iudice recusato non tenetur comparere; quia talis citatio tanquam temeraria non arctat citatum ad comparendum; citatio enim est processus attentatus contra iuris ordinem, cum prius debeat pronunciari super recusatione, l. prolatam, C. de sent. Alex. in dicta l. quia poterat, hinc est, quod si Iudex ordinarius, vel delegatus excommunicauit aliquem, qui ipsum suspectum allegauerat, excommunicatio est nulla, tanquam lata à non Iudice, Arg. dicti cap. quoties Episcopi, & ibi glos. in verb. appellent, 2.q.6. Lap. allegat. 1. Socc. in cap. Sacro, de sent. excomm. Gregor. Sayr. de censur. lib. 1. cap. 16. num. 14.

24 In Regno autem in Ciuitate Neapolis, quando allegatur suspectus aliquis Consiliarius, Præsidens, vel Iudex Magnæ Curiæ Vicariæ obseruatur Regia pragmatica Caroli V. quæ incipit, *Statuimus etiam*, sub tit. de suspic. Official. & sic etiam obseruatur eadem Regia pragmatica, si allegatur suspectus aliquis Regius Auditor in Prouincijs, & non obseruatur Ritus Magnæ Curiæ 265. si verò allegaretur suspectus aliquis Officialis Terræ Regiæ, vel Baronis, suspicio non proponitur coram Diœcesano, prout disponebat prædictus Ritus

25 265. qui hodie non obseruatur, sed obseruatur alia pragmatica, quæ incipit, *Semo auisati*, sub tit. de suspic. Official. & sic suspicionis causæ contra Officiales Baronum debent proponi in Regijs Audiētijs Prouinciarum, vt latè per Carauit. in dicto Rit. 265. num. 2. etiam si Baro haberet cognitionem secundarum causarum, quicquid dicat Muscatell. in prax. Sacr. Reg. Consil. in glos. competentes, num. 56. dum conatur defendere, causas suspicionis Officialium Baronum proponendas, & discutiendas esse coram ipsis Baronibus contra Carauit. nam clarè cantat dicta Regia pragmatica contra eum, quæ disponit suspicionis causas proponendas esse coram Regijs Officialibus.

26 Item notandum est, quod si per Iudicem est eligendus Doctor ad votandum in aliqua causa, dictus Doctor potest allegari suspectus, † Angel. cons. 182. Bal. in l. 1. C. de relat. Muscatell. in 2. Instantia in glos. demandatur num. 61. fol. 33. vbi dicit Iudicem non posse aliquo modo facere electionem de consultore, nisi citatis partibus ad dandam listam suspectorum, quem sequitur Franch. in dicto cap.

cum

cum speciali, de appellat. alias votum erit nullum. Viu. decis. 363. & pars citata ad dandam listam suspectorum non potest allegare su-
27 spectos omnes Doctores Ciuitatis; quia suspicio generalis nō admittitur, Viu. in tract. commun. opinion. opin. 332. Boer. decis. 269. Annib. Troisi. super pragmat. Odia litium, quæ inter coniunctos, n. 72. Ias. in dicta l. apertissimi, C. de iudic. Ann. singul. 276.
28 Similiter est notandum, quod si causa suspicionis est euidenter frustratoria, non tenetur Iudex eam admittere; sed debet spernere,
29 sicut è contra, quando causa suspicionis proposita est iusta, & rationabilis, & notoria, non est necesse arbitros eligere, Abb. in dicto cap. cum speciali in fin. de appellat.
30 Item notandum est, quòd arbiter electus ex causa compromissi in terminis Regiæ pragmaticæ, quæ incipit, *Odia, quæ inter coniunctos*, non potest recusari tamquam consanguineus compromittentis, Vinc. de Ann. allegat. 72. vbi dicit, ita fuisse decisum per sacrum Regium Consilium iunctis aulis; sed benè possunt arbitri electi recusari ex alia causa superueniente etiam culpa recusantis, l. non distinguemus, §. cū quidam, ff. de arbitr.
31 Et non est omittendum, quòd licet suspendatur iurisdictio iudicis legitimè recusati, si tamen recusans perpetrauerit aliquod crimen adeò manifestum, quo ipso actu meritò sit damnandus, non admittitur recusatio; ratio est, quia si Iudex in delictis notorijs potest esse Iudex in facto proprio, cap. 1. de pęn. lib. 6. Abb. in cap. 1. de cler. excomm. ministr. dummodò tamen sit imposita, & determinata pęna à lege, Abb. in cap. proposuit, num. 5. de appellat. tantò magis in crimine Subditi manifesto, quando statuitur à lege, sed si pęna esset arbitraria, tam in causa propria, quàm alterius admittitur recusatio,
32 Abb. in dicto cap. proposuit, & additio, item Iudex potest recusari, etiam si culpa recusantis esset suspectus, Innoc. in cap. exhibita, de iudic. licet glos. in cap. vt debitus, de appellat. videatur tenere contrarium, quæ communiter per Doctores in cap. si iustus metus, de appellat. repræhenditur, & habetur per Io. And. in cap. legitima eod. tit. & in cap. si contra, de offic. delegat. lib. 6. Bart. in l. qui bona, §. si quis, de damn. infect. Manifestum autem illud dicitur, quod
33 per confessionem, vel per probationem legitimè notum fuerit, aut per euidentiam rei, quæ nulla tergiuersatione celari potest, cap. cum olim, de verb. signif. vide Nauar. in Manual. cap. 21. numer. 55. & cap. 25. num. 73.

CA-

CAPVT XXVI.

De Libellis Famosis.

SVMMARIVM.

1 Libelli famosi patrator qua pœna puniatur.
2 Libellos famosos conficientes, de iure canonico sunt excommunicati.
3 Libellos famosos inuenientes debet statim illos lacerare.
4 Pœna conficientium libellos famosos quæ sit in Regno.
5 Pęna contra conficientes libellos famosos in statu Ecclesiastico, quæ sit.
6 Libellos famosos conficiens ad infamiam status alicuius Religionis est excommunicatus, & suspectus de hæresi.
7 Libellum famosum conficiens contra aliquem particularem Religiosum qua pœna est puniendus.
8 Libellum famosum conficiens in foro conscientiæ tenetur ad restitutionem famæ, & damni.
9 Verba sacræ Scripturæ non debent retorqueri ad libellos famosos.
10 Macriatas perpetrantes in Regno qua pęna puniuntur.

1 Grauissimum scelus committunt, qui diuulgant libellos famosos ad infamiam alicuius; & ideò talium libellorum authores per leges ciuiles, etiam si contenta in libello sint vera, vel falsa, pęna mortis puniri iubentur, l.1. C. de famos. libell. Roman. cons. 96. num.3. Couar. var. resolut. lib. 11. num.6. licet Cyn. & Salycet. in dicta l.1. & Archid. in cap. de, prima 5. q.1. & Specul. tit. de interess. & damn. dat. vers. itera, quod cantasti, velint, quod quando contenta in libello sunt vera, author non debet aliqua pęna puniri, nam veritas est in contrarium, Carauit. super Rit. Magn. Cur. 311. in fin. glos. prima in l. eum, qui nocentem, ff. de iniur. Vinc. de Franch. decis. 533. num.7. vt autem dicta pęna delinquentes puniantur, non requiritur, quod libellus sit affixus, sed sufficit illum reperiri, siue domi, siue in publico, siue in quocumque loco, vel priuato, & istud procedit maximè; quia pęnā libelli famosi nemo tenetur, nisi dolo malo fecerit, ediderit, composuerit, vel ab alio factum non lacerauerit, sed alijs dolo malo publicauerit, & manifestauerit, vt est tex. in l. lex Cornelia, §. si quis librum, ff. de iniur. quæ pęna quamuis sit capitalis extenditur tamen ad edentes, scribentes, & retinentes li-
2 bellos famosos, Baiard. in addit. ad Clar. quæst. 68. num. 64. sed per leges Ecclesiasticas est pęna excommunicationis, cap. quidam maligni,

ligni, & cap. si qui inuenti 5. q. 1. cap. qui alterius 5. q. 1. Foller. in pract. canon. Crim. in verb. si confessi, aut conuincti extiterint, numer. 161.

3 Inuenientes autem huiusmodi libellos, scientes esse infamatorios, si statim antequam alijs manifestent, non lacerauerint aut comminuerint, habentur tamquam cooperatores, & puniuntur eadem pęna capitali, cap. qui in alterius 5. q. 1. & est communis sententia Doctorum, Plac. lib. 1. delict. cap. 3. num. 2. Clar. quæst. 68. num. 26.

4 In practica verò, vt testatur idem Clar. loco citato non imponitur pęna mortis naturalis; sed alia extraordinaria, puta fustigationis, ictuum funis, & ad summum triremium, quæ practica in statu Mediolani potest esse, in quo scripsit dictus Clar. sed in Regno Magna Curia Vicariæ, & alij iudices semper imponunt pęnam mortis naturalis conficientibus libellos famosos, Vinc. de Franch. decis. 533. etiã quòd libelli non sunt affixi in locis publicis: sed sufficit reperiri domi, vt supra dictum est, vel in alio quocumque loco, vt in dictá l. 1. & in dicta decis. de Franch.

5 In statu autem Ecclesiastico in materia libellorum famosorum & litteratarum nuncupatarum *de auisi* continentium alicuius famę lęsionem adsunt duæ Constitutiones, vna Pij V. quæ incipit, *Romani Pontificis prouidentia*, Data Romæ die 19. Martij 1572. & altera Gregorij XIII. quæ incipit, *Ea est rerum*, Data Romæ die primo Septembris anno primo eius Pontificatus, in quibus conficientibus tale scelus imponitur pęna mortis.

6 Qui verò contra statum alicuius Religionis in communi famosos libellos confecerit, est de hæresi suspectus; vnde si quis libellos famosos in vulgari, vel latino sermone, nec non cantilenas, vel rithmos fecerit contra statum Ordinis Prædicatorum, vel Minorum, est excommunicatus, & absolui non potest, nisi personaliter se præsentet Sedi Apostolicæ per Constitutionem Alexandri IV. quæ incipit, *Ex alto*, & per alteram incipientem, *Non sine multa*, quas refert Syluest. in verb. excommunicatio 7. numer. 48. Medin. lib. 1. Instruct. Confess. cap. 14. num. 35. quæ Constitutiones extenduntur etiam ad alios

7 Ordines, & Religiones per communicationem priuilegiorum. Verum tamen si quis libellum famosum confecerit contra aliquem priuatum Religiosum, eiusque personam tantum infamando; quamuis enim grauissimè peccet, huiusmodi tamen excommunicationem non incurrit, Medin. loco citato, concessa namque sunt prædicta priuilegia in fauorem Religionis in communi, & non alicuius Religiosi in particulari.

E Et

8 Et notandum est, quòd quoad forum interius author famosi libelli tenetur ad famæ, & honoris restitutionem, & ad damna, quæ inde sequuta sunt resarcire, famam autem restituere debet, vel conficiendo alium libellum contrarium, vel publicè cantando palinodiam, vel alio modo iudicio prudentis Confessarij, qui pro ratione facti, & aliarum circumstantiarum id consulere debet, quod conuenientius fieri possit, Nauar. in Manual. cap. 18. num. 42. cum sequentibus.

9 Item notandum est, quòd qui retorquet verba, & sententias Sacræ Scripturæ ad scurrillia scilicet famosa; vana, adulationes, detractiones, superstitiones impias, & diabolicas incantationes, diuinationes, sortes, libellos etiam famosos debent, & possunt puniri pęnis arbitrio Episcopi, vt habetur in Concilio Trident. sess. 4. in decreto, de editione, & vsu sacrorum librorum.

10 Demum est notandum, quòd in Regno perpetrantes macriatas, puniuntur pęna mortis naturalis per Regiam pragmaticam Don Parafan de Ribera sub tit. de iniur. quæ pragmatica incipit, *Per quanto in la Città di Napoli*.

CAPVT XXVII.

De Clericis, an habeant electionem fori.

SVMMARIVM.

1 *Clerici, & personæ Ecclesiastica, an habeant electionem fori in criminalibus.*

2 *In iuria facta Clerico potest inquiri, ex officio, & iniurians puniri.*

3 *Fori electione, vel variatione facta per Clericum Iudex non potest procedere in causa.*

4 *Clerici in ciuilibus pro bonis Ecclesiæ habent electionem fori.*

5 *Clerici an habeant electionem fori pro bonis proprijs, & patrimonialibus.*

6 *Bona Clericorum gaudent eodem priuilegio, quo res Ecclesiæ.*

1 Clerici in criminalibus causis, quod habeant electionem, & variationem fori, quemadmodum viduæ, pupilli, virgines sine † patre, & alij priuilegiati, non est dubitandum. Capiblanc. de Baronib. pragm. 8. p. 1. num. 304. cum seqq. fol. 243. quia per capitula Regni personæ Ecclesiasticæ æquiparantur pupillis, & alijs miserabilibus personis: præsertim in iudicijs criminalibus, vt ex cap. quod incipit. De iniurijs sub rubric. de differentijs, & ex cap. Pridem per diuersis,

uersas; & in cap. si temporum, immò Rex Robertus in cap. iniunxit nobis ponit sub protectione Magistri Iustitiarij Ecclesias, personas Ecclesiasticas, viduas, pupillos, & orphanos; & mandat, quòd si opprimuntur, vel grauentur, ex officio procedant, & inquirant, & idem statuitur in Cap. Regn. vt delatas; ideò quotiescumque personæ Ecclesiasticæ fuerint offensæ, vel eis illata aliqua iniuria, habent fori electionem, vt per Vincent. de Ann. plenissimè allegat. 146. lib. 2. Vinc. de Franch. decis. 597. Viu. decis. 27. ratio est, quia iniuria facta cleri-
2 co est facta Ecclesiæ, & Deum tangit, cap. nulli 3. q. 1. hinc est, quod potest deduci in iudicio ab omnibus, tamquam publicum crimen, l. si quis in hoc genus, & ibi Bart. C. de Episcop. & cler. & ex officio potest procedi contra iniuriantem personas ecclesiasticas, Viu. dicta decis. 27. Vnde fori electione, vel variatione facta per clericum, Iu-
3 dex non potest in causa ipsa procedere, licet litteræ inhibitoriales non fuerint præsentatæ, sicut est in vidua, pupillis, & alijs personis priuilegiatis, Vinc. de Franch. decis. 294. & dicta decis. 597. vbi dicit fuisse decisum clericum in criminalibus habere electionem fori.
4 In ciuibus autem non dubitatur pro bonis Ecclesiæ clericos habere electionem fori, Doctores in cap. cum sit generale, de foro compet. Afflict. decis. 257. vbi Vrsill. & in Regno adest Rit. magnæ Cu-
5 riæ 229. vbi Carauit. Sed dubium est, an pro bonis proprijs, & patrimonialibus, & de iure communi non est dubitandum; quia bona cle-
6 ricorum gaudent eodem priuilegio, quo bona Ecclesiæ, cap. Ecclesiarum, ibi glos. in dicto cap. cum sit generale, num. 4. & istud priuilegium est concessum à iure, non tantum personis, sed etiam bonis, & rebus Clericorum, facit tex. in cap. si clericus, de for. compet. vbi nulla allegata oppressione, ex quo constat rem esse clerici, quòd possit conuenire laicum coram iudice Ecclesiastico; ergo fortius coram iudice seculari ad eius libitum eligendo, & ita tenet Marant. cons. 126. per totum. Sed in Regno per Ritum Magnæ Curiæ Vicariæ 229. obseruatur, quòd clerici pro bonis Ecclesiæ tantùm, & non pro bonis proprijs, & patrimonialibus habent electionem fori, & ita fuit decisum in sacro Regio Consilio, Vinc. de Franch. dicta decis. 597. super qua materia cum disertissimè scripserit Io. Maria Nouarius amplius me non extendo.

(.·.)

CAPVT XXVIII.

De Concubinarijs.

SVMMARIVM.

1 *Concubinatus est graue peccatum.*
2 *Concubinarij non sunt absoluendi, nisi concubinam prius eijciant.*
3 *Concubinariorum pęnæ variæ de iure canonico.*
4 *Pęnæ contra concubinarios per Concilium Trident.*
5 *Clericus concubinarius quis dicatur.*
6 *Clericus concubinarius quot peccata committit.*
7 *Pœna contra Clericos concubinarios.*
8 *Pœna imposita per Concilium Trident. contra Clericos concubinarios, an possit imponi etiam pro simplici fornicatione.*
9 *Monitio contra Clericos concubinarios debet esse particularis, & nõ generalis.*
10 *Lex noua imponens nouas pęnas non tollit pęnas veteres.*
11 *Concubinarius notorius quis dicatur.*
12 *Diuina officia, an liceat audire à concubinario publico.*
13 *Concubinarij notorij, an sint irregulares.*
14 *Clerico concubinario priuato fructibus beneficij, an relinquendi sint aliqui fructus pro alimentis.*
15 *Male meriti ęgestate laborare debent.*
16 *Crimina carnis quanto tempore præscribantur.*

1 Concubinatus est graue peccatum; quia homo non solùm peccat, sed semper manet in statu peccati, & cum proposito continuo saltem virtuali peccandi, vnde in foro pęnitentiali nullo modo concubinarij sunt absoluendi, quin prius concubinas eijciant, quam-
2 uis sint in articulo mortis constituti, nisi vrgeat mors, & tempus desit; quia tunc sufficit propositum expellendi, sed extra articulum mortis primò sunt eijciendæ, & si domi retinent ipsas concubinas, aliqua experientia est sumenda, de eorum continentia ante absolutionem, præsertim si concubinarius sępè proposuerit se contenturum, & non continuerit, nec tam perfecta contritio in eo appareat, Tolet. de instruct. Sacerdot. lib. 5. cap. 10. numer. 12. Nauar. cap. 3. num. 16. & cap. 16. num. 20. cum maxima namque difficultate concubinarij dimittunt concubinas; quia legitur, de quodam concubinario, qui cum esset infirmus, & Confessarius eum absoluere nollet, nisi concubinam, de domo expelleret, ille assensit; sicque sumptis cum

cum lacrymis sanctissimis Sacramentis decessit; cumque postea Confessarius, qui vir bonus, & sanctus erat pro eo oraret, putans ad purgatorium transisse propter pœnitentiam, apparuit quadam vice ei, asserens se damnatum esse, eo quòd fictè pœnituit, intendens concubinam reassumere, si superuixisset; quod exemplum refert Sanctus Antonin. in summ. part. 2. tit. 5. capit. 2. §. 2.

3 Et licet de iure Cæsareo olim concubinatus videbatur permissus, l. in concubinatu, ff. de concubin. & euidentissimè demonstrat Cardinal. Paleottus in tract. de noth. & spur. cap. 12. secus tamen est de
4 iure canonico, quo omninò est prohibitus, cap. omnes 32. quæst. 7. cap. nemo 3. q. 4. & per Concilium sess. 32. cap. 8. de reformat. matrim. vbi statuitur, & determinatur, vt ab Episcopo concubinarij ter admoniti, & nisi resipuerint, excommunicentur: & si in concubinatu censuris neglectis permanserint, contra eos seuerè pro qualitate criminis procedatur; mulieres verò siue coniugatæ; siue solutæ, quæ cum adulteris, siue concubinarijs publicè viuunt, si ter admonitæ non paruerint, ab Ordinario ex officio grauiter puniantur, & extra Oppidum, vel Diœcesim ab eodem Ordinario inuocato auxilio brachij sęcularis, si opus fuerit, eijciantur: & hæc quoad laicos concubinarios.

5 Quò verò ad Clericus notandum est, quòd Clericus concubinarius ille propriè dicitur, qui solutam mulierem, vel corruptam, nulloque sibi spiritualis, vel carnalis cognationis vinculo coniunctam domi retinet, vel etiam in aliena domo; dummodo cum ea soleat carnaliter commisceri, si diffamatus est in sua, vel ipsius fœminæ vicinia, Diaz. in pract. criminal. cap. 79. numer. 1. per glos. Cardin. & Dyn. in l. concubinam, ff. de concubin. populus enim siue domi, siue extra Clericus habeat concubinam, vocat eum, & reputat concubinarium; ideò contra eos seuerè procedendum est, quandoqui-
6 dem non vnum, sed plura scelera hi committunt; nam sunt adulteri, cum in Sacrorum ordinum assumptione dicuntur suscipere Ecclesiam in sponsam, cui implicitè spondent continentiam. Secundò committunt sacrilegium, cum Deo dicati, & Sacrati sint, & per carnalem copulam à Deo separentur. Tertiò committunt crimen stu-
7 pri, & Quartò incestum; ideò eorum pęnæ in foro contentioso multæ sunt de iure canonico statutæ; nam Clerici concubinarij sunt ipso iure suspensi ab officio, & beneficio, Abb. in cap. cum non liceat, de prescript. per cap. nullus, & ibi glos. in verb. audiat, & cap. præter 32. dist. Host. in summ. tit. de cohabit. Cler. & mulier. §. qualiter

imponatur, Guid. Pap. quæst. 558. & est communis opinio Menoch. de arbitr. iudic. lib. 2. centur. 5. casu 418. Sunt etiam infames, cap. infames, 6. q. 1. puniuntur pœna depositionis, cap. proposuisti, dist. 82. Abb. & alij in cap. & si Clerici de iudic. & nouissimè rectè sanctèque Concilium Trident. sess. 14. de reformat. sanciuit, Clericos concubinarios admonitione priùs facta perseuerantes priuari debere tertia parte fructuum beneficiorum. Secunda verò monitione facta continuantes omnibus fructibus priuari, & ab officij, & beneficij administratione ad tempus arbitrio Episcopi suspendi; si verò adhuc perseuerabunt omnibus beneficijs, officijs, portionibus, & pensionibus spoliari debere; circa quam Concilij Trident. dispositionem Nauar. cons. 1. de cohabit. Cleric. & mulier. dicit, quod ea, quæ
8 in dicto Concilio contra Clericos concubinarios statuta sunt, habent etiam locum in simplici incontinentia, & non solum per binas, aut plures accessiones sine actu fornicandi, sed etiam per vnam cum reali fornicatione, priuatione tertiæ partis fructuum puniri posse; maximè cum Concilium non minus huiusmodi peccata Clericorum prohibere voluerit, quam iura antiqua disponunt; vnde propter vnam solam fornicationem etiam simplicem iura antiqua Clericum deponendum esse statuerunt, cap. presbyter, & cap. Clericus 81. dist. quod intelligendum est præmissa admonitione, clem. 1. de vit. & honest. Cler. immo Clerici concubinarij non solum tertia parte fructuum, sed etiam distributionum quotidianarum, secundum Nauar. cons. 6. de verb. signi. in nouiss. Sayr. decis. 7. de verb. significat. quē refert Ricc. collect. 857. vers. amplia sunt priuandi.

9 Sed notandum est, quòd licet monitio generalis facta in Synodo habeat vim trinæ monitionis, dicta clem. 1. de vit. & honest. cler. & ibi glos. in verb. tertiò, Clar. quæst. 36. num. 17. tamen quando tractatur, de imponenda pęna à iure statuta, quæ requirit monitionem, non sufficit illa generalis facta in Synodo, sed debet esse particularis in personam delinquentis, glos. in dicta clem. 1. in verb. nominatim; & ita refertur Sacram Congregationem Concilij censuisse, nisi clericus esset notorius concubinarius; quia tunc non requiritur monitio, si vellet Episcopus procedere contra eum alia via, & forma,
10 quàm præscripta per Concilium, quod potest facere in concubinario notorio; quia lex noua pœnas nouas imponens non tollit veteres impositas per alias leges, l. quoties. ff. de act. & obligat. & ita in
11 specie tenet Nauar. cons. 18. de offic. ordin. Et ille dicitur concubinarius publicus, seu notorius, cuius concubinatus est euidens, aut per sententiam, vel per confessionem in iudicio factam, seu per rei euiden-

dentiam, quæ non possit aliqua tergiuersatione celari, & per Superiorem admonitus concubinatum non dimittit, prout declarauit Leo X. in quadam eius Bulla Data Romę 14. calend. Ianuarij anno eius quarto. Item dicitur notorius concubinarius, quando quis publicè concubinam tenet, & scientibus, & videntibus vicinis domum concubinæ intrat, & conuersatur, dando ei, & filijs alimenta, arg. l. si vicinis, C. de nupt. Host. & Io. Andr. in cap. de illo de eo, qui cogn.
12 consang. vxor. suæ; immò non est licitum à concubinario publico, & manifesto audire diuina, cap. nullus, & cap. præter, dist. 32. Sed si non esset concubinatus ita notorius, & probabiliter posset aliqua tergiuersatione celari, vt quia teneret concubinam, & dicit esse pedissequam matris, vel sororis suæ; & huiusmodi non esset concubina publica, nec notorius concubinatus, Graff. lib. 2. cap. 75. num. 10. per tex. quem allegat in cap. sicut, de cohabit. cler. & mulier.
13 Clerici autem concubinarij licet hodie non sint suspensi ea suspensione, de qua in cap. propter hoc, dist. 32. per quem tex. dicit, Abb. in cap. vestra, de cohabit. cler. & mulier. clericos notorios concubinarios esse ipso iure suspensos, adeò quòd si celebrant, fiunt irregulares; quia hæc suspensio amplius non est in vsu, tamen si non efficiuntur irregulares, ob contemptum suspensionis prædictæ, nihilominus sunt irregulares ratione enormitatis notorietatis delicti, sed celebrantes non efficiuntur noua ratione irregulares, Sayr. lib. 7. cap. 12. num. 21.
14 Præterea clerico concubinario, qui ob crimen concubinatus fructibus benificiorum fuit priuatus non sunt relinquendi aliqui fructus
15 à quibus alimenta sumere possit; quia malè meriti ægestate laborare debent, l. bona fides, ff. deposit, & sibi imputetur; qui in delicto tam enormi perseuerare voluerit. Verùm hoc limitandum puto, ne procedat, quando talis clericus summa paupertate laboraret, vt si nõ haberet aliundè bona, ex quibus possit alimentari; tunc enim iustitiæ, & æquitati congrueret, vt ex dictis fructibus subueniretur, facit cap. studeat, & ibi glos. in verb. vt tale beneficium, & in verb. vt sui, dist. 50. & glos. in cap. cum Vintoniensis, in verb. admiserant, & ibi Panormit. num. 10. de elect. idem in cap. pastoralis, §. verum, nu. 16. de appellat. idem in cap. Apostolicæ, num. 7. de except. & ibi Felin. num. 12. Gemin. in cap. si compromissarius, & Archid. & Franch. lib. 6. Foller. in prax. crim. canonic. part. 3. cap. 33. num. 106. Tolet. lib. 1. cap. 14. ne cogatur mendicare in opprobrium ordinis sacerdotalis, Concil. Trident. sess. 21. cap. 2. de reform.
16 Et notandum est, quòd delicta carnis, vt adulterium, stuprum,

P 3 ince-

incestus, fornicatio, lenocinium, & huiusmodi præscribuntur spatio quinque annorum, eorumque accusatio, actio, vel inquisitio quinquennio tollitur, l. mariti, §. hoc quinquennium, ff. ad leg. Iul. de adulter. Clar. §. adulterium, num. 20. Foller. in pract. crim. verb. fornicentur, num. 19. Farinac. tit. de insidijs, quæst. 10. num. 15. alia autem crimina præscribuntur spatio viginti annorum, l. quærelam, C. de fals. & ita tenent communiter Doctores, vt dicit Abb. in cap. cum haberet, num. 4. de eo, qui dux. in matrim. Boer. decil. 26. nu. 6. Viu. lib. commun. opin. in verb. accusatio falsi, sed fallit in pluribus casibus, vt per Carrer. in pract. crim. §. homicidium, 6. post nu. 378.

CAPVT XXIX.

De cursoribus, Alguzerijs, & alijs iustitiæ Ministris.

SVMMARIVM.

1 *Birruariorum testimonium nullam fidem facit.*
2 *Birruarijs non creditur de resistentia eis facta.*
3 *Iudices malè agunt, molestando subditos ob solam relationem Birruariorum.*
4 *Birruariorum depositiones faciunt aliqualem præsumptionem.*
5 *Nuntio publico magis creditur, quàm parti de relatione, & aliquando est in arbitrio Iudicis.*
6 *Notario, vel Actuario magis creditur, quam Nuntio de relatione.*
7 *Nuntij, & iurati possunt notificare prouisiones Regias sine licentia Officialium locorum.*
8 *Citatio circumducta, quæ dicatur.*
9 *Citatio circumducta notificata non inducit litis pendentiam.*
10 *Capitulum Ecclesiæ Cathedralis, vel Collegiatæ, quomodo est citandum.*
11 *Birruarij non possunt capere aliquem sine Iudicis mandato in scriptis.*
12 *Exequutio neque realis, neque personalis fieri potest pro causis ciuilibus diebus festiuis.*
13 *Dies feriati qui dicantur.*
14 *Satellites non possunt capere aliquem repertum in habitu Clericali.*
15 *Mulier pro debito ciuili, an possit carcerari.*
16 *Exequutio personalis non potest fieri per quadraginta passus circumcirca Ecclesiam de iure, secus de consuetudine.*
17 *Monitoria, an possit exequi per partem principalem.*
18 *Comparitio citati tollit omnem defectum citationis.*

1 CVm Birruarij vilissimæ personæ esse soleant, & suspecti ex vilitate vitæ, eorum testimonium in iudicio nullam facere fidē, tradit

tradit Bal. in l. etiam, num.4. C. de testib. & ibi Salic. Ias. in l. age, numer.11. C. de transact. Imol. in clem. si ante, de dol. & contum. Alex. in l.3. ff. de testam. Lanfranc. in cap. quoniam contra, §. te-
2 stium depositiones, num.115. de probat. sic etiam Alguzerij, Iurati Nuntij, & alij iustitiæ Ministri si deponerent sibi factam fuisse resistentiam, vel alias fuisse in exequutione impeditos, eis non creditur, Alciat. de præsumpt. regul.3. præsumpt.15. num.7. etiam si essent plures, Boss. in tit. de denunt. num.12. vbi dicit hoc nullam habere
3 difficultatem; hinc videtur, quam malè faciant Iudices, qui ex sola relatione, & depositione istorum subditos vexant, & pecuniam extorquent: & multò minus est præstanda fides si asserant se fuisse verberatos, vel iniuria affectos, Cardin. in d. clem. si ante, de dol. & contum. Io. Andr. in addit. ad Speculat. tit. de contumacia in addit. magna, vers. circa secundum, Ias. in l. properandum §. si quidem, C. de
4 Iudic. Mascard. de probat. conclus.189. num.6. Verum tamen licet non probent: tamen faciant aliqualem præsumptionem, quæ aperit viam Iudici ad inquirendum, Boss. dicto tit. de denuntiat. num.12. vers. si igitur. Sed si concurrerent aliqua alia inditia, non solum facerent inditium ad inquirendum; sed etiam ad torturam, vt colligitur ex dictis, per Alciat. in dicta regul. tertia, præsumptione 14. num.6. Andr. de Isern. in Constit. Regni Hunitate nobis surgerente, Vinc. de Franch. decis.379. Nouarij forens. q.10. tom.1.

5 Sed notandum est, quod si Nuntius referret se citasse aliquem, qui negat fuisse citatum, magis creditur Nuntio publico, quam ei, qui negat; sed aliquando hoc est in arbitrio Iudicis, qui secundum qualitatem personarum, & causæ, & secundum coniecturas, & verisimiles præsumptiones, poterit plus credere parti, quam Nuntio, & maximè si Nuntius est persona vilis, vt plurimum isti esse solent, & pars ipsa in dignitate constituta, vel alias laudabilis vitæ, & aliquando exiget iuramentum à parte contra assertionem Nuntij, Bal. in cap. quoniam contra, de probat. Franch. in cap. cum parati, num.36. de appellat Menoch. de arbitr. iudic. cas.102. numer.10. immò admittitur probatio in contrarium, etiam si extaret statutum, quod credatur Nuntio, Bal. in l. si tutor, C. de pericul. tut. Franch. in dicto cap. cum parati, num.37. Sed si reperiatur scripta relatio Nuntij, qui
6 asserit non fecisse talem relationem, creditur potius Notario, seu Actuario, qui eam scripsit, quam Nuntio aliter dicenti, nisi Actuarius ex aliqua causa esset suspectus, Abb. in dicto cap. cum parati, & in cap. ad Audientiam, de præsumpt. Alex. cons.70. & 74. vol.1. Felin. in cap. ad Audientiam, & cap. cum causam, de testib.

P 4 Secun-

7 Secundò notandum est, quod Nuntij Iurati, & alij possunt notificare prouisiones Regias in Terris Baronum sine licentia ipsorum, & eorum Officialium, Boer. decis. 8. Petr. Foller. in pract. crim. verb. fiat relatio Nuntij, num. 17. Baiard. in addit. ad Clar. quæst. 31. numer. 65. Sigismund. Scacc. in tract. de iudic. caus. ciuil. & crimin. cap. 30. num. 6. circa fin. Muscatell. in prax. Sacr. Reg. Consil. p. 2. num. 14. qui dicit, quod Nuntij ex vrbanitate requirunt iudicem loci, vt eis det licentiam citandi: sed ipso contradicente possunt citationes exequi, sed non possunt exequi citationem circunductam; &
8 dicitur citatio circunducta, quando sunt elapsi sex menses à die expeditionis; quia non est amplius citatio, Rit. Magnæ Cur. Vic. 121.
9 incip. item si quis impetrat, Vinc. de Franch. decis. 232. & si citatio circumducta notificaretur, non induceret litis pendentiam; quia perinde esset, ac si non fuisset intimata, Abb. & Innoc. in cap. consuluit de off. delegat. Felin. in cap. illud de præscript. Afflict. decis. 366. numer. 14. & in Constit. Regn. si quem nostrorum, num. 4. Carauit. super dicto Rit. 121. num. 1.

10 Tertiò notandum, quod quando Capitulum Cathedralis Ecclesiæ, vel collegiatæ est citandum, debet citari cum Capitulum est cõgregatum, Abb. in pract. cap. 16. per tot. quia Capitulum ibi dicitur esse, vbi est maior pars Canonicorum congregatorum, glos. in cap. cum inter Canonicos, in verb. Capituli, de elect.

11 Quartò notandum est, quod Birruarij, & alij iustitiæ Ministri, vt iustè possint aliquem capere, necesse est in primis, vt habeant mandatum Iudicis in scriptis, quod ostendere tenentur, l. neminem, C. de exhib. reis, l. prohibitum, & ibi Bart. num. 1. Ias. in l. cum proponas, num. 7. de pact. Boer. decis. 170. num. 2. Bos. in tit. de capti r.
12 num. 39. item non possunt exequi pro causis ciuilibus in diebus festiuis, & feriatis ad honorem Dei, l. fin. & ibi communiter Doctores, C. de fer. Sigism. Scacc. cap. 46. num. 13. & dies feriati non solum in-
13 telliguntur illi, qui ad honorem Dei obseruantur, sed etiam dies hebdomadæ Sanctæ; quia satis est, quòd ad Dei reuerentiam obseruentur, licet non sint de præcepto, vt in terminis tradit Bal. in l. omnes, C. de for. Scacc. dicto cap. 46. num. 31. in fin. Abb. in cap. conquestus, de fer. Marant. part. 4. dist. 16. num. 82. secus est in criminalibus; quia reus potest capi etiam die feriato ad honorem Dei, maximè pro delictis grauibus; quia in leuibus est vrbanius procedendum, Foller. in pract. crimin. in verb. notatos capiat. de persona, num. 5.
14 Alex. in l. 1. §. nuntiatio, ff. de oper. nou. nuntiat. Bal. in l. fin. C. de exhib. reis. Item dicti exequutores debent inspicere personas ca-

piend-

piendas, an sint Ecclesiasticæ, & mandatum de capiendo sit expeditum; quia tunc si capiendus reperitur in habitu, & tonsura clericali debent abstinere à captura, alias tàm Iudex, quam ipsi exequutores inciderent in pœnam cap. si quis suadente diabolo 17. q. 4. & si perso-
15 na sit laica, an sit exempta, vt puta mulier, quæ pro debito ciuili regulariter non potest capi, & carcerari, arg. tex. in §. necessaria Authen. vt null. iudic. Socc. regul. 259. Gaill. pract. quæst. lib. 2. obseruat. 90. num. 3. & sic obseruatur Romæ, vbi mulieres non carcerantur pro debito ciuili, etiam si essent obligatæ in forma Cameræ Apostolicæ, Scacc. loco citato, numer. 15. sed in Regno mulieres indistinctè pro debito ciuili carcerantur per Rit. Magn. Cur. Vic. 166. incip. *Item si qui debitores, seu debitrices, quando contra ipsas incusantur instrumenta,* vt per Carauit. ibi, num. 1. Marant. in pract. part. 6. actu 8. numer. 20. quia quoad liquidationem instrumentorum factam contra mulieres auth. sed nouo iure, C. de custod reor. & auth. sed hodie, Cod. de offic. diuers. iudic. per dictum Rit. 166. sunt correctæ, dum ibi disponitur, quòd mulieres pro debito ciuili non sunt carcerandæ.
16 Item inspiciendus est locus, prout est Ecclesia, in qua non licet manus inijcere ad capiendum aliquem, vt diximus supra in cap. de immunit. Eccles. num. 32. & notandum est, quod licet de iure rei non possint capi per quadraginta passus circumcirca Ecclesiam matricē, & in alijs Ecclesijs per triginta, Angel. de malefic. in verb. in scalis S. Petronij, num. 3. Clar. quæst. 30. numer. 2. per tex. in cap. sicut antiquitus 17. q. 4. & cap. diffiniuit, ead. quæst. & causa; tamen de consuetudine non obseruatur; Nauar. in Manual. cap. 25. num. 18. item non potest aliqui capi in hospitalibus, Archid. in dict. cap. diffiniuit, Bal. in l. si quis ad declinandum, §. in omnibus, & in l. si quis ad Ecclesiam, C. de Episcop. & Cler. Ias. in l. plerique ff. de in ius vocand. Couarr. var. resolut. cap. 20. num. 4. priuilegia enim quæ concessa sunt Ecclesijs, Hospitalibus competunt, l. omnia, C. de Sacrosl. Eccles. Nauar. in Manual. cap. 25. num. 18. vide supra in cap. de immunit. Eccles. num. 32.
17 Quintò notandum est, quod citationes, monitoria, & aliæ huiusmodi prouisiones, quæ expediuntur à Romana Curia, non solùm possunt exequi per Notarios, seu per aliquem ex ijs, quibus diriguntur; videlicet, Abbatibus, Prioribus, Præpositis, Decanis, &c. seu etiam per quoscumque Nuntios, Iuratos, & alios iustitiæ Ministros; immò possunt exequi, & notificari per ipsam met partem, & principalem, dummodo legitimè constat de exequutione citationis, ea ratione; quia sufficit citationem peruenisse ad notitiam citati, Vestr. in pract.

lib. 7.

lib.7. cap.6. num.5. & ibi Crauet. in addit. num.11. licet enim citatio non sit legitimè exequuta, perueniente tamen notitia ad citatum, eum ligat, vt si legitimè notificata fuisset, Roman. cons.360. num.4. & cons.410. Felin. in cap. cum contingat, num.8. de præscript. Gaill. lib.1. obseruat.48. num.4. & multò magis ligat superueniente citati comparitione, quæ tollit omnem defectum, l.1.§. sed si, & ibi Alex. num.3. ff. de fer. clem. causam de elect. Bart. in l.1. num.1. ff. de in ius vocandi, Abb. cons.38. lib.1. Felin. cap. illud, nu.8. de præscript. Gaill. lib.1. obseruat.58. num.2.

CAPVT XXX.

De absolutione à iuramento.

SVMMARIVM.

1 *Iuramentum, quod potest seruari absque dispendio salutis æternæ, seruandum est.*
2 *Iuramentum præstitum super contractu licito, licet per vim, & metum, tenet.*
3 *Iuramentum præstitum super contractu à iure prohibito per vim, & metum an teneat.*
4 *Iuramentum non supplet duos defectus.*
5 *Absolutio à iuramento peti, & concedi potest ab Ordinario, in cuius Diœcesi reperitur ille, qui absolui petit.*
6 *Sacerdos proprius est ille in cuius Diœcesi confitens reperitur.*
7 *Iuramenta omnia apposita in contractu sunt exprimenda in petitione ab absolutione iuramenti.*
8 *Absolutio à iuramento conceditur, absque partis citatione.*
9 *Absolutio à iuramento est obtinenda ante aduentum temporis promissæ solutionis.*
10 *Iudex laicus potest cognoscere incidenter, de nullitate absolutionis iuramenti.*
11 *Periurus à quo, & quomodo est absoluendus.*
12 *Exceptio periurij est exceptio litis finitæ.*
13 *Minor læsus si vult agere ad rescissionem contractus debet absolui à iuramento.*
14 *Statutum laicale an possit tollere vires iuramenti.*
15 *Procurator an possit petere absolutionem iuramenti pro suo principali.*
16 *Metus in specie est probandus in rescissione contractus, de quo agitur.*
17 *Carcer solus arguit metum.*
18 *Gesta per carceratum iniustè detentum ad fauorē iudicis, vel partis sunt nulla.*

Iura-

1 IVramentum omne, quod absque dispendio salutis æternæ seruari potest, seruandum est, cap. cum contingat, de iureiurando, cap. licet eod. lib. 6. cap. quamuis, de pact. lib. 6. Doctores in auth. sacramenta puberum, C. si aduers. vendit. quod etiam procedit si iuramentum sit extortum per vim, & metum, cap. si verò aliquis, de iureiurand. vbi glos. in verb. proprium, cum hac tamen distinctione,
2 aut iuramentum est præstitum super contractu de per se licito, & à iure approbato; & tunc si per vim, & metum fuit præstitum, vt si quis coactus fuit vendere rem suam, & in contractu venditionis iurauit; quia hoc iuramentum fuit præstitum per vim, & metum super contractu licito, & nullo iure prohibito; cum quilibet sit rei suæ moderator, & arbiter, l. in re mandata, C. mandat. illud iuramentum obligauit; ita quod non potest contrauenire, nisi à iuramento prius absoluatur, cap. si verè, & cap. verum, de iureiurand. cap. Abbas, de his, quæ vi, met. caus. Aut iuramentum est præstitum super contractu de
3 per se illicito, & à lege reprobato: & licèt secundum aliquos ad rescindendum talem contractum sit opus absolutione, vt tenet Innoc. in cap. ad aures de his, quæ vi, met. caus. fiunt, & Io. Andr. in dicto cap. si verò, de iureiur. tamen si huic contractui à iure reprobato accedit coactio, & metus; vt si quis iuraret super contractu vsurario per vim, & metum non est opus absolutione, cum talia iuramenta per vim extorta sint in dispendium salutis æternæ, non obligant ad eorum obseruantiam, cap. non est obligatorium, de regul. iur. lib. 6. Abb. in dicto cap. cum contingat, num. 3. Felin. in dicto cap. si verò,
4 num. 8. Speculat. tit. de legat. §. nunc videndum, num. 25. in fin. quia iuramentum non supplet duos defectus, Dec. cons. 249. incip. diligenter consideratis, Gail. pract. obseruat. lib. 2. obseruat. 42. per tot. Affl. decis. 263.
5 Sed notandum est, quòd absolutio à iuramento peti, & concedi potest ab Ordinario, in cuius Diœcesi reperitur ille, qui ab illo absolui voluerit, licet contractus alibi sit celebratus; quia tractatur de fauore animæ, & vbicumque iurans reperitur, absolui potest; nam anima non circumscribitur loco, vt notatur in cap. omnis vtriusque
6 sexus, de pęnit. & remiss. vbi habetur, quòd licèt confiteri debeamus peccata proprio sacerdoti, tamen intelligitur in illa Diœcesi, in qua confitens reperitur, & ille erit proprius sacerdos, Lap. allegat. 10. Vinc. de Ann. allegat. 83. num. 8. lib. 2. Sed aduertere debet qui pe-
7 tit absolutionem à iuramento, quòd omnia iuramenta specificè in supplicatione petitionis exprimere necesse est: & si fiat relatio ad instrumentum, absolutio non tenet, nec concessa, vti subreptitia valet,

let, Felin. in cap. debitori, de iureiurand. & melius in cap. constitutus, de rescript. Bal. in l. 2. ff. de iureiur. Roman. cons. 326. Gram. decis. 66. num. 11. vbi dicit, quod petens absolutionem; si non expressè facit mentionem se iurasse non petere absolutionem à iuramento, & petita non vti, absolutio est subreptitia, Abb. in cap. non est de vot. & in cons. 12. incipien. Vt clarè lib. 1. Dec. cons. 180. incip. Vita renuntiatione.

8 Secundò notandum est, quòd absolutio à iuramento conceditur absque partis citatione, Vinc. de Ann. singul. 20. vol. 2. Io. Andr. ad Speculat. tit. de iureiur. vers. vbi autem iurasset, Anton. de Butr. in cap. debitores, de iureiur. Imol. in cap. 1. eod. tit. Alex. cons. 222. vol. 2. Lap. allegat. 10. Ias. in l. nec quicquam, §. vbi decretum, ff. de off. proconsul. & in l. si opus, ff. de oper. nou. nunc. Oldr. cons. 120. Afflict. decis. 220. nu. 10. vbi dicit hanc esse magis communem opinionem;

9 & ita communiter obseruatur, sed necesse est, quod dicta absolutio petatur, & obtineatur ante aduentum temporis solutionis in contractu promissæ, Alex. cons. 17. num. 3. quia termino elapso Episcopi absolutionem concedere non possunt, cum iam periurium sit incursum, & concessa absolutio non tenet Anchar. cons. 198. num. 3. & cons. 200. num. 4. Alex. qui de communi testatur cons. 17. numer. 3. vol. 3. Afflict. decis. 31. incurso autem periurio solus Papa potest ab-

10 soluere, Abb. in cap. quanto, de iureiur. Viu. commun. opin. conclus. 1. num. 1. & in dicta absolutione si per creditorem fuit dictum de nullitate, potest Iudex laicus cognoscere incidenter, Anchar. cons. 382. Felin. in cap. 1. de iureiur. Potest etiam periurus petere absolu-

11 tionem coram iudice Ecclesiastico, coram quo debet probare metum, vel læsionem, vel alias exceptiones sibi competentes, & citatur pars, datur terminus, fit processus via ordinaria, & per sententiam diffinitiuam periurus absoluitur à quibusuis iuramentis præstitis, ac etiam à reatu periurij per eum incursi ad effectum agendi, & excipiendi iniuncta pęnitentia salutari. Felin. in dicto cap. 1. Bal. in l. obseruare, §. proficisci, ff. de offic. proconsul. nu. 15. glos. in cap. breui in verb. difficultas, de iureiur. Prax. cur. Archiep. Neap. in cap. 4.

12 Tertiò notandum est, quod exceptio periurij est exceptio litis finitæ, Ias. in l. ait prætor, la 2. ff. de iureiur. & in l. si quis maior, n. 25. de transact. vbi ait hoc esse incognitum, & menti tenendum; nam impedit litis ingressum, quod non potest procedi ad vlteriora per tex. in l. nam, & postea, vbi Doctores communiter, & maximè Bart. & Alex. ff. de iureiur. Bart. in l. eleganter, §. si quis potest, ff. de condit. indebit. & habetur in c. 1. de lit. contest. lib. 6. Gram. decis. 66. num. 1.

num. 1. & non potest reseruari ad merita causæ; quia exceptio periurij est exceptio iuris, & ius est certum, nec aliquam probabilem dilationem recipit; quare statim super illa est cognoscendum, Menoch. de arbitr. iudic. lib. 1. quæst. 35. Grammat. decis. 65. num. 84.

13 Quartò notandum est, quòd minor, seu pubes, qui ex contractu læsus agere vult ad eius rescissionem, in primis tenetur relaxationem iuramenti petere, & obtinere; quia iuramentum minoris contractum etiam nullum validat, Ias. in auth. Sacramenta puberum, C. si aduers. vendit. idque, tam de iure ciuili, propter generalitatem dictæ authent. quàm de iure canonico, vt colligitur ex tex. in cap. cum contingat, de iureiur. & cap. licet mulieres eod. lib. 6. & cap. quamuis, de pact. lib. 6. & non tollitur, quin prius petita, & obtenta relaxatione iuramenti possit contra instrumentum iuratum venire, Innoc. in cap. venerabilem, num. 5. de elect. Paul. de Castr. in dicta auth. Sacramenta puberum, num. 5.

14 Sed an per statutum laicale iuramenti vires tolli possint, seu infirmari? Resp. negatiuè, quia cum iuramentum sit de iure diuino, Arg. cap. fin. de for. compet. lib. 6. vbi Doctores dicunt, quod laici statuentes non possunt auferre à iuramento vires suas, nec illas à iure ciuili permissas; & hac de causa inferior à Papa contra illud statuere non potest, Clem. Romani, de iureiur. Anton. Gabriel. lib. commun. opin. conclus. 1. num. 15. Viu. de commun. opin. opin. 791. in verb. statutum. vide Carauit. in Rit. 282. num. 6. & sequen.

15 Et an procurator possit petere, & obtinere absolutionem à iuramento pro suo principali? Resp. affirmatiuè, sed cum speciali mandato, quia sicut absenti potest priuilegium conferri, cap. 1. §. ex parte, de excess. prælat. ita etiam absens à iuramento habilitari, Innoc. in cap. cum desideres, de sent. excomm. cap. quanto 2. q. 5. vbi glos. in verb. Epistolam, sed generale mandatum non sufficit, cum tractetur de obligatione spirituali, & specialis consensus requiritur, cap. fin. de procurat.

16 Sextò notandum est, quòd quando quis vult agere ad rescissionem contractus ex capite metus celebrati, necesse habet probare metum in specie ei fuisse illatum pro celebratione dicti contractus, de cuius rescissione agitur, Vinc. de Ann. singular. 341. vbi dicit ita fuisse decisum per sacrum regium Consilium; quia metus non præsumitur, si non probetur, l. 1. vbi glos. in verb. dicatur, ff. si quadrup. pauper. fecis. dicat. vide eundem Ann. allegat. 88. lib. 2. in addit. fallit quando aliquid fuisset gestum per carceratum iniustè; quia etiam si se com-

17 posuisset cum Curia, præsumitur metu fecisse absque alia probatio-

ne;

ne; solus namque carcer metum arguit, l. si quis in carcerem, l. metum, §. sed licet, ff. quod met. cauf. omnia enim, quæ in vinculis fiunt per carceratum ad fauorem Iudicis, vel alterius detinentis iniuste carceratum, per metum gesta præsumuntur, Dec. conf. 691. num. 5. Farinac. tit. de Inquisit. quæst. 5. num. 17. vers. sublimita.

CAPVT XXXI.

De dilatione, seu mortoria concessa à Principe, & an prosit Clericis.

SVMMARIVM.

1 *Moratoria, seu dilatio quinquennal isconceditur debitori concurrente creditore maioris summæ.*
2 *Moratoria conceditur etiam ad instantiam debitoris, & à solo Principe conceditur.*
3 *Remedium Capitulorum Regni ad regale fastigium, & finis præcepti charitas conceditur solum per Regia Tribunalia.*
4 *Moratoria non habet locum in debitis ex causa pensionum domorum, nec in deposito.*
5 *Debitor, cui est concessa dilatio quinquennalis, an possit cedere bonis.*
6 *Dilationem obtinens, an teneatur præstare cautionem de soluendo.*
7 *Moratoria generalis concessa à Rege laicis colonis, an prosit Clericis.*
8 *Ius congrui an habeat locum in Clericis.*
9 *Moratoria concessa principali, an prosit fideiussoribus.*

1 Moratoria, seu dilatio quinquennalis conceditur ad instantiam creditorum concurrentium pro maiori summa, etiã vnius creditoris, qui maiorem summam debiti consequi debet, reluctãtibus, & inuitis alijs creditoribus, qui pro minori summa condem-
2 nantur ad concurrendum, Vinc. de Franch. decis. 82. Viu. decis. 38. numer. 1. quod est verum non solùm concedi dictam dilationem ad instantiam creditorum, sed etiam debitorum, Roman. conf. 439. Afflict. decis. 288. & ibi Vrsill. num. 5.
3 Sed notandum est, quòd hæc dilatio quinquennalis à solo Principe, & eius consistorio concedi potest, Vinc. de Franch. dicta decis. 38. & licet aliquando ab alijs iudicibus inferioribus detur, tamen sententia est nulla, l. fin. C. qui bon. ced. poss. in principio ibi cum solito more à nostra maiestate petitur, Viu. dicta decis. 38. numer. 7.
4 sicut remedium Capitulorum Regni Ad regale fastigium, & finis præcepti charitas contra turbantes laicos in sua possessione non potest

test intentari coram officialibus Baronum, Vinc. de Franch. decis. 163. numer. 20. vbi dicit posse intentari coram gubernatoribus Prouinciarum.

5 Secundò notandum, quod ista moratoria, seu dilatio, & concurrentia creditorum non procedit ex causa pensionum domorum, & rerum comestibilium, Ias. in §.item Seruiana Instit.de act. & ita fuisse decisum in Collaterali Consilio refert Vinc.de Ann.singular. 101. item exceptio dilationis quinquennalis non iuuat debitorem, ex causa depositi, l.si quis, vel pecunias, C. deposit. cap.bona fides deposit. Boer.decis.296.immò in causa depositi cessat compensatio,& reconuentio, Vinc.de Franch.d.decis.151. num.2. quoniam causa depositi ita, & taliter in iure est priuilegiata, vt confitens depositum nullatenus auditur, nec audiri potest volens opponere exceptionem non numeratæ pecuniæ, Bal.cons.256. vol.1. & cons.170. eod. vol. & cons. 64. quia depositum absque vlla dubitatione habet exequutionem paratam, Bald. in l.si quis, C. deposit. Aret. in §.in bonæ fidei Instit. de act. Bart. in l.penult. C.de act. vel deposit. dummodò confessio depositi sit iurata, Bart. in l.ex hac scriptura, C.de probat, & in l.cum quis decedens, §.codicillis, ff.de legat.3. Bal. in l.rationes, C.de probat. & in l. creditores, C. de fidei commis. & Canonistæ omnes in cap. si cautio, de fid.instrum. Viu. decis.191. sed aduertendum est, quod concessa dilatione quinquennali non potest debitor deinde habere beneficium cessionis bonorum glos. in l. fin. C. qui bon. ced. poss. in verb. detur, Vinc. de Franch. decis.251. Afflict. decis.278. & ibi Vrsil. per tex. in l. quoties, & l.vniuersa est, C.de precib. Imperat. offer. Capell. Tolosan. decis.61. Soc. in fallentijs suis in verb. cessio bonorum.

6 Tertiò notandum est, quòd præstanda est cautio ab eo, qui obtinet moratoriam, & dilationem quinquennalem de soluendo debitum in fine dilationis dicta l.vniuersa, vbi Bal. & Doctores. Lancelott. de attent. part.2. cap.28. num.72. tamen ista cautio potest per Principem tolli, Ias. in dicto §.item Seruiana; num.15. vide Rit. Magn.Cur.287. quia moratoria concessa ad certum tempus tacitam habet conditionem, dummodò cautionem præstet de soluendo finito tempore moratoriæ; alias debitori non prodest, vt habetur in dicto Ritu, & in dicta l.vniuersa, quod intelligitur dummodò fideiussio petatur à creditoribus, vt per glos. in d.l.vniuersa, & est communis opinio Doctorum super dicta l. vniuersa, Paul. de Castr. in ead.l. & ibi Ias. Carauit. super dicto Rit. Nouarius in pragmatica decision. bonorum concessa.

7 Sed

7 Sed an moratoria generalis à Rege suis subditis, vt sepè fieri solet ad fauorem colonorum propter sterilitatem, possit etiam prodesse Clericis; ita vt nec ipsi eorum debitis molestari possint? Resp. quòd vim moratoria generalis concessa ad fauorem colonorum sit fauorabilis, prodest etiam Clericis; quia sicut laici coloni possunt gaudere dicto beneficio moratoriæ contra Clericos creditores in foro seculari, si conuenirentur ab ipsis Clericis creditoribus, ita in foro Ecclesiastico, si coloni Clerici conuenirentur à laicis creditoribus; quia qui vult vti statuto pro se; tenetur etiam recipere contra se, debet enim lex esse æqualis, & communis omnibus, vt sit æqua, cap. erit autem lex. dist. 4. l. fin. C. de fructib. & lit. expen. Abb. in cap. quod Clericis de for. compet. Felin. in cap. Ecclesia Sanctæ Mariæ de constit. quod cum clerici non patiantur contra se statuta laicorum, videtur similiter, quod nec Clerici possint illa cōtra eos allegare, vt seruetur equalitas, & contrariorum sit eadem disciplina, Vinc. de Frāch. decis. 285.
8 qui loquitur in materia iuris congrui, vbi ponit quæstionem, an Clericus in iudicio seculari possit obtinere contra laicum, quando in foro Ecclesiastico non seruatur consuetudo iuris congrui, & dicit fuisse decisum in Sacro Consilio non debere Clericum posse vti iure congrui contra laicum, si in Curia Ecclesiastica non seruatur dicta consuetudo iuris congrui; quia Clericus tenetur vti legibus, statutis, & consuetudinibus laicorum, si vult vti pro se, & sic è contra. Verumtamen clerici non possunt vti regia moratoria contra alios clericos, sicut dicimus de compromisso, quod clericus potest petere contra laicum sibi coniunctum, sed non contra alium clericum similiter coniunctum, Marant. p. 6. act. secundo, num. 28.
9 Sed an moratoria concessa principali debitori prosit etiam eius fideiussoribus in solidum obligatis? Resp. quòd si moratoria est concessa generaliter omnibus debitoribus propter sterilitatem aduersus omnes creditores, prodest etiam fideiussoribus, Carauit. super dicto Ritu 282. num. 16. Muscatell. in pract. fideiussor. p. 2. q. 9. quia fideiussores in solidum obliganti sunt debitores.

CAPVT XXXII.

De remissione pensionis propter sterilitatem.

SVMMARIVM.

1 R*emissio pensionis propter sterilitatem est facienda colono.*
2 *Sterilitas magna quæ dicatur.*

3 Con-

3 Contractus locationis est bonę fidei, & non patitur magnam læsionem.
4 Bellum, incursu hostium, & incendium numerantur inter casus fortuitos.
5 Inundatio insolita aquarum, & fluminum ponitur inter casus fortuitos.
6 Sterilitas vnius anni compensatur cum fertilitate annorum præteritorum.
7 Colonus, qui conduxit agrum per aliquot annos pro certa summa non habet remissionem propter sterilitatem.
8 Emphiteota non habet remissionem propter sterilitatem.
9 Conducens rem euidenter sterilem an habeat remissionem.
10 Pactum, vt quis recipiat in se casus fortuitos, valet.
11 Cautela pro locatore circa casus fortuitos.
12 Exiguitas fructuum non est sterilitas.
13 Conductor tenetur ad pensionem, si factum est incendium propter inimicitiam eius culpa contractam, & quomodo.

1 Non est dubium colono, qui conduxit agros alienos, remissionem pensionis esse faciendam propter magnam sterilita-
2 tem, & licet, C. locat. l. si merces §. vis maior, ff. eod. cap. propter sterilitatem, de locat. & conduct. sed dubium est, quando dicatur magna sterilitas, Bart. in d. l. licet dicit, quòd quando soluta pensione ex fructibus recollectis, supersunt modici fructus tantum, quòd lę-
3 sio sit vltra dimidium iusti pretij, dicitur sterilitas; quia contractus locationis est bonæ fidei, & non patitur enormem lęsionem; alij dixerunt, quòd sterilitas est, quando saltem semen proiectum in terram non recolligitur, vt dicit Salycet. in dicta l. licet, Io. Andr. in addit. ad Sp. de locat. dicit, quòd attenditur communis aliorum vicinorum agricolarum opinio; & illorum, qui proprias terras colunt, idem tenet Bart. in l. si verò, §. vbicumque num. 2. ff. eod. & in l. cotem, §. qui maximus, num. 8. ff. de public. & vectig. vbi ampliat etiam in vineis, pratis, & pascuis conductis, & ista est veritas. Ampliatur non
4 solum si sterilitas peruenerit diuinitus, sed etiam humanitus, puta ex bello, incursu hostium, incendio, etiam dolo immisso, l. ex conducto, §. 1. in fin. C. locat. dicta l. merces, §. vis; quia connumerantur inter casus fortuitos; nam tempore belli, & hostili agri depopulantur, & omnia deuastantur, §. item is, cui, Instit. Quib. mod. re con-
5 trah. obligat. Ias. in l. 1. C. de iur. emphit. & l. incendium, C. si cert. petat. vbi incendium computatur inter casus fortuitos. Item innundatio insolita aquarum, & fluminum, l. ex conducto, §. 1. ff. locat. Bal. in dicta l. licet, num. 4.

6 Sed limitatur quando de annis præteritis fuisset vbertas, quia ste-

rilitas vnius anni compensatur cum vbertate alterius anni, l. si verò, in princ ip.ff. locat. & ibi Alex. Paul. de Castro cons. 54. Bal. in dicta
7 l. licet, vbi Doctores notant, quæ dicatur vbertas. Secundò limitatur si colonus conduxisset agrum per aliquot annos pro certa, & determinata summa pecuniæ, vel frumenti annuatim soluenda, glos. in l. exceptio in verb. fructus, C. locat. & ibi Bal. num. 2. quia tunc non fit remissio.

8 Tertiò limitatur in emphiteuta, vel colono, qui ad longum tempus prædium conduxit, l. 1. C. de iur. emph. Bart. Bal. Ias. & omnes
9 in dicta l. licet. Quartò limitatur in conductore tempore penuriæ, pestis, vel belli, vel si conduxerit rem euidenter sterilem; quia non habet remissionem propter sterilitatem rei; sed notandum est, quòd penuria, bellum, & pestis non attribuuntur casui fortuito, quem potuit conductor præuidere, sed eius culpæ; & damnum, quod quis sua culpa patitur sibi, & non alijs imputare debet, cap. damnum, de regul. iur. lib. 6. cap. fin. de iniur. & damn. dat. l. qui occidit, §. in hoc
10 ff. ad leg. Aquil. l. qui bona, §. de illo, ff. de damn. infect. Quintò limitatur quando adiectum esset pactum inter locatorem; & conductorem, quòd non obstante sterilitate, & casu fortuito conductor soluere teneatur pensionem; l. si quis fundum, ff. locat. & glos. ibidem in verb. ei præstantur, l. legem, & l. circa locationes, C. eod. quia valet pactum, vt quis recipiat in se casum fortuitum, l. si quis fundum, l. negotium, C. de negot. gest. cap. 1. de commodat. sed cau-
11 tela est pro locatore, vt apponatur pactum, quòd conductor teneatur ad pensionem non obstantibus quibuscumque casibus fortuitis diuinitus, vel humanitus contingentibus, etiam inopinatis, & incognitis; quia renuntiatio simplex casuum fortuitorum non extenditur ad casus incogitatos, & insolitos, cap. veniens, & ibi glos. in verb. præsciuisset de iniur. l. fin. C. de non numerat. pecun. Alex. cons. 28. num. 12. & valet pactum istud, quo renuntiatur omnibus casibus fortuitis etiam insolitis, & inopinatis, l. 1. §. si conueniat, ff. deposit. nam
12 volenti, & scienti nulla fit iniuria. Demum limitatur in exiguitate fructuum; quia exiguitas fructuum non potest dici sterilitas, per tex. in l. si verò, §. cum quidam, ff. locat.

13 Sed notandum est, quòd illud, quod dicunt Doctores, quòd si propter conductoris inimicitiam facto suo contractam, fuerit immissus ignis segetibus, est ipse conductor in culpa, & tenetur ad pensionem, per tex. in l. si merces, §. culpæ, ff. locat. l. penult. ff. solut. matrim. dicunt tamen ibi, Paul. de Castr. & Bal. hoc esse verum, quando odium, seu inimicitia contrahitur, culpa sua; & ita loquitur tex. in dicta l. pe-

nult.

mult. sed si odium, seu inimicitia præcesserunt sine culpa, aut defectu eius, iniquum, & inhumanum est, quòd tribuatur eius culpæ, arg. tex. in l.eos, ff.commodat. & l.si ea res, ff. de act.empt. subdit etiam Paul. de Castr. quòd licet inimicitia sit contracta sine culpa conductoris, & non adhibuerit diligentiam, & non prouiderit, vt si maleuolus minatus ei fuerit, & illud non significauerit locatori: tamen tenetur ad solutionem pensionis; & ita videtur fuisse de mente, glos. in dicta l. si merces, §. culpæ, ff.locat.

CAPVT XXXIII.

De Clerico negotiatore.

SVMMARIVM.

1 *Negotiatio illicita est prohibita Clericis.*
2 *Negotiatio an sit prohibita Clericis constitutis in prima tonsura, vel in minoribus ordinibus.*
3 *Negotiatio est propriè mercaturam exercere.*
4 *Emens rem, & ex ea aliquid conficit non dicitur negotiator.*
5 *Artificium est inhonestum ratione rerum, vt conficiens cartas lusorias, arma bellica, & huiusmodi quoad Clericos.*
6 *Clerici possunt colere agros suorum beneficiorum, & conducere territoria ab Ecclesiis, & alijs, & pro pasculo suorum animalium, & non dicuntur negotiatores illegitimi.*
7 *Litteræ Sacræ Congregationis super negotijs Episcoporum in materia negotiationis illicitæ.*
8 *Decreta Sacræ Congregationis super negotijs Episcoporum in materia negotiationis illicitæ.*
9 *Negotiator dicitur qui pluries, & non semel negotiationem facit.*
10 *Clericus vendens vinum, frumentum, & huiusmodi prouenientia ex fundis proprijs non dicitur negotiator illegitimus.*
11 *Clericus non dicitur negotiator illegitimus si vendit illud, quod superat ex eo, quod emit pro se, & eius familia.*
12 *Clericus non dicitur negotiator vendens boues, vaccas, & alia animalia nutrita in eius prædio vel etiam conducto, & eorum fetus.*
13 *Clerici, an possint esse aduocati, & patrocinari causas, & allegare in iuribus.*
14 *Dignitati, & officio aduocati conuenit defendere Rempublicam patrocinando.*
15 *Clerici, etiam in Sacris constituti possunt esse assessores, & consultores Iudicis laici in causis ciuilibus.*
16 *Clerici faciunt spolium de bonis acquisitis ex illicita negotiatione.*

Q 2 17 *Epi-*

17 *Episcopi, Archiepiscopi, qui non se concordauerunt cum Camera Apostolica faciunt spolium.*

18 *Paramenta, ornamenta, Missalia, res Sacræ, & supellectilia non faciunt spolium in morte Episcoporum, sed applicantur Ecclesiæ, & successori.*

19 *Commissarij Apostolici, & Subcollectores non obseruantes Bullam Pij Quinti circa spolia Episcoporum à quibus possunt coerceri.*

1 INdubitati iuris est Clericos non posse aliquam negotiationem illicitam exercere, cum à iure eis sit prohibitum, cap. eijciens, dist. 88. cap. Clericus, dist. 91. cap. nunquam, de consecrat. dist. 5. & tot. titul. ne Cleric. vel Monach. sub cuius prohibitione duo genera Clericorum comprehenduntur, nempè constituti in Sacris ordinibus, & Clerici beneficiati; cæteri verò constituti in minoribus ordi-
2 nibus, vel in prima tonsura quoad hoc habentur, vt meri laici, & non est eis interdicta negotiatio, Abb. in cap. 1. num. 21. ne Cleric. vel Monach. sęcul. negor. & in cap. 1. & 2. de postul. Nauar. con. 5. de succes. ab intestat. num. 2. & in Manual. cap. 25. num. 210. Redoan. in tract. de spol. quæst. 2. num. 61. Addit. ad Quarant. in verb. vectigal. quia possunt impunè sęculariter viuere, & ad sęculum redire, & ordini Clericali in totum renuntiare, & si non verbo, saltem facto, exercendo actum omninò contrarium.

3 Negotiatio autem est, quando quis rem emit, eandemque non mutata forma, sed integram vendendo lucratur, & dictum lucrum prouenit ex solertia vilius emendi, & carius vendendi, cap. quid est aliud, dist. 88. & hæc est propriè, & dicitur mercatura, quæ est prohibita Clericis.

4 Sed qui emit rem, & ex ea aliquid conficit, vt sit sibi materia aliquid operandi, non est negotiator; quia emere materiam rudem, & illam per se, vel interpositas personas ad aliquam formam reducere, non est negotiatio, sed artificium, nam illud lucrum non prouenit ex illa re vendita forma integra, sed ex artificio, & industria, Abb. in cap. fin. num. 10. de vit. & honest. Cler. Federic. de Sen. consi. 107. num. 2. Archid. Io. Andr. Geminian. & Franch. in cap. quamquam de censib. lib. 6. Imol. in clem. præsenti eod. tit. Syluest. in verb. excommunicatio 9. quæst. 21. Redoan. de spol. Cler. quæst. 2. num. 36. Molin. de contract. disputat. 330. num. 3. Bertrand. cons. 214. lib. 2. & sic emere lanam, & ex ea pannum conficere non est prohibitum Clericis maximè per interpositas personas, & tanto magis quando Clericus non lucri causa hoc faceret, sed vt prouideat suis coniunctis, & suis necessitatibus, Nauar. in Manual. cap. 25. numer. 11.

quia

quia non per hoc se distrahit à diuinis, cap. clericus dist. 91. Syluest. in verb. clericus 3. num. 2. dummodò artificium non reddatur inhonestum, seu illicitum ratione rerum, quas conficit, vt si essent cartæ lusoriæ, taxilli, arma bellica, & similia, vel si esset artificium sordidum, & immundum, veluti pelles, & coria aptare, & huiusmodi Addit. ad Quarant. in summa Bullar. in verb. Vectigal.

6 Item clericus potest sine reatu illicitæ negotiationis colere agros suorum beneficiorum, vel Ecclesiarum, quos conduceret ad affictum pro honesta, eius, & suorum substentatione, & non dicitur negotiator illicitus; quia agricultura est clericis permissa, cap. dilecti, de decim. not. in cap. 2. ne cleric. vel monach. cap. placuit 21. q. 3. Abb. in cap. cum secundum ne clet. vel monach. Redoan. de spol. qu. 2. num. 10. & seqq. Carol. de Grafs. de effect. cler. effect. 6. num. 30. vbi dicit, quòd huiusmodi prædiorum conductio non est negotiatio quæstuaria, etiam quòd fructus de prædijs conductis vendantur; quia in conductore non est verum, quòd res emuntur, & integra, & non mutata forma venduntur; quia fructus, qui venduntur, immediatè non emuntur, sed mediante opera, & artificio percipiuntur, & quòd conductor alienarum possessionum non sit, neque dicatur mercator, neque negotiator, clarissimè colligitur, ex traditis per Bart. in l. legatis in princip. de legat. 3. Alex. in l. diuortio in princip. ff. solut. matr. & est tex. in cap. 1. de celebrat. miss. vbi habetur, quod presbyter peractis horis canonicis exeat ad opus rurale, vbi glos. in verb. rurale dicit, quòd clericus, cui fructus Ecclesiæ non sufficiunt, potest quærere victum, & vestitum ex artificio, cap. clericus, & victum dist. 91. Carol. de Grafs. de effect. cler. effect. 6. nu. 28. & seq. Immò possunt clerici conducere territoria à laicis ad seminandum, & etiam pro pasculo suorum animalium patrimonialium, vel eis legitimè peruenientium; maximè quando Sacerdotes non possunt cõdecenter se substentare ex fructibus beneficiorũ, & Ecclesiarum, quibus sunt adscripti, cui iuris communis, & sacrorum canonum dispositioni Sacra Congregatio super negotia Episcoporum præposita, ad supplicationem nostri Capituli, conformans, se scripsit infrascriptas litteras Reuerendissimo Episcopo Ciuitatis Montispelusij tenoris sequentis.

Illustre, e molto Reuerendo Signor, come Fratello. Quando il Capitolo, e Clero di cotesta Città sia così pouero, che li Sacerdoti, & Clerici non possino sostentarsi condecentemente con li frutti delli beni loro patrimonij, ò de' beneficij, che possedono, si contenta la Sacra Congregatione di tolerare, che possino condurre ad affitto, & far coltiuare per mezzo di garzoni loro li terreni

della mensa Episcopale, & Capitulare, & pigliar anco in affitto dalle Communità gli herbaggi ad effetto di pascere vacche, pecore, & altri animali, che tengono nelli loro terreni, ò in questi, che pigliaranno in affitto per coltiuarli, ò ingrassarli, volendo che per questo non possino esser mai molestati essi, ò loro heredi per occasione di negotiatione illicita; il che m'hà ordinato la medema Congregatione, ch'io significhi à V. S. acciò s'informi bene del tutto, e da poi esequisca, & faccia osseruare quel che intende esser mente di detta Sacra Congregatione, & per fine Dio la prosperi, e conserui. Di Roma li 11. di Settembre 1607. Di V. S. come Fratello. Il Cardinal Gallo.

Item eadem Sacra Congregatio edidit infrascripta alia decreta, videlicet.

8 Sacra Congregatio Cardinalium negotijs Episcoporum præposita censuit licere Oratori beneficiorum, ac bonorum patrimonialium suorum agros opera laicorum colere, & pro huiusmodi culturæ vsu posse boues, & animalia necessaria coemere, illorumque fœtus iusto pretio vendere absq; reatu illicitæ negotiationis. Datum Romæ, &c.

Sacra Congregatio Cardinalium negotijs Episcoporum præposita censuit oratorem non prohiberi terras patrimoniales per laicos colere, & pro eiusdem culturæ vsu animalia necessaria coemere, eorumque animalium fœtus pro sua, & familiæ substentatione vendere, nec propterea illicitæ negotiationis prætextu vexari posse, aut debere. Romæ 22. Iunij 1629.

9 Et notandum est, clericum non posse dici negotiatorem per vnius rei emptionem, & venditionem, quia negotiator is dicitur, qui plures negotiationes exercet, l. 1. §. licet, & ibi glos. in verb. omnis, ff. de tribut. l. semper, §. diuus cum l. sequenti, ff. de iure immun. Bart. in l. legatis, num. 4. ff. de legat. 3. & in l. maritum, §. qui quæstum, ff. de adulter. Abb. in c. 1. de iudic. Anchar. Gem. & Franch. in cap. vnic. de vit. & honest. Cler. lib. 6.

10 Nec etiam dicitur negotiator illicitus Clericus, qui vendit vinum, frumentum, oleum, & alia huiusmodi, quæ proueniunt ex proprijs vineis, oliuetis, fundis, vel ex beneficijs, Abb. cons. 6. vol. 1. Dec. in cap. Ecclesia Sanctæ Mariæ, de Constit. Crauett. cons. 163. num. 3. Rolan. cons. 71. numer. 10. vol. 4. Imol. in cap. fin. de vit. & honest. cler. & alij allegati per Carol. de Grass. de effect. cler. effect. 6. n. 33. & potest ad mensuram vendere siue grossam, siue minutam; quia cũ prædicta recolligantur ex vineis, & proprijs fundis non dicitur clericus negotiari, Tolet. in summ. lib. 1. cap. 38. vers. vndecima, Ignat. Lopez. in addit. ad Diaz in pract. crimin. cap. 55. vers. ex quibus sequitur, & potest vendere vinum domi, nec ex hoc dicetur tabernam tenere, dummodò non per se, sed per alios, Franch. in cap. vnic. de

vit.

vit. & honest. cleric. lib. 6. Bart. in l. legatis seruis, ff. de legat. 3. Bartholom. Vgolin. de offic. & potest. Episcop. cap. 13. §. 16. numer. 4. in fin.

11 Item non dicitur Clericus negotiator, si vendit id, quod superest de eo, quod vilius emit pro sua familia, iusto pretio currenti, Ignat. Lopez. loco citato, Abb. in cap. 1. ne cler. vel monach. Graff. lib. 2. cap. 18. num. 12. qui dicit, quòd emens, non vt vendat, sed vt eo vtatur, si postea ob aliquam causam vendit, vel præter propositum ei superest, non peccat, S. Thom. 2. 2. q. 77. art. 4. ad 2. Syluest. in verb. clericus 3. q. 1. Carol. de Grass. de effect. cler. effect. 6. num. 22.

12 Similiter non est negotiator clericus, si equos, vaccas, boues, & oues in proprio territorio, vel alieno conducto vt supra dictum est nutriret, & postea illorum fętus, & fructus, cum creuerint, & suo labore, & industria, melioratos, carius vendit, Graff. decis. aur. lib. 2. cap. 18. num. 8. Addit. ad Quarant. in summ. Bullar. in verb. vectigal. vers. similiter; & sic etiam si proprium iumentum, quod sibi seruit, alijs locaret, Addit. ad Quarant. loco citato. Similiter clerici possunt exercere negotiationem licitam, & honestam ex necessitate ad se, & suos sustentandum, iuxta glos. in cap. peruenit, dist. 86. Nauar. cons. 5. num. 3. de succes. ab intest.

13 Item clerici in sacris non possunt esse aduocati, & causas patrocinari, cap. 1. de postul. & cap. 1. vbi Abb. ne cleric. vel monach. possunt tamen allegationes iuris conficere domi, & consilium petentibus dare; quia hoc est meritorium, quod maximè conuenit clericis, vt per Ignat. Lopez in addit. ad pract. crim. Diaz cap. 63. vers. sextò limita, qui allegat. tex. in cap. 1. dist. 39. & tradit Rip. in cap. decernimus, de iudic. Immò si sunt egentes, etiam in sacris constituti poterunt aduocare, vt ex aduocatione possint sibi victum, & alia necessaria quærere, Henric. Boic. in d. cap. 1. de postul. qui allegat tex. in cap. clericus victum, dist. 91. Abb. post Host. in d. cap. 1. quia si licet clerico indigenti opus rurale exercere, cap. 1. de celebrat. miss. & supra dictum est, multò magis hoc debet permitti ex patrocinio, & causarum aduocatione, quæ est dignitas, & exercitium nimis honoratum, laudabile, & necessarium, l. laudabile, C. de aduocat. diuers. iudic. cap. quia Episcopus in fin. 5. q. 3. Foller. super Constitut. Regn.

14 Item statuimus, num. 29. tit. de iudęis, Gaill. lib. 1. obseruat. 43. n. 3. & 4. & congruit dignitati aduocati Rempublicam defendere, sicut militibus armatæ militiæ eam tueri, l. aduocati, C. de aduocat. diuers. iudic. Abb. in dicto cap. 1. num. 4. & ita tenent omnes communiter recentiores, Redoan. de spol. cler. §. 7. sub num. 5. Ignat. Lopez

in addit. ad pract. crimin. Diaz cap. 55. Tiraquell. in tract. de nobilitat. cap. 29. num. 11. & vltra iura, & rationes per Doctores allegatas, ista sola sufficere potest, nempè; quia si hoc officium potest exercere pro pauperibus, miserabilibus, & illorum necessitatibus subueniat d. cap. 1. & 3. de postuland. à fortiori erit sibi licitum, & honestum, vt propriæ egestati consulat; nam benè ordinata charitas incipit à se ipso, l. præses, C. de seruit. & aqu. glos. in cap. 3. in verb. videamur, de supplen. neglig. prælat. & ita seruatur Romæ vbi etiam Sacerdotes officium aduocationis exercent in quibuscumque causis Ecclesiasticis, profanis, & alienis, Sim. Maiol. de irregularit. lib. 5.
15 cap. 19. num. 4. Item clerici etiam in sacris possunt esse assessores, & consultores iudicis laici in causis ciuilibus Specul. tit. de offic. assess. §. debet vers. sed nunquid, Ias. in rubr. ff. de offic. assess. num. 69. Dec. in repetitione, cap. decernimus, num. 140. de iudic. Carol. de Grass. de effect. cler. effect. 13. num. 8.
16 Et notandum est, quòd acquisita per clericum ex illicita negotiatione post eius mortem faciunt spolium per Constitutionem Pij IV. quæ incipit, *Decet esse*, Datam Romæ nonis Nouembris 1560. dixi post mortem; sed hodie etiam pluries in vita ipsius clerici, vt experientia docet sed acquisita per clericos ex beneficijs non faciunt spolium in hoc Regno per compositionem factam cum Reuerenda Camera Apostolica.
17 Episcopi autem Archiepiscopi, & alij Superiores Prælati ex acquisitis de bonis eorum Ecclesiarum faciunt spolium; sed ornamenta,
18 & paramenta, Missalia, libri, & aliæ res sacræ, etiam auri, & argenti non faciunt spolium; sed relinquuntur, & applicantur Ecclesijs, vbi fuerunt Prælati. Scamna autem Cathedræ, arcæ ligneæ, vel lapideæ, etiam marmoreæ, mensę tabulæ, & dolia vinaria vacua, & alia suppellectilia domestica referuantur successori ex Constitutione Pij V. incipien. *Romani Pontificis prouidentia*, sub Datum Romæ calendis Se-
19 ptembris 1567. in qua Summus Pontifex ad arcendam insolentiam Commissariorum committit Auditori Cameræ, locorum Ordinarijs, ac maiorem dignitatem post Pontificalem in Ecclesijs Cathedralibus, & Metropolitanis obtinentibus, vt dictam Constitutionem, & contenta in ea obseruare faciant; in qua Constitutione dictus Summus Pontifex committit per hæc verba. Quocirca dilectis filijs curiæ causarum Cameræ Apostolicæ generali Auditori, & singulis locorum Ordinarijs, ac maiorem dignitatem post Pontificalem in vniuersis Ecclesijs Cathedralibus, & Metropolitanis pro tempore obtinentibus per Apostolica scripta motu simili mandamus; quatenus

mus ipsi, vel duo, aut vnus eorum præsentes litteras, & in eis contenta quæcumque vbi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte quorumcumque in præmissis interesse habentur, vt præfertur, fuerint requisiti solemniter publicantes, eisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant authoritate nostra præsentes litteras, & in eis contenta quæcumque firmiter obseruari, ac singulos, quos litteræ ipsæ concernunt illis pacificè gaudere, non permittentes eos de super quomodolibet indebitè molestari contradictores, &c.

CAPVT XXXIV.

De præcedentia inter personas Ecclesiasticas.

SVMMARIVM.

1 *Clerus, & Clerici Seculares sunt digniores Clericis Regularibus.*
2 *Cœtus Clericorum Secularium facit senatum Ecclesiæ.*
3 *Clerici fuerunt instituti ab Apostolis.*
4 *Archiepiscopus in Concilio Prouinciali obtinet primum locum.*
5 *Episcopi quem locum, & ordinem tenere debent in Concilio Prouinciali.*
6 *Episcopus exemptus, an habeat primum locum inter Episcopos suffraganeos in Concilio Prouinciali.*
7 *Capitulum Ecclesiæ Cathedralis quem locum habet in Concilio Prouinciali.*
8 *Abbates habentes vsum Mitræ, & baculi, quem locum obtinent in Concilio Prouinciali.*
9 *Commendatarij, Dignitates, & Procuratores Capitulorum, quem locum debent habere in Conc. Prouinciali.*
10 *Prothonotarij Apostolici extraordinarij, illi qui dicuntur participantes quem locum habent in Concilio Prouinciali.*
11 *Archiepiscopus, an teneatur celebrare synodum Prouincialem in Ecclesia Metropolitana.*
12 *Archidiaconus est maior, & dignior Archipresbytero.*
13 *Archidiaconus si est Sacerdos præcedit Archipresbyterum in celebratione diuinorum officiorum.*
14 *Archidiaconus non præcedit Vicarium generalem Episcopi.*
15 *Vicarius generalis Episcopi si est Canonicus, vel de gremio Ecclesiæ an præcedat Archidiaconum.*
16 *Vicarius generalis deputatus à Capitulo Sede vacante, an præcedat Archidiaconum, & Canonicos.*
17 *Consuetudo, vt Archidiaconus præcedat Vicarium generalem Episcopi, an valeat.*
18 *Archidiaconus est ipso iure Vicarius Episcopi.*

19 *Ar-*

19 *Archidiaconus administrat iurisdictionem infra octo dies, dum tractatur de deputando Vicario Sede vacante.*
20 *Archidiaconus examinat promouendos ad ordines.*
21 *Sacerdos Doctor an praecedat alium Sacerdotem non Doctorem, sed prius ordinatum.*
22 *Doctor duarum facultatum praecedit Doctorem vnius.*
23 *Prioritas promotionis est maior qualitas, quam Doctoratus.*
24 *Consuetudo est optima legum interpres.*
25 *Sacerdos Doctor praecedit alium non Doctorem, quando sunt eodem die ordinati.*
26 *Canonista praefertur Theologo.*
27 *Vincula duo magis stringunt, quam vnum.*
28 *Theologia habet subiectum nobilius omnibus alijs scientijs.*
29 *Scientia Canonica est melior in Ecclesia Dei propter participationem aliorum bonorum.*
30 *Episcopus componit controuersias de praecedentia inter personas Ecclesiasticas.*
31 *Regulares quomodo inter se praecedere debent in processionibus.*
32 *Decretum Sacrae Congregationis super praecedentia Regularium.*
33 *Capuccini possunt deferre Crucem propriam in processionibus.*
34 *Capuccini, an cedere debeant digniorem locum alijs Regularibus, qui in processionibus incedebant cum propria Cruce.*
35 *Paulus Apostolus quare in Bullis Papalibus depingatur à dextris, & Petrus à sinistris.*

CVm persæpè soleant oriri controuersiæ inter personas Ecclesiasticas super præcedentia in loco, processionibus, sessionibus, & alijs actibus huiusmodi; ideò aliqua circa hoc notanda censui, & in
1 primis sciendum est, quòd clerus, & clerici sęculares sunt digniores, quàm clerus, & clerici regulares, cap. alia 16. q. 1. ibi ante presbyte-
2 rum sedere non licet; quia cætus clericorum sęcularium facit senatum Ecclesiæ, cap. Ecclesia ead. caus. & quæst. & ordo postulat. vt maior in ordine præcedat minorem; & sic clericus sęcularis præcedit regularem, cap. à Subdiacono, & ibi glos. in verb. Abbas, dist. 93. plenè Cardin. Alex. in cap. Episcopos, numer. 3. dist. 17. qui hoc affir-
3 mat duplici ratione; primò, quia magis Episcopo sunt proximi, qui est caput; secundò, quia fuerunt instituti ab Apostolis.
4 Et in primis est notandum, quòd in Concilio Prouinciali Archiepiscopus obtinet primum locum, in quo ipse est caput, dist. 18. per tot. ad ipsumque Archiepiscopum spectat Prouinciale Concilium cogere, cap. quoniam, dist. 18. Concil. Trident. sess. 24. cap. 2. de refor-

reformat. non tamen est superior Synodo Prouinciali, Nauar. cons. 6. de maior. & obedient. quia ab Archiepiscopo appellatur ad ipsam Synodum, tamquam ab inferiori ad Superiorem, glos. in verb. potuisti, in cap. à collatione, de appellat. lib. 6. Host. in cap. graue de prębend. Cardin. in clem. 1. §. quod etiam de sent. excomm. & ibi Anchar. numer. 5. quia Archiepiscopus non se habet ad Concilium Prouinciale, sicut se habet Pontifex ad Concilium generale, vel Episcopus ad suum Capitulum; sed vt se habet Archidiaconus ad Capitulum Ecclesiæ cathedralis, qui est caput ipsius ad eum effectum, vt sit eiusdem Capituli conuocatio, ibique tamquam præsidens habeat primam sedem; non tamen est superior, sed inferior toto Capitulo; sic Archiepiscopus est caput Synodi Prouincialis in quantum ad ipsum spectat illam cogere, ac illi praeesse, habendo primam sedem; non tamen quòd sit maior ea congregata, nec habet parem iurisdictionem, sed est tantum simul Iudex, & collega aliorum Episcoporum, qui in ea congregantur, hæc Nauar. dicto cons. 6. de maior. & obed.

5 Secundò in Concilio Prouinciali obtinent locum Episcopi in sessionibus, & subscriptionibus, & illum ordinem tenere debent, quem habent tempore ordinationis eorum, vt qui primò assumptus fuerit ad Episcop. locum primum, qui secundo locum, secundum sibi vendicare debent, cap. Episcopos, dist. 18. facit cap. qui prior vbi glos.
6 de regul. iur. lib. 6. sed dubium est de Episcopo exempto; quia videtur dicendum, quòd cum sit immediatè subiectus Papę, deberet sedere in altiori loco, quàm non exemptus, glos. in cap. per tuas in verb. Subdiaconatus, de maior. & obed. nam cum Papa exemptos Episc. honorare voluerit ipsis concedendo exemptionē, non debent alij dedignari eos inter cæteros honorare facit, cap. vt Apostolicæ, de priuileg. lib. 6. vbi dicitur, quod Abbates exempti possunt in Synodo vti pretiosiori mitra, quam non exempti, sed Abb. in dicto cap. per tuas videtur sentire contrarium; similiter tenet contrarium Cathal. glor. mund. part. 4. consid. 24. & expresè dicit, quod in Concilijs Galliæ seruatur, quod Episcopi exempti obtinent locum secundum prioritatem temporis ordinationis; & ita nouissimè est dispositum per Clementem VIII. in Cęremoniali Romano lib. 1. cap. 32. vt Episcopi præcedant iuxta ordinem promotionis nullo habito respectu ad dignitatem, vel præeminentiam Ecclesiarum.

Sed quid dicendum est de Archiepiscopo translato ad Ecclesiam Episcopalem suffraganeam, an in Concilio Prouinciali sedere debeat immediatè post Metropolitanum ratione Archiepiscopalis dignitatis, qua functus est, & præcedere debeat alios Episcopos antiquio-

quiores? Resp. affirmatiuè propter memoriam pristinæ dignitatis, & honoris, quem gessit, ratione cuius retinet iura reuerentialia per ea, quæ dicit Felin. in cap. quæ in Ecclesiarum, num. 81. de constit. facit tex. in l. 1. ff. de alb. scrib. nam Archiepiscopus traslatus ad Ecclesiam suffraganeam cessit loco, & non dignitati, arg. tex. in cap. 2. de ord. ab Episcop. qui renunt. Episcop. & in cap. post translationem, de renunt. Prosper de August. in addit. ad Quarant. in Summ. Bullar. in verb. Concilium Prouinciale, sub num. 9.

7 Tertiò obtinent locum Capitula Cathedralium Ecclesiarum, dummodò capitulariter incedant, & sedeant; quia repræsentant Ecclesiam Cathedralem, quæ plus alijs honoranda est Dominic. de Sancto Gemin. in cap. quamuis, §. nunquam de præbend. lib. 6. Felin. in cap. postulasti, de rescript. & in cap. meminimus, de accus. Abb. in cap. cum non liceat, de præscript. vbi dicit, quòd Ecclesiæ inferiores debent reuerentiam Episcopo, & Ecclesiæ Cathedrali, Cathal. glor. mund. part. 4. consider. 32. & si tempore celebrationis Concilij Prouincialis vacaret sedes, Capitulum Ecclesiæ Cathedralis; quia succedit in iurisdictione, debet de necessitate vocari; & potest comparere per Vicarium generalem cum speciali mandato dandi votum decisum, cum sit iurisdictionis, quæ transit in Capitulum sede vacante, licet sede plena Capitula Cathedralium habeant vocem consultiuam tantùm, Paul. Piasecius in prax. Episcopal. part. 2. cap. 2. num. 2. Prosp. de August. in addit. ad Quarant. in verb. Concilium generale.

8 Quartò Abbates habentes vsum mitræ, & baculi, qui præferuntur etiam Prothonotarijs extraordinarijs, licet deferant rochetum, quod non faciunt Abbates, Oldr. cons. 204. incip. prima quæstio.

9 Quintò Procuratores Episcoporum absentium, deinde Commendatarij, postea dignitates, mox Procuratores Ecclesiarum Cathedralium; vt habetur in Ceremoniali Romano nuper edito per Clementem VIII. lib. 1. cap. 32. & demum Prothonotarij extraordinarij, qui præferuntur alijs Clericis, Cassan. in Cathalog. Glor. Mund. part. 4. considerat. 29. vbi dicit, quod de istis Prothonotarijs non habetur tanta consideratio, & dignitas eorum hodie vilescit.

10 Prothonotarij vero participantes sunt in maxima æstimatione, & dicuntur in dignitate constituti; cum sint Notarij Papæ; Cassan. loco citato, qui in Concilio Prouinciali sedere debent post Episcopos, vt in dicto Ceremoniali lib. 1. cap. 32.

11 Sed quæro, an Archiepiscopus teneatur celebrare Synodum Prouincialem in Ecclesia Metropolitana; ita vt præferatur, vel possit ad

cius

eius libitum eligere alium locum suæ Diœcesis? Resp. quòd hęc quęstio est decisa à Sacra Congregatione Concilij Trident. his verbis: Ad Archiepiscopum spectat electio loci celebrandę Synodi Prouincialis tamen cessantibus impedimentis iustis, & accedentibus commoditatibus necessarijs, probauit Congregatio Concilij Metropolitanam Ecclesiam non esse relinquendam. Et nuper ad supplicationem porrectam eidem sacræ Congregationi per Capitulum, & Vniuersitatem Ciuitatis Materiæ decreuit his verbis: Die 3. Iunij 1628. Sacra Congregatio Cardinalium Concilij Tridentini interpretum respondit, electionem loci celebrandæ Synodi Prouincialis ad Archiepiscopum pertinere. Verùm pro nunc probauit, vt in Ciuitate Materanen. conuocetur; cum illa pro huiusmodi celebratione aptior, & commodior supponatur.

12 Sed primò notandum est, quòd Archidiaconus est maior, & prima Dignitas post Pontificalem in Ecclesia Cathedrali, cap. ad hæc, de offic. Archid. clem. fin. & ibi Card. Dec. post Abb. in cap. ad aures, de rescript. Bal. cons. 387. lib. 5. & licèt Dignitas debeat habere iurisdictionem, vt possit dici Dignitas Archid. in cap. 1. de consuet. tamen quia de iure est nomen Dignitatis d. cap. ad hæc, quamuis de consuetudine non habet iurisdictionem; quia de iure illam habet, & prærogatiuam, & prælationem in sedendo in primo loco in choro, & in Capitulo, est vera Dignitas, cap. cum olim, & ibi glos. in verb. in sessionibus, de consuet. cap. consuetudo dist. 12. d. cap. cum olim Io. And. post Archid. in cap. 1. de consuet. lib. 6. Butr. in cap. de multa, de præben. Bal. d. cons. 387. Boer. decis. 286. num. 5. Gram. decis. 64. num. 2. & de consuetudine Ecclesiarum totius Italiæ Archidiaconus est prima Dignitas, Viu. decis. 290. num. 2. & ideò est dignior Archipresbytero, Primicerio, & omnibus in loco, voce, administratione sessionibus, & huiusmodi actibus, dicitur oculus Episcopi, d. cap. ad hæc, §. item in Epistola, de offic. Archid. Boer. d. decis. Concil. Trident. sess. 24. cap. 12. de reform. & obtinet primum locum post Episcopum, & in multis illius vices gerit, cap. 1. de offic. Archid. Cathalag. glor. Mund. p. 4. considerat. 40. & rationem quare Archidiaconus est maior, & dignior Archipresbytero assignat, Card. in clem. 1. de præben. quia licèt cura animarum, quam habet Archipresbyter sit dignior cura rerum temporalium, quam habet Archidiaconus sicut anima est dignior corpore; tamen quia cura temporalis, & administratio, quam de iure habet Archidiaconus, est superior, & eminentior; quia ab eà dependet cura fori animæ; nam exercentes administrationem temporalem magis adhærent Episcopo, sicut Cardinales

nales magis adhęrent Papę, qui maius officium, & administrationem temporalem cum Papa habent, præcedunt Episcopos, qui sunt maiores ordine, sic Archidiaconus, qui est maior administratione, præcedit Archipresbyterum, qui est maior ordine, Dec. in cap. sanè il 2. num.6. de offic. delegat. glos. in cap.1. in verb. subesse de offic. Archipr. facit, glos. in cap. in nouo in verb. pari, dist.21. & in cap. penultim. in verb. electionis, de offic. delegat. lib.6. & expresè glos. in cap. statuimus in verb. consueta, de maior. & obed. & illa maioritas ratione administrationis præualet, & attenditur, ideò Archidiaconus ratione administrationis præfertur Archipræsbytero, Felin. in rub. de maior. & obedient.
13 Secundò notandum est, quòd quando Archidiaconus est constitutus in ordine Sacerdotali præcedit Archipresbyterum etiam in celebratione Missarum, & aliorum diuinorum Officiorum; ratio est, quia cum sit par in ordine cum Archipresbytero, & maior administratione, ipsum præcedit in celebratione Missarum, Host. in cap.1. de offic. Archipr. quem sequuntur Io. Andr. Anchar. Butr. Card. Io. de Anan. Abb. & Bero. cons.22. num.31. lib.1. eandem conclusionem ad fauorem Archidiaconi firmat glos. in verb. licita, iuncta glos. in verb. Sacerdotes in cap. Pontifices 7. q.1. & ne videatur oblita casus, in quoad esset Dignitas Archipresbyteralis, allegat tex. in cap. perlectis, dist.25. vbi de Archipresbytero, & illius officio fit particularis mentio. Nec etiam deficit alia ratio pro Archidiacono; quia simpliciter loquendo est dignior, & eminentior Archipresbytero; & ob hanc rationem ille in Ecclesia, & extra, & in omnibus actibus videmus, quod præcedit, vt admittunt omnes in cap. 1. de offic. Archid. & latiùs prosequitur Barbat. cons.5. lib.2. per totum; videtur igitur conuenire maiestati Sanctissimi Sacramenti, & decentiæ Ecclesiæ, vt per digniorem celebretur, nisi obstaret defectus ordinis Sacerdotalis. Nec obstat, quod hoc munus specialiter reperitur demandatum Archipresbytero, dicto cap.1. de offic. Archipr. quia non propterea prohibetur Archidiacono si ex alijs regulis iuris ad illum spectare potest, & non est nouum in iure, quòd idem officium pluribus competere possit, ordinatè tamen; ita vt vnus præferatur alteri, vt in termino celebrationis Missarum prosequitur Bero. dicto cons. 22. num.23. lib.1. Nec obstat etiam, quòd celebratio Missarum sit de ijs, quæ spectant ad ordinem, & in istis Archipresbyter dicatur maior Archidiacono, glos. Host. & alij in dicto cap.1. quia Doctores loquuntur præsupposito quòd Archidiaconus sit talis, qualis necessitas illius dignitatis exposcit, hoc est simplex Diaconus; quia ex necessita-

necessitate non tenetur suscipere Sacerdotium, cap. gesta, & cap. vbi dist. 74. cum concord. secus si fiat Sacerdos; quia tunc respectu ordinis Sacerdotij non est amplius minor ordine, sed æqualis, vt supra, & facit; quia ordo Sacerdotalis non inest dignitati, sed personæ, in cuius anima imprimitur character; & ideò licèt vna dignitas acquirat personam maioris ordinis, quàm altera, non propterea loquendo propriè, dici potest, quòd vna Dignitas sit ordine sacro maior, quàm altera. Nec similiter obstat, quòd qualitas Sacerdotij in Archidiacono sit accidentalis; cum illam ex necessitate suæ dignitatis suscipere non teneatur; quia si considerantur solæ dignitates, nullo modo eis inest ordo sacer; si verò attenduntur personæ vtriq; inest accidentaliter; vnde cum in hoc sint pares, ille præfertur, qui in cæteris sit dignior; & ideò concludo, quòd Archidiaconus, quando est Sacerdos, præcedit Archipresbyterum in celebratione Missarum in diebus solemnibus, in delatione Sanctissimi Sacramenti, in eius festo, in benedictione Cinerum, Palmarum, Candelarum, & earum distributione, & alijs diuinis functionibus solemnibus absente, vel impedito Episcopo; & ita pluries fuit resolutum, & decisum à sacra Rituum Congregatione, vt testatur Illustrissimus Cardinalis Tuschus in tract. pract. resolut. lib. 1. conclus. 682. num. 15. & Prax. Cur. Archiepis. Neapol. cap. 64. in cap. de processionibus in annotatione.

14 Tertiò notandum est, quòd licèt magna controuersia sit inter scribentes, vt negari non possit; quin dubia reddatur quæstio illa, an Vicario generali Episcopi, vel Archidiacono debeatur primus locus, & quis eorum præcedere debeat, pro qua vt dicit Iacob. Sbroz. de offic. Vic. lib. 2. quæst. 25. strenuè hinc inde pugnant Canonistæ, vera tamen, & communis opinio est, quòd Vicarius generalis Episcopi præcedit Archidiaconum, Feln. in rubr. de maior. & obed. num. 10. Ias. in l. de quibus, ff. de leg. Boer. in tract. de auth. magn. Consil. num. 77. Cassan. in cathal. glor. Mund. part. 4. considerat. 46. Paul. Fusch. de visitat. & regimini Eccles. lib. 1. cap. 2. numer. 19. Abb. in cons. 21. Felin. in cap. statuimus, de maior. & obedient. tex. est in cap. præcipimus, dist. 93. quia Vicarius generalis Episcopi existens in loco, in quo est vt Vicarius debet sedere in maiori loco, & præferendus est; immò secundum Abb. in dicto cons. 21. non valet consuetudo in contrarium, quod an sit verum, infra patebit.

15 Sed fallit, quando Vicarius generalis esset Canonicus, vel alias de gremio Ecclesiæ; quia tunc si incederet cum cotta, seu superpelliceo, & almutio, non solùm præcederet Archidiaconum, sed nec alios Presbyteros antiquiores se, sed sedere debet in loco suo in Choro,

ro, & in processionibus tenebit locum suum, Gemin. in cap. à collatione, de appellat. lib.6. Felin. dicta rubr. de maior. & obed. num.4. in fin. Boer. de auth magn. consil. num.66. Cassan. loco citato p.4. considerat.45. Menoch. de arbitr. iudic. lib.2. casu 68. numer.23. & cons.51. num.43. Barbat. de præstant. Cardin.num.32.q.1. Panuin. de potest. cap. Sede vac. p.2. q.10. vers. an autem Vicarius, Capyc. decis.27. num.27. Iacob. Sbroz. de Vicar. Episcop. lib.2. quæst.25. numer.17. cum alijs citatis ab eo, Melill. in tract. de præced. cap.6. num.8.

16 Fallit etiam in Vicario generali deputato à Capitulo Episcopali Sede vacante, qui etiam, quod non sit Canonicus, vel de gremio Ecclesiæ, & non incederet in apparatu Presbyterali; si vellet tamquam Vicarius in actibus interuenire, ad huc non præcederet Archidiaconum, neque alios Canonicos, Felin. in dicta rubr. de maior. & obed. Io. Andr. in cap. fin. de offic. delegat. Boer. de authorit. Magn. Consil. num.66. & 70. Sbroz. loco citato, num.20.

17 Quartò notandum est, quod licèt Abb. in dicto cons.21. & alij teneant non valere consuetudinem, quod Archidiaconus præcedat Vicarium generalem Episcopi; tamen in quampluribus Ecclesijs insignibus viget consuetudo contra Vicarium generalem, pro qua consuluerunt celeberrimi Iurisconsulti, tenentes validam esse consuetudinem, quòd Archidiaconus præcedit Vicarium generalem Episcopi, vt Corn. cons.19. vbi tenet, & per efficacissimas rationes valere consuetudinem ad fauorem Archidiaconi Perusini, Menoch. cons.51. & cons.257. Cassan. in Catalog. glor. Mundi p.4. considerat.46. in fine dicit consuetudinem esse in Ciuitate Heduen. quod Archidiaconus, & omnes antiquiores præcedunt Vicarium, & officialem Episcopi; habent enim Archidiaconi de iure multas præro-
18 gatiuas; nam ipso iure est Vicarius Episcopi ipso absente, cap.1. & ibi glos. & cap. ad hæc, §. secundum, & §. item Epistola, de offic. Archid. Dec. cons.664. num.8. Alex. in rub. de offic. eius, num.16. dicitur oculus Episcopi, dicto cap.1. de off. Archid. Abb. in cap. di-
19 lecto, eod. tit. Concil. Trid. sess.24. cap.12. de reformat. Item Archidiaconus substinet vices Capituli, & administrat iurisdictionem infra illos octo dies, interim, quod a Capitulo tractatur de deputatione Vicarij Sede vacante, Iacob. Sbroz. de offic. Vicar. lib.1.q.61. Petr. Foller. in comment. super Constit. Regn. quæ incipit. *Peruenit ad Audientiam nostram*, num.75. vbi dicit ita fuisse obseruatum Salerni Sede Archiepiscopali vacante, per mortem Cardinalis Seripan-
20 di, Item Archidiaconus examinat, & approbat, vel reprobat pro-

mouen-

mouendos ad ordines, & prę ficiendos Ecclesijs, cap. ad hæc, de offic. Archid. & licet Concilium Trident. sess.23. cap.7. de reformat. disponat, vt Episcopi asciscant sibi Sacerdotes, & alios prudentes viros, qui ordinandorum doctrinam examinent, iuxta cap. quando, dist.24. non tamen excludit Archidiaconum, ad quem de iure spectat hoc examen dicto cap. ad hæc. Item est caput Capituli, vt probat tex. in cap. dilecti filij, de maior. & obedient. vbi Anton. de Butr. & Imol. & magis expressè Bal. ibi, & hinc est, quòd Archidiaconus in omnibus, & quibuscumque Ecclesijs Italiæ habet tam de iure, quàm de generali consuetudine primum locum in choro, & primam vocem in Capitulo cum maxima præeminentia præ cæteris in Ecclesia, Barbat. cons.5.

21 Sed quæro de quæstione illa, an Sacerdos Doctor ratione sui Doctoratus præcedere debeat alium Sacerdotem non Doctorem prius ordinatum, & videtur dicendum debere præcedere, quia duo vincula magis stringunt, cap.1. de treg. & pac. Auth. itaque C. com. de succes. Secundò, quia Doctor duarum facultatum præcedit Doctorem vnius, iuxta communem de qua Abb. & alij in cap.2. de iudic. Doctores in l. cum quid, ff. de reb. cred. Tertiò, quia qui habet aliquam qualitatem notabilem; & considerabilem præcedit illum, qui est sine tali qualitate, vt videtur probare tex. in l. 2. Cui dignit. ord. ser. lib.12. sic iste Sacerdos habens qualitatem Doctoratus, & Sacerdotium, est præferendus ei; qui habet tantum sacerdotium, sed his non obstantibus, verior est opinio, quòd qui non est Doctor, sed est prius ordinatus ad Sacerdotium præcedit Sacerdotem Doctorem posterius promotum, & ratio est, quia in habentibus dignitates eiusdem ordinis, ille præfertur, qui prior ad eam assumptus est, l.1. C. de

23 consul. lib.12. & l.1. ff. de alb. conscrib. nam prioritas promotionis est maior qualitas, quàm Doctoratus, & est maior etiam dignitate Prothonotariatus extraordinarij, vt probat tex. in cap. Episcopos, dist.17. iuncta glos. in verb. tempus, quæ ratio excludit argumenta in contrarium adducta, item quia vt Nauar. cons.5. de maior. & obe-

24 dient. dicit, quòd consuetudo, quæ est optima legum interpres, cap. cum dilectus, de consuetud. Conciliorum generalium, & Prouincialium habet, vt Episcopi sedeant, & suas sententias dicant prius, vel posterius iuxta priorem, vel posteriorem promotionem, illorum, non habito respectu nobilitatis, Doctoratus, vel Magisterij vt supra dictum est, nec obstat illud, quod dicit Felin. in rubric. de maior. &

25 obedient. quatenus velit, quòd Episcopus Doctor præcedat Episcopum non Doctorem; quia illud procedit, quando eodem die am-

bo fuerunt ordinati, non autem diuerso tempore, Nauar. dicto cons. 5. sicut etiam præcederet Sacerdos Doctor alium non Doctorem ordinatum eodem die; quia quando sunt duo ordinati eodem die, & vnus esset Doctor præcederet non Doctorem, Bart. & Alex. in l. 1. ff. de obsequ. præstan. & nota, quòd Canonicus modernior sedere debet in vltimo loco Canonicorum, ex quo omnes antiquiores illum præcedere debeant ex regula, qui prior, de regul. iur. lib. 6. cap. eum, qui de præbend. lib. 6. cap. statuimus, de maior. & obedient. Felin. in rubr. de maior. & obed. num. 2. Nauar. cons. 10. num. 1. & 8. de maior. & obedient. Vinc. de Franch. decis. 138. num. 2. & decis. 144. Gonzal. super Regul. 8. Cancell. glos. 5. §. 9.

26 Quintò notandum est, purum Canonistam præferri puro Theologo; quia ius Canonicum censetur esse diuinum, vt voluerunt Host. & Io. And. in cap. nimis, de iureiur. & in beneficijs obtinendis purus Canonista præfertur puro Theologo, nisi Ecclesia, in qua est beneficium, ad quod concurritur, magis indigeat Theologo, vt quia sit vicina hæreticis; ita præfati Doctores in cap. 1. de consang. & affinit. Roman. cons. 333. incipien. *Quoad primum*, multò magis in Doctore
27 vtriusque iuris; quia duo vincula magis stringunt vno, c. 1. de tregu.
28 & pac. l. fin. de adopt. præterea licet scientia Theologiæ habeat subiectum nobilius cæteris scientijs; cum principalis eius sermo sit de Deo, vt patet ex etymologia vocabuli; tamen scientia Canonica est
29 melior in Ecclesia Dei participatione aliorum bonorum; quia eius subiectum est homo dirigibilis, non solùm ad bonum commune, sed etiam ad ipsum Deum secundum sacras regulas, vt notatur in proœmio Decretalium, Abb. in cap. clerici, de iudic. Staffil. in tract. de gratijs expect. fol. mihi 251. num. 3. & sequen.

30 Sextò notandum est, quòd omnes controuersias de præcedentia, quæ persæpè cum magno scandalo oriuntur inter personas Ecclesiasticas, tam seculares, quā regulares cum in processionibus, tum in tumulandis defunctorum corporibus, & in deferenda vmbella, & alijs similibus, Episcopus amota omni appellatione non obstantibus quibuscumque componere potest, Concil. Trident. sess. 25. cap. 13. de refor. Regul.

31 Quo verò ad præcedentiam inter Regulares licèt olim Pius V. statuerit per eius Constitutionem, vt inter Mendicantes, Fratres Ordinis Prædicatorum Sancti Dominici primum, & digniorem locum in processionibus, & alijs actibus debuissent habere; & postmodum Gregorius XIII. per suam Constitutionem, quæ incipit, Exposcit illam Pij V. reuocauerit, statuendo, quod illi præcedere debuissent,

qui

qui prius in loco controuersiæ Monasteria habuerint; tamen Sacra Congregatio, quoad huiusmodi præcedentiam postea decreuit per
32 hæc verba: Sacra Congregatio Illustrissimorum, & Reuerendissimorum S. R. E. Cardinalium negotijs, & consultationibus Episcoporum, & Regularium, præfecta ad tollendas omnes lites, & controuersias, quæ inter Regulares plerumque solent oriri super eorum præcedentia in processionibus, & alijs actibus, tam publicis, quàm priuatis, illud in futurum obseruandum censuit, quod in hac alma Vrbe omnium matre, & Magistra seruatur, die 30. Augusti 1593. Illustrissimus, & Reuerendissimus Cardinalis Alexandrinus retulit supradictam Congregationis sententiam Sanctissimo placuisse; & iuxta eam in casibus occurrentibus semper rescribi, & si opportunam fore videbitur generalem Constitutionem desuper fieri mandasse, illa Gregorij, quæ incipit, *Exposcit*, alijsque contrarijs quibuscumque non obstantibus.

33 Capuccini autem qui in processionibus absque Cruce propria incedebant sub Cruce Fratrum Minorum Conuentualium Sācti Francisci ad tollendas dissentiones, quæ inter ipsos, & Fratres dicti Ordinis Minorum Conuentiualium oriebantur, obtinuerunt à Sanctissimo D. Paulo V. vt possent deferre Crucem propriam, quòd fuit concessum per Breue Sanctitatis suæ, quod incipit, *Pastoralis officij*, sub annullo Piscatoris die 12. Octobris 1617. Pontificatus sui anno decimo tertio.

34 Et cum post concessam dictis Fratribus Capuccinis propriæ Crucis erectionem, & dilationem orta esset controuersia inter ipsos Fratres, & Regulares aliorum Ordinum, circa præcedentiam in processionibus Sacra Congregatio edidit decretum tenoris sequentis: Congregatio Sacrorum Rituum ad tollendas controuersias, quæ post concessam Fratribus Capuccinis propriæ Crucis erectionem inter Regulares, circa præcedentiam in processionibus ortæ sunt, Illustrissimo Mellino referente, Capuccinos cedere debere digniorem locum ijs Regularibus, qui sub propria Cruce, & in proprio loco in processionibus incedebant, antequam ipsi Crucem propriam deferrent. Die Sabbati 23. Martij 1619. Anton. Maria Episcopus Hostien. Cardinal. Gallus, Petrus Ciammariconus Secretarius.

35 Et demùm pro curiosis est notandum, quòd Sanctus Petrus est maior Sancto Paulo; & licèt in Bullis Papalibus Paulus dipingatur à dextris, & Petrus à finistris, non per hòc Paulus est maior Petro; nam illa pictura non est facta ad ostendendum maiorem potestatem clauium, sed misterium temporum ante, & post passionem Christi; quia

sinistra est pars mortis, quam Christus habebat tempore quo Petrus venit ad Christum ante passionem; dextera autem denotat immortalitatem Christi, quam habuit post resurrectionem, tempore, quo Paulus venit ad Christum, ita Cardinal. Alexandr. in cap. quamuis, dist. 21. Dec. in cap. translato, in 2. lectura num. 20. de constit. Io. de Selua in tract. de benefic. part. 1. quaest. 5. nu. 77. Gomez. in cap. 1. num. 37. de constit. lib. 6. vid. Speculat. in lib. qui intitulatur *Rationale diuinorum officiorum*, lib. 7. cap. de Euangelistis; alij scribentes dicunt rationem esse; quia Paulus, virginitatem conseruauit, qua Petrus vti coniugatus carebat, Gonzal. super Regul. 8. Cancellariae Apostolicae, glos. 1. num. 39. & 37.

CAPVT XXXV.

De casibus Reseruatis.

SVMMARIVM.

1 *Absolutio Sacramentalis data à Sacerdote non habente iurisdictionem Ordinariam, vel delegatam, est nulla.*
2 *Absolutio Sacramentalis in articulo mortis à quolibet Sacerdote etiam non approbato valet.*
3 *Articulus mortis, quando dicatur, & quando periculum.*
4 *Regulares non possunt virtute suorum priuilegiorum absoluere à casibus Episcopo reseruatis.*
5 *Absolutio à casibus Episcopo reseruatis dari non potest, etiam vigore Bullarũ concedentium facultatem absoluendi à casibus Sedi Apostolicae reseruatis.*
6 *Confessarij non possunt absoluere à casibus Episcopo reseruatis, etiam virtute Bullae Pij IV. concessae Confraternitati nominis Iesu.*
7 *Confessarij approbati possunt absoluere à casibus Episcopo reseruatis virtute generalis, & amplissimi Iubilei.*
8 *Iubilei generalis vigore concedentis facultatem absoluendi à casibus reseruatis, etiam Sedi Apostolicae, an haeresis occulta possit absolui.*
9 *Episcopi an possint absoluere à casibus reseruatis in Bulla Coenae Domini virtute Concilij Trident.*
10 *Iesuitae olim poterant absoluere à quibuscumque casibus.*
11 *Iesuitae hodie an possint absoluere à casibus Episcopo reseruatis.*
12 *Absoluere praesumentes à casibus Sedi Apostolicae, vel Episcopis reseruatis sunt ipso facto excommunicati.*
13 *Ordinarij locorum, quales casus possunt sibi reseruare.*
14 *Absoluentes a casibus reseruatis, vt excommunicationem incurrant, quid requiratur.*

15 Poeni-

15 *Pænitentiarius virtute sui officij, an possit absoluere à casibus reseruatis.*
16 *Sacerdos non approbatus ad confessiones audiendas, an possit absoluere constitutum in articulo mortis præsente Parocho, vel alio Sacerdote approbato.*
17 *Confessarijs non licet per litteras, vel internuntium Sacramentaliter confessiones audire.*
18 *Excommunicatio Papalis est imposita contra tenentes, & defendentes posse confiteri per litteras.*
19 *Irregularitatis mentio expressa facienda est in Bulla, vt ab ea possit sequi dispensatio.*
20 *Dispensari à quo possit super irregularitate contracta ex mala ordinatione.*
21 *Episcopi an possint eligere sibi Confessarium non subditum ad audiendas eorum confessiones.*
22 *Differentia, quæ sit inter forum conscientiæ, & forum pænitentiæ.*
23 *Forum est triplex.*
24 *Peccata oblita tempore Iubilei, an possint absolui eo transacto.*
25 *Vota oblita tempore Iubilei, an possint commutari illo transacto.*
26 *Confessarius semel approbatus, an possit iterum examinari.*
27 *Casuum reseruatorum absolutionem, an Episcopi possint concedere ob largitionem eleemosinæ.*
28 *Vicarij foranei possunt prohibere ex causa, ne aliquis Confessarius approbatus ab ordinario audeat confessiones.*
29 *Episcopi an possint hodie virtute Concilij Triden. absoluere à casibus Sedi Apostolicæ reseruatis.*
30 *Constitutio Sixti V. contra procurantes abortum, fuit reuocata à Gregorio XIV.*
31 *Papa si in specie non derogat Concilio generali non censetur contra illud dispensare.*
32 *Clausula non obstantibus Constitutionibus Apostolicis, an deroget Concilio generali.*
33 *Concilium Tridentinum differt ab alijs Concilijs generalibus.*

1 CVM absolutio Sacramentalis, quam Sacerdos profert in eum, in quem non habet iurisdictionem, sit nulla, ac nullius roboris, cap. omnis vtriusque sexus, §. si quis, de pęnit. & remiss. Concil. Trident. sess. 14. cap. 7. de casuum reseruatione; ideò vltra scientiam, quam Confessarius debet habere, etiam potestate pollere debet, quę consistit, quod habeat iurisdictionem Ordinariam, vel delegatam; quia non omnis Sacerdos eo ipso, quo fit Sacerdos, ad id est idoneus; licet enim per Sacerdotalem charecterem accipiat potestatem, & iurisdictionem habitualem, tamen actualem, quæ ad id necessaria est, non recipit; ideò Concilium Trident. sess. 23. cap. 15. de reformat. dicit: Quamuis presbyteri in sua ordinatione à peccatis absoluendi po-

testatem accipiant, decernit tamen sancta Synodus, nullum etiam Regularem posse confessiones sęcularium, etiam Sacerdotum audire, nec ad id domum reputari; nisi aut parochiale beneficium, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur necessarium, aut alias idoneus iudicetur, & approbationem, quæ gratis detur, obtineat, priuilegijs, & consuetudine quacumque etiam immemorabili non obstantibus. Nec etiam Confessarius approbatus potest absoluere à casibus, quos sibi Episcopi reseruauerunt, nisi de licentia ipsorum. Nec etiam Confessarius approbatus Regularis potest absoluere à casibus prædictis virtute priuilegiorum, vt dicetur infra. Episcopi namque atrociora quædam, & grauiora crimina sibi reseruare possunt ad finem, vt populus Christianus huius metu à peccatis abstineant, & à recidiuis præseruetur, & est in arbitrio ipsorum, quos voluerint reseruare casus; expedit tamen, vt quoad fieri potest, sint pauci, & clari, & sint de grauioribus, & atrocioribus criminibus, Concil. Trident. sess. 14. cap. 7. & adeò est verum Episcopos casuum reseruationem habere, quod Concilium Trident. diffinit hęreticum esse contrarium sentientem in sess. prædicta 14. canone 11. dicens: si quis dixerit Episcopos non habere ius reseruandi sibi casus, nisi quoad externam politiam; atque ideò casuum reseruationem non prohibere, quo minus Sacerdos à reseruatis verè absoluat, anathema sit; quia hoc est de fide, Nauar. cap. 27. num. 160. vers. septimò, dico quod Concilium Trident. Vnde Confessarius approbatus ad audiendas confessiones vllo pacto poterit absoluere aliquem à casibus Episcopo reseruatis; etiam si Episcopus dicat, concedo tibi omnem meam facultatem, & omnem authoritatem ad audiendam confessionem, & ad absoluendum; quia non videtur concedere casus reseruatos, arg. cap. fin. de offic. Vicar. lib. 6. Nauar. in Manual. cap. 27. num. 161. versicul. vndecimò dico; sed Prælatus debet se facilem, & benignum præbere in concedenda facultate Confessarijs absoluendi à casibus reseruatis, Nauar. in cap.
2 placuit, num. 119. dist. 6. sed in articulo mortis nulla datur casuum reseruatio, sed quilibet Sacerdos etiam non approbatus habet authoritatem quoslibet pęnitentes à quibusuis peccatis, & censuris absoluendi, Concil. Trident. d. cap. 7. de casuum reseruatione.

3 Articulus autem mortis dicitur, quando mors imminet, & proximè instat per causam naturalem, vel violentam; per naturalem, puta cum infir. graui morbo, vel acuta febre laboranti potius signa mortis, quam vitæ apparent, cap. cum infirmitas, de pœnit. & remiss. & quando mulieri adest tempus pariendi vel saltem, quæ nunquam peperit, vel est experta partus difficiles, Nauar. in Manual. cap. 2. nu. 9.

in

in fin. Per causam violentam, quando quis iustitiæ ministro capite plectendus est; qui si verè pęnitens, etiam si atrocissima delicta commiserit, absoluendus est, cap. super eo, de hæret. lib.6. clem.1. & ibi Cardin. de pęnit. & remiss. Graff. lib.1. cap.13. num.61. Secus est, quando quis est in periculo mortis; & tunc dicitur periculum mortis, quando quis ingreditur mare, vel pręlium sponte; tunc enim periculum mortis nullo cogente, euenit, & in eo constituti non gaudent priuilegio, quo gaudent ij, qui in articulo mortis constituti sunt, Graff. loco citato, num.63. vide Syluestr. in verb. absolutio 1. num.10. Couar. in cap. alma mater. 1. §.11. num.8. Viual. in Candelabr. Aur. in cap. de Absolutione, numer.6. nisi periculum transiret in articulum mortis, vt si post ingressum maris, vel prælium immineret mors, de proximo. Dixi, quod quilibet Sacerdos etiam non approbatus ad audiendas confessiones potest absoluere in articulo mortis, intellige, etiam si sit excommunicatus, & denuntiatus, siue suspensus, irregularis, & degradatus; modò non adsit copia aliorum Confessariorum, & non sit hæreticus, Graff. loco citato, num.65. Viual. in Candelabr. aur. p.1. tit. de absolutione, num.64. ratio est, quia Concilium Trident. vniuersaliter nullum excipiendo loquitur, tum etiam quia per huiusmodi censuras, nempè, excommunicationis, suspensionis, & interdicti; licet suspendatur iurisdictio, sine qua absolutio consistere non potest; credendum tamen est piam matrem Ecclesiam iurisdictionem illis non auferre in tam graui articulo mortis, Nauar. in Manual. cap.27. num.272. vers. septimo, quod per eadem.

Et notandum est, quòd licet olim concedebatur Regularibus facultas absoluendi à casibus Episcopis reseruatis, exceptis, quatuor, vel quinque vt habetur in extrauagan. inter cunctas, de priuileg. tamen hodie per Concilium Trident. & per decretum Sacræ Congregationis eiusdem Concilij iussu Gregorij XIII. sunt sublata quoad hoc omnia priuilegia, cuius Congregationis decisio talis est: Cum à
4 Sacra Congregatione Cardinalium, qui præpositi sunt decretis Concilij Trident. interpetrandis, Illustrissima Amplitudo tua quæsierit, an Regulares ex priuilegijs, à Sede Apostolica impetratis, præsertim ex eo; quod Mare magnum nominant, possint in ijs casibus, quos sibi Episcopus reseruauerit absoluere confitentes, hac de re vbi Congregatio accuratè egisset, deinde ad Sanctissimum D. N. retulisset, Sanctitas sua, etiam de sententia Congregationis censuit, ex facultatibus per hoc Mare magnum, aliauè priuilegia Regularibus concessa factam eis non esse potestatem absoluendi à casibus sibi ab Episcopo reseruatis. Deus Illustrissimæ Amplitudini tuæ perpetuam vitæ tran-

D quilli-

quillitatem, & incolumitatem largiatur. Romæ die 10. Septembris
5 1577. Immò nec in Bullis ordinarijs, in quibus dari solet facultas absoluendi à casibus Sedi Apostolicæ reseruatis, comprehenduntur casus, quos Episcopi, & Prælati etiam suæ Religionis cum suis subditis
6 Regularibus reseruant, nisi de eis specialis mentio fieret. Neque per Bullam Pij IV. quæ incipit, *Iniunctum nobis*, editam pro Confraternitate Sanctissimi nominis Iesu de anno 1564. in qua specialiter habetur, vt Confessarij possint absoluere Confratres à casibus Episcopo reseruatis, prout per eandem sacram Congregationem responsum fuit Episcopo Gaetæ, vt dicit Fr. Hieronym. a Sorb. Capuccin. in
7 compend. Priuilegior. in verb. Casus reseruati. Benè tamen verum est, quod quando publicatur Iubilæum generale plenissimum à Summo D. N. Papa cum potestate absoluendi à quibuscumque casibus, etiam in Bulla Cœnæ contentis, quilibet Confessarius approbatus poterit absoluere à casibus Episcopo reseruatis, sed notabiliter Na-
8 uar. cap. 27. num. 275. vers. Decimo quinto dicit nec virtute Iubilæi amplissimi concedentis generaliter facultatem, & licentiam absoluendi à casibus Sedi Apostolicæ reseruatis, etiam in Bulla Cœnæ Domini contentis posse Confessarium absoluere ab hæresi occulta; quia commissio generalis absoluendi non comprehendit illam excommunicationem, cuius absolutionem verisimili coniectura ipse delegans in specie nequaquam commisisset, cap. in generali, de regul. iur. lib. 6. sed quicquid dicat Nauar. de hæretico occulto, aliter seruatur in praxi; quia incidens in excommunicationem propter hæresim occultam absoluitur tempore Iubilæi amplissimi, Grafl. lib. 1. cap. 13. n. 24. & lib. 4. cap. 15. n. 12.
9 Sed extra tempus Iubilæi nemo potest absoluere à casibus contentis in Bulla Cœnæ Domini propter magnas obstantias, & derogationes in dicta Bulla; & in illa Gregorij XIII. Sixti V. Clementis VIII. Pauli V. & præsentis Papæ Vrbani VIII. vers. cæterum à prædictis sententijs. Vnde illud, quod dicitur Concil. Trident. sess. 24. cap. 6. de reformat. vt Episcopi ab hæresis crimine possint per ipsos, non autem per Vicarios absoluere, non habet amplius locum, Maiol. in tract. de irregularit. lib. 5. cap. 46. num. 6. vers. caueant. Molin. in tract. de iustit. tract. 3. disputat. 64. num. 8. tract. 5. disputat. 18. n. 2. Garz. de Benefic. part. 2. cap. 10. num. 125. Sayr. decis. 16. quem refert, & sequitur Ricc. in collectan. decis. p. 4. collect. 821. vers. Tertio, Grafl. lib. 1. cap. 13. num. 22. & secundum hanc opinionem in supremo generalis prætorio Inquisitionis Romano sæpè pronunciatum esse, testatur Pegn. in Director. Inquisit. part. 3. quæst. 92. comment.

ment. 141. vers. Penultimo; & sic Gregorium XIII. declarasse refert Fusch. de regim. & visit. Eccles. lib. 2. cap. 31. num. 5.

10 Et quatenus supra dictum est, Regulares vigore suorum priuilegiorum non posse absoluere à casibus Episcopis reseruatis; tamen Gregorius XIII. declarauit Iesuitas non esse comprehensos in prohibitione, neque facultati absoluendi à casibus Episcopis reseruatis ipsis Iesuitis concessæ fuisse derogatum; immò illam de nouo confirmauit, & concessit, vt habetur in Compendio priuilegiorum eiusdem Societatis Iesu, in verb. Absolutio, § 1. Verumtamen est aduertendum,
11 quòd postea tempore Clementis VIII. per aliud decretum sacræ Congregationis Episcoporum negotijs præpositæ, expresè est reuocata prædictæ Societati Iesu dicta facultas absoluendi à casibus Episcopis reseruatis, cuius decreti tenor talis est, vt sequitur.

Sacra Congregatio S. R. E. Cardinalium negotijs, & consultationibus Episcoporum, & Regularum præposita iustis, & grauibus causis id exigentibus, ac de Sanctissimi D. N. Clementis Papæ VIII. specialis viuæ vocis oraculo desuper habito Sacerdotibus omnibus, tam Secularibus, quàm Regularibus per vniuersam Italiam extra Vrbem degentibus ad confessiones audiendas approbatis quorumcumque Ordinum, etiam Mendicantium, Militiarum, aut Congregationum, etiam Societatis Iesu, & generaliter quarumcumque aliarum quouis nomine nuncupentur, iubet, & præcipit; ne quis eorum sub prætextu priuilegiorum, indultorum, aut facultatum generaliter, vel specificè, scripto, aut viuæ vocis oraculo, vel communionem à Sede Apostolica, vel eius authoritate eorum Ordinibus, Congregationibus, Collegijs, vel Societatibus, Archiconfraternitatibus, aut singulis personis, seu alias quomodolibet sub quibusuis tenoribus, formis, & clausulis, etiam derogatoriarum derogatorijs, ad cuiusuis, etiam Imperatoris Regum, aut aliorum Principum instantiam concessarũ, seu confirmatarum alicui cuiusuis status, gradus, & conditionis, aut dignitatis tam Ecclesiasticæ, quam Secularis, etiam Regiæ, vel Imperialis ab vllo ex casibus clarè, vel dubiè in Bulla Cœnæ Domini legi solita contentis, vel alias quomodolibet Sedi Apostolicæ reseruatis, aut in futurum per Sanctitatem suam, eiusq; successores pro tempore in eadem Bulla, vel aliter reseruandis, nec etiam à casibus, quos Ordinarij locorum hactenus reseruauerunt, & in posterum sibi reseruabunt nullo casu, etiam necessitatis, vel impedimenti, nisi in articulo mortis, seu cum noua, & speciali Sanctitatis suæ, aut successorums suorum, vel Ordinariorum, quoad casus ab ipsis tantum reseruato respectiuè impetrata licentia in scriptis ab Ordinarijs locorum exhi

ben-

benda absolutionis beneficium de cætero impendere audeat, vel præsumat; sed cum opus fuerit, pœnitentes ad Superiores, legitimosque
12 iudices accedere consulant sub pęna contrafacientibus tam Regularibus, quàm Sęcularibus excommunicationis, priuationis officiorum, & dignitatum, aut beneficiorum inhabilitatis; item audiendi confessiones, aut ad quæcumque officia, pręlaturas, beneficia in posterum obtinenda ipso facto absq; vlla declaratione incurrendas, super quibus à nemine nisi à Romano Pōtifice habilitatio, dispensatio, aut absolutio, præterquam in mortis articulo possit impetrari; sanctitas enim sua quatenus opus est facultates, & concessiones ipsas in hac parte, vti cassas, & irritas haberi de cætero voluit, & vult, non ob-
13 stantibus quibuscumque. Et ne locorum Ordinarij, quibus hoc ius reseruandorum casuum competit, plurium quàm opus sit reseruatione subditis, aut Confessarijs in animarum salute procuranda cooperatoribus sint onerosi, monentur, vt paucos, eosque tantum, quos ad Christianam disciplinam retinendam, animarumque sibi creditarum salutem pro cuiusuis Dięcesis statu, & qualitate necessario reseruandos esse, iudicauerint, reseruent. In quorum fidem, &c. Datum Romæ die 9. mensis Ianuarij 1601.

Cum autem dubia quædam, ac difficultates circa eiusdem decreti intelligentiam emerserint, eadem Sacra Congregatio, ne vllus deinceps obscuritati, & ambiguitati locus relinquatur; & vt clarius appareat in quibus casibus vigore eiusdem decreti reseruatis intelligatur prohibita absolutio, speciali mandato Sanctissimi D. N. Clementis Papæ VIII. similiter viuæ vocis oraculo super eo habito, ipsum decretum ita moderatur, ac declarat, videlicet sub eiusdem prohibitione illos tantum in posterum comprehendi casus, qui in Bulla Cœnæ Domini legi consueta continentur, ac præterea violationis immunitatis Ecclesiasticæ in terminis Constitutionis felic. recordat. Gregorij XIV. quæ incipit, *Cum alias nonnulli*. Violationis clausuræ Monialium ad malum finem, Prouocantium in duello, iuxta decretum Concilij Trident. & Constitutionem felic. recordat. Gregorij XIII. incipien. *Ad tollendum iniicientium violentas manus in Clericos*, iux. can. si quis suadente 17. q. 4. ac iuris dispositionem; Simoniæ realis scienter contractæ, atque etiam confidentiæ beneficialis. Item omnes casus, quos Ordinarij locorum sibi reseruauerunt, & in posterum reseruabunt. In quibus iam enumeratis casibus dum taxat, & sublata etiam pœna inhabilitatis audiendi Confessiones, eadem Sacra Congregatio vult, & mandat decretum in sua firmitate, & pristino robore permanere. Ac præterea declarat eos quidem Sacerdotes tam

Sęcu-

Seculares, quàm Regulares, qui aliquo ex priuilegijs, indultis, & facultatibus in supradicto decreto expressis suffulti fuerint, posse iuxta eorum priuilegia, indulta, & facultates vsu ante idem decretum receptas, & quæ sub alijs reuocationibus non comprehenduntur tantum; & non alias absoluere à casibus in præsenti declaratione non comprehensis; alijs verò Sacerdotibus huiusmodi priuilegia non habentibus nihil de nouo concedi, sed ne locorum Ordinarij, ad quos casuum reseruatio spectat, ea in re modum excedant, eadem Sacra Congregatio illos rursus magnoperè admonendos esse censuit, vt non passim; sed cum videbitur communi bono expedire, atrocium tantùm, & grauissimorum criminum absolutionem sibi reseruent, quorum reseruatio ad Christianam disciplinam retinendum conferat in ædificationem, non autem ad destructionem cedat; ne alioquin Sacramenti pœnitentiæ ministrorum coarctata potestate Sanctæ Matris Ecclesiæ pię mentis effectus subsequatur. Prohibet etiam ne sibi superfluè reseruent casus in Bulla Cęnæ Domini legi consueta contentos, neque alios Sedi Apostolicæ specialiter reseruatos; facultatem verò, & licentiam absoluendi à casibus reseruatis, quam in scriptis tantum concedi permittebatur, etiam sola viua voce concedi posse declarat. Cęterum quis Sacerdotum, & infra. Datum Romæ, die 26. Nouembris 1602. Alex. Cardin. Florent. Episcop. Pręnestin. Hieronym. Aughuch. Secretar.

Ex quibus Quarant. in Summ. Bullar. in verb. casus reseruati colligit summarium, quod Confessarij sęculares, & Regulares vigore suorum priuilegiorum, iam derogatorum non possunt absoluere à casibus reseruatis in Bulla Cœnæ Domini clarè, vel dubiè; nec qui violauerint immunitatem Ecclesiasticam iuxta formam Constitutionis Gregorij XIV. Nec violatores clausuræ Monialium, nec prouocantes, & pugnantes in duello in terminis Concilij Trident. & Constitutionum Apostolicarum, nec iniicientes manus violentas in Clericos iux. cap. si quis suadente 17. q. 4. ac iuris dispositionem. Item nec contrahentes scienter simoniam realem, vel confidentiam beneficialem. Nec non in omnibus casibus, quos locorum Ordinarij sibi reseruant, nisi in articulo mortis, vel cum licentia speciali Sedis Apostolicæ, vel Ordinariorum in scriptis, vel viua voce, in alijs casibus, qui habent priuilegia poterunt iuxta dicta priuilegia, & facultates absoluere, dummodò ante decretum prædictum erant in vsu recepta, vel non reuocata; & qui contrafecerint, quoad confitentes est pęna nullitatis absolutionis, & quoad Confessarios excommunicationis, priuationis officiorum, & inhabilitatis ad illa ipso facto incurrenda

atque

atque beneficiorum absque declaratione; sublata tamen pęna inhabilitatis audiendi confessiones, à quibus pęnis non possunt habilitari, & absolui, nisi à Sede Apostolica præterquam in mortis articulo; & Ordinarij non reseruent casus Bullæ Cœnæ Domini, nec reseruatos Sedi Apostolicæ, nec eos, quibus est annexa excommunicatio maior à iure imposita; cuius absolutio est nemini reseruata, nisi propter frequentiam, vel scandalum, aut aliam necessariam causam; nec eos, in quibus non datur absolutio, nisi facta restitutione, nec casus circa res parui momenti, nec in carnalibus, vbi est periculum scandalorum, vel aliquid suspicionis propter frequentiam eundi ad Ordinarios; sed reseruent casus paucos, eosque maximè necessarios, ac atrociorum, & grauium criminum.

14 Sed notandum est, quod ad incurrendas pęnas, & censuras ob absolutionem à prædictis casibus reseruatis inflictas requiritur, vt ex præsumptione, & temeritate quis absoluat; quia verbum audeat, & præsumat in dicto decreto Sacræ Congregationis denotat dolum, & temeritatem, cap. 1. & cap. Monasteria Monialium, de vit. & honest. Cler. Cardinal. ab omnibus receptus, in clem. 1. q. 38. de priuileg. Nauar. in repetit. cap. statuimus 19. q. 3. & licet ignorantia iuris non excuset; tamen si ex probabilibus coniecturis perpenditur, quod quis ius ignorauerit, excusatur secundum notata in cap. 2. de constit. vnde si quis Confessarius ex ignorantia non crassa, obliuione inaduertenter, vel alia causa absolueret à casibus reseruatis, in censuram non incideret, Nauar. in Manual. cap. 27. num. 73. Graff. de censur. lib. 1. cap. 13. num. 71. sed quamuis pęna excommunicationis euitetur per ignorantiam, absolutio tamen non valet, sed est necesse, vt absolutus sit, de hoc certioratus; nam interim quod nesciuerit, non est suo merito fraudandus, Syluest. in verb. Confessio 1. quæst. 3. & glos. insignis in cap. dudum il 2. in verb. deceptæ, vbi Innoc. & alij de elect.

15 Item notandum est, quòd Pęnitentiarius electus ad formam Concilij Trident. sess. 24. cap. 8. de reformat. non potest absoluere à casibus Episcopo reseruatis; cum nihil noui de hoc statuat, & à iure antiquo non est recedendum nisi expressè aliud statuatur, l. præcipimus, C. de appellat. sed necesse est; quod Episcopus expressè concedat sibi facultatem absoluendi à casibus reseruatis, Nauar. in cons. 20. de pęnit. & remiss.

16 Et quia supra dictum est, quòd quilibet Sacerdos etiam non approbatus ad audiendas confessiones potest absoluere constitutum in articulo mortis à quibuscumque casibus etiam reseruatis, dubitatur, an

an possit absoluere præsente Parocho? Resp. quòd licet existentem in articulo mortis quilibet Sacerdos possit absoluere, cap. quem pęnitet, de pęnit. dist. 1. Concil. Trident. sess. 14. cap. 7. de reseruat. cas. Nauar. in Manual. cap. 26. numer. 26. & cons. 25. de pęnit. & remiss. dicit posse simplicem Sacerdotem absoluere in mortis articulo aliquem præsente Parocho, vbi ait hanc esse communem opinionem; tamen refertur sacram Congregationem Concilij Trident. censuisse Sacerdotem alioqui idoneum non tamen ad audiendas confessiones approbatum, iuxta Concilium Trident. sess. 23. cap. 15. non posse validè à peccatis absoluere pęnitentem in articulo mortis constitutum, vbi citra mortis periculum haberi potest copia Sacerdotis approbati; & longè id minus, si ipsemet Parochus præsens id prohibeat, paratusque sit infirmi confessionem audire, nec vlla subsit causa Parochum recusandi.

An autem absolutus in articulo mortis à peccatis reseruatis ab eo, qui non poterat de iure absoluere, teneatur iterum confiteri, & absolui, si conualuerit, ab habente potestatem? Resp. negatiuè, quia peccata semel confessa, & legitimè absoluta non sunt; iterum confitenda, & in articulo mortis nulla est reseruatio casuum, vt in dicto cap. 7. Concilij Trident. nisi peccatum reseruatum, à quo fuit absolutus, haberet annexam excommunicationem, pro qua tenetur se præsentare coram Superiore, immò nec ad hoc tenetur si absolutus cum parte concordauerit, aut plenè satisfecerit ei tantum, quantum debebat; quia licet excommunicatus absolutus in articulo mortis teneatur parere mãdatis excommunicatoris, c. eos de sent. excomm. l. 6. non tamen tenetur quærere absolutionem, Nauar. in Manual. c. 26. num. 26. vers. an autem absolutus.

17 Secundò notandum est, quòd non licet cuiquam Confessario absenti per literas, aut internuntium confiteri Sacramentaliter, & ab eodem absolutionem obtinere, cap. quem pęnitet, de pęnit. dist. 1. & ita decreuit Clemens VIII. in generali Congregatione sanctæ, & vniuersalis Inquisitionis in Palatio Apostolico habita coram Sancti-
18 tate sua die 20. Iunij 1602. per hæc verba: Propositionem illam licere per literas, seu internuntium Confessario absenti peccata confiteri, & ab eodem absente absolutionem obtinere ad minus falsam, temerariam, & scandalosam damnauit, ac prohibuit, præcepitque ne deinceps ista propositio doceatur, neuè vnquam tamquam aliquo casu probabilis defendatur, imprimatur, aut ad praxim quouis modo deducatur; qui secus fecerit præter excommun. latæ sententiæ, quam ipso facto incurrat, & à qua non possit, excepto mortis articulo, nisi à Sum-

à Summo Pontifice absolui, alijs pęnis arbitrio infligendis, subijciat. Die 20. Iunij 1602.

19 Tertiò notandum est, quòd si in Bullis Pontificijs datur potestas absoluendi à quibuscumque censuris, & pęnis, ac dispensandi, vel commutandi vota; non tamen Confessarij possunt dispensare super irregularitatibus incursis, nisi in Bulla id expresse concedatur; quia irregularitas non est censura, Nauar. in Manual. cap. 27. num. 194. vers. Quartò per text. in cap. quærenti, de verb. significat. idem Nauar. cons. 3. de ætat. & qualit. ordin. num. 3. cons. 18. n. 3. de simon. cons. 65. num. 1. de sent. excomm. Couar. in cap. alma mater, p. 1. §. 6. num. 6. de sent. excomm. & ita obseruatur Sayr. de censur. lib. 1. cap. 1. num. 18.

20 Vnde quoad irregularitatis incursæ dispensationem ob ordines malè susceptos est aduertendum, quòd malè ordinatus est suspensus, & si antequam ab ipsa suspensione absoluatur, ministrauerit ordines susceptos erit irregularis à solo Papa dispensandus per Constitutionem Pij II. quam ad verbum posui supra cap. 8. & ita tenent communiter Doctores, Nauar. cap. 25. num. 70. Viual. in candelab. aur. p. 1. de Sacrament. Ordin. num. 37. & hoc quando delictum esset deductum ad forum contentiosum, Nauar. cap. 27. num. 245. vers. tertio, sed si delictum esset occultum tam in dicta suspensione, quàm in irregularitate inde sequuta Episcopus potest per se, vel per Vicarium ad hoc specialiter deputandum dispensare, Concil. Trident. sess. 24. cap. 6. de reformat. quæ dispensatio non potest concedi, quando ex defectu ætatis est promotus, nisi attigerit legitimam ætatem, Graff. lib. 4. cap. 26. num. 19. & 20. nec obstat Constitutio noua Sixti V. quæ incipit, *Sanctum, & salutare*, nonis Ianuarij 1588. in qua statutum est, vt etiam si delictum fuerit occultum, Episcopus per decretum Concilij Trident. nec ab vlla suspensione absoluere, nec super tali irregularitate dispensare possit; quia dicta constitutio per aliam posteriorem Clementis VIII. quæ incipit, *Romanum Pontificem* pridie calend. Martij 1595. fuit ad dispositionem iuris communis, & sacri Concilij, & dictæ Bullæ Pij II. redacta.

21 Quartò notandum est, quòd Episcopus non potest sibi eligere Confessarium non subditum, qui non sit approbatus ab eius Ordinario ad confessiones audiendas, ex declaratione sacræ Congregationis Concilij Trident. his verbis: S. D. N. audita relatione Congregationis declarauit Episcopum vigore priuilegij, de quo in cap. fin. de pęnit. & remiss. non posse sibi eligere Sacerdotem non subditum, qui à proprio Ordinario ad huc ad formam decreti Concilij admissus,

sus, & approbatus non fuerit ad audiendas confessiones; ita refert. Suar. tom.4. disputat.28. sect.6. num.10.

22 Et non est omittendum, quòd quando in aliqua dispensatione, vel absolutione Apostolica committitur potestas absoluendi; & ibi dicitur dispenses, vel absoluas in foro conscientiæ tantum, non requiritur, vt Confessarius, vel Delegatus sit Confessarius, & in confessione eum absoluat, vel dispenset, S. Thom. in 4. dist. 18. Sanct. Anton. p.3. tit.24. cap.27. Tabien. in verb. absolutio ab excommunicatione, Nauar. cons.11. num.2. de priuileg. & in Manual. cap.27. nu.4. quia est differentia inter forum pęnitentiæ, & forum conscientię; nam forum pęnitentiæ est forum Sacramentale in confessione; sed forum conscientiæ est secretè in conscientia tantùm absque confessione; vnde quando Pęnitentiaria concedit Episcopis, vel alijs, vt possint absoluere in foro conscientiæ ab aliquo casu reseruato possunt absoluere extra confessionem; nec obstat, quòd in commissione solet apponi clausula Doctori, vel Theologo approbato ab Ordinario; quia ista clausula ponitur, ne fortè ille casus sit reseruatus in illa Diœcesi;

23 & ratio est, quia forum est triplex videlicet, forum contentiosum, forum pęnitentiale, & forum conscientiæ Præposit. in cap. præterea il 2. num.5. de sponsal. In foro contentioso interuenit Iudex cum Notario, vel actuario, & testibus. In foro pęnitentiæ est Confessarius in Sacramento pęnitentiæ, & in foro conscientiæ est Iudex extra confessionem, quoties vel ratione alicuius Bullæ, vel priuilegij absoluit extra confessionem ab excommunicatione in solo conscientiæ foro sibi commissa, nisi in Bulla dicatur, audita confessione; quia tunc necesse est, vt in actu confessionis absoluere, Thom. Sanchez de Matrimon. lib.8. disputatione 34. num.29.

24 Quintò notandum est, quòd si aliquis tempore Iubilęi amplissimi confessus fuerit peccata sua, & oblitus fuerit alicuius peccati reseruati, transacto tempore Iubilęi, potest postea à quocumque Confessario absolui à dicto peccato reseruato oblito; quia cum confessio valida fuerit, & Confessarius directè à peccatis confessis, & indirectè ab oblitis virtute Iubilęi intēdit omninò auferre casuum reseruationem; cum absoluat in quantum potest, & re vera potest, & est communis opinio Thomas Sanchez de Matrim. lib.8. disp.15. num.21. Nauar. in Manual. cap.26. numer.13. & in cap.1. §. cautus, de pęnit. dist.5. Syluest. in verb. Confessio 1. quæst.4. Angel. in verb. Confessio 1 num.12.

25 Sed an transacto Iubilęo possint commutari vota, quorum quis immemor commutationem non petijt? Resp. affirmatiuè; ratio est, quia

quia pęnitens ius acquisiuit per ipsum Iubilęum, vt possit postea liberè cuiuis Confessario reseruata oblita fateri; eadem enim ratio militat in voto, quæ in peccato; nam per Iubilęum acquisiuit à seruatione votorum, Sanch. loco citato; immò quamuis tempore Iubilęi, voti emissi memor pęnitens noluerit petere commutationem, poterit tamen transacto Iubilęo, eam petere; quia, & si semel noluerit eo priuilegio vti, cum id tamen perpetuum sit, nec tempori alligatum, pro casibus ante Iubilęum admissis, potest mutata sententia eo vti, Sanchez de Matrim. lib. 8. disputat. 15. numer. 18. per ea, quæ dixit, eodem lib. 8. disputat. 32. num. 2.

26 Sextò notandum est, quòd Congregatio Concilij censuit Regulares semel approbatos ad audiendas confessiones ab Episcopo, iterùm ab eodem non esse examinandos; sed à successore vtique posse examinari iuxta Bullam Pij V. octauo idus Augusti 1571. Pontificatus sui, anno primo, quæ à felic. recordat. Gregorij XIII. per reductionem priuilegiorum ad terminos iuris communis non fuit reuocata, nec Regulares à confessione possunt suspendi; nisi ex noua causa, eaque ad confessiones ipsas pertinente, declarauit Sacra Congregatio negotijs Episcoporum, & Regularium præposita his verbis: Cum Sacræ Congregationi Episcoporum, & Regularium præpositæ innotuerit, Confessarios Regulares grauiter conqueri, quòd ab Archiepiscopis, Episcopis, & locorum Ordinarijs, quauis de causa indiscriminatim suspenduntur à confessionibus audiendis; & propterea sępè contingere, vt ab eisdem Archiepiscopis, Episcopis, & locorum Ordinarijs omnibus simul vnius Conuentus Confessarijs, confessiones audiendi facultas adimatur, Illustrissimi eiusdem Sacræ Congregationis Patres rati vix fieri posse, vt hæc sine scandalo, magnaque animarum pernicie contingunt; re maturè perpensa ad omnem scandali materiam submouendam; & quo magis spirituali piarum mentium consolationi consulatur, statuunt, & decernunt Archiepiscopis, Episcopis, alijsque Ordinarijs locorum, ad quis Confessarios approbandi ius spectat, Confessarios Regulares alias ab ipsis liberè approbatos, ab audiendis confessionibus suspendere posthac minimè licere, nisi ex noua causa, eaque ad confessiones ipsas pertinente, aut ob non seruatum interdictum ab ipsis Ordinarijs positum. Statuunt insuper eosdem Archiepiscopos, Episcopos, locorumque Ordinarios confessiones audiendi facultatem omnibus simul Conuentus Regularibus Confessarijs eadem Sacra Congregatione inconsulta nullo pacto adimere posse; quod quidem decretum, vt ijdem Illustrissimi Patres opportunum, & necessarium duxerunt, ita inuiolabiter iubent obser-

obseruari. Romæ die 20. Nouembris 1615. Ant. Mar. Episcop. Host. Cardin. Gallus. V. Theatin. Secr.

27 Septimò notandum est, quòd licet Papa casuum reseruatorum absolutionem, per Bullam Cruciatæ iustis ex causis soluta certa eleemosyna iuuantibus bellum, aut aliud pium opus concedere possit; Episcopi tamen id facere non possunt, Nauar. cons. 18. per tot. de pœnit. & remiss. vbi num. 5. dicit, quod difficile potest saluari à labe simoniæ concessio facultatis absoluendi, quæ est spiritualis pro aliquo pretio, etiam minimo, quod est temporale; quia nec beneficium, nec aliquod spirituale potest conferri ea conditione, modo, vel pacto, vt detur aliquid temporale, etiam pauperibus, vel fabricę Ecclesiæ, cap. Iacobus, de simon. cap. ex multis 1. q. 3. sed concessio facultatis absoluendi est spiritualis; ergo ea conditione concedi non potest.

28 Demum est notandum, quod Vicarij foranei possunt inhibere, & prohibere ex rationabili causa, ne aliquis Confessarius approbatus ab Ordinario audiat confessiones, etiam virtute Iubilęi, quando esset scandalosus, vel adeo ignorans, quòd absolueret indifferenter, & imprudenter omnes lapsis habenis, Nauar. cons. 39. de sent. excomm. quia impedire proximum, ne peccet est bonum; & aliquando præceptum cap. qui potest 23. q. 3. cap. quantæ de sent. excomm. & qui exercet officium, quod nescit exercere in damnum proximi probabile peccat, cap. non est putandum 1. q. 1. iuncta glos. in verb. vires.

29 Sed quæro, an hodie Episcopi virtute Concilij Trident. sess. 24. cap. 6. de reform. possint absoluere pęnitentes in foro conscientiæ à casibus Sedi Apostolicæ reseruatis? Resp. quòd quoad casus contentos in Bulla Cœnę Domini, & quoad crimen hæresis, iam est expeditum, quòd non possunt, cum Bulla Cœnę non solùm est pagina excommunicationis, sed etiam reuocationis, vt notat Catechesis Neapol. lib. 1. cap. 25. num. 9. Nauar. in Manual. cap. 27. num. 275. Graff. decis. cas. conscien. lib. 1. cap. 13. num. 22. & seqq. Sayr. de censur. lib. 3. cap. 25. num. 3. nisi in mortis articulo; sed maior difficultas est, an possint absoluere ab alijs casibus Sedi Apostolicæ reseruatis, in quibus Papa sibi reseruauit absolutionem; vt est excommunicatio

30 contra procurantes abortum per Constitutionem Sixti V. incip. *Effrenatam*, quarto calend. Nouembris 1588. in qua imponitur pęna excommunicationis reseruata Papę, licet dicta Constitutio per Gregorium XIV. fuerit moderata, vbi datur facultas Confessarijs ad confessiones approbatis, vt possint absoluere in foro conscientię procurantes dictos abortus, quæ incipit, *Sedes Apostolica* pridie calend.

S Ianua-

Ianuarij 1591. Item excommunicatio contra duellantes per constitutionem Clementis VIII. incip. *Illius uices*, die 17. Augusti 1592. quæ est etiam reseruata Summo Pontifici. Item excommunicatio per Constitutionem Gregorij XIII. incip. *Inter Apostolicas*, nonis Septembris 1584. contra iurantes, aut iurare facientes illicita, & damnosa Ecclesiasticæ libertati, aut decretis Concilij Trident. cuius absolutio est reseruata Papæ; & multæ aliæ Constitutiones Pontificiæ, in quibus imponitur pęna excommunicationis reseruatæ Sedi Apostolicæ, quas longum esset numerare. Et videtur dicendum, quòd Episcopi possint absoluere virtute dicti decreti sexti Concilij Trident. quia cum in ipsis Constitutionibus ipsi Summi Pontifices non derogauerint

31 rint expresse dicto Concilio, remanet firma eius dispositio; Papa enim si non facit expressam mentionem derogationis Concilij generalis, non censetur contra illud dispensare, cap. ex parte, & ibi glos. in verb. nulla mentio, & cap. fin. de capell. Monac. Archid. in cap. 1.

32 de constit. lib. 6. Felin. in cap. 1. num. 23. eod. Dec. in cap. 1. num. 1. de iudic. & ibi Rip. num. 8. Nec per clausulam generalem appositam in literis Apostolicis videlicet: Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis intelligitur derogatum Concilijs generalibus; & maximè stante notorio stylo, quòd vbi fit derogatio Conciliorum, non solùm dicitur, non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, sed additur, & Concilijs generalibus; quia cum decreta Concilij generalis ita matura deliberatione sancita sint, videntur continere vim clausulæ derogatoriæ ad alia decreta posteriora contraria, Henriq. de indulgent. lib. 7. c. 23. Viual. in candelabr. aur. part. 3. cap. 12. num. 12. Caputaq. part. 1. decis. 268. Veral. decis. 176. & ita per Rot. fuit resolutum in vna Vlisbonen. decimarum die 27. Nouembris 1572. coram Robusterio, & in vna Oriolen. die 21. Maij 1586. coram Orano, vt refert Hercules Marescottus in tract. variar. resolut. lib. 2. cap. 40. num. 14. & sic videtur dicendum per supradicta Episcopos posse absoluere in foro conscientiæ à casibus reseruatis Sedi Apostolicæ. Sed his non obstantibus veritas est, quòd non possunt, non obstante d. decreto Concilij Trident. sess. 24. capit. 6. quia cum Summi Pontifices in Constitu-

33 tionibus reseruant sibi absolutionem, alios quoscumque excludunt, & auferunt potestatem absoluendi. Nec obstat, quòd in specie, & expresse non derogant Concilio Trident. quia supradicta procedunt in alijs Concilijs generalibus: sed non in Concilio Trident. de quo non est necesse, vt fiat specialis, & expressa derogatio; sed sufficit, quòd materia, de qua agitur sit contraria dicto Concilio; nam differt

differt Concilium Trident. ab alijs Concilijs generalibus, quæ expressè non reseruauerunt Sedi Apostolicæ liberam dispositionem, prout fecerunt Patres in d. Concilio Trident. sess. 25. cap. 21. in quo expressè disponitur, quòd omnia decreta Concilij intelligantur facta salua semper authoritate Sedis Apostolicæ; & sic Papa vtendo sua authoritate suprema, potest disponere absque dicti Concilij expressa derogatione; & ita fuit resolutum per Rot. in vna Sancti Angeli pensionis die 16. Decembris 1594. coram Domino Pamphilio, & in vna Bononien. Prioratus die 9. Iunij 1606. coram Manzanedo, prout refert Gonzal. super Regul. 8. Cancell. glos. 6. numer. 220. Remanet ergo firma conclusio, quòd hodie non possunt Episcopi absoluere à casibus reseruatis Sedi Apostolicæ vigore dicti Cōcilij Trident. & ita fuit decisum per Sacram Congregationem eiusdem Concilij super d. decreto, his verbis: Quærentibus, an idem decretum locum habeat in casibus post Concilium Trident. ex noua lege Sedi Apostolicæ reseruatis? S. D. N. Gregorius XIII. audita relatione Congregationis respondit non habere locum.

CAPVT XXXVI.

De Sacerdote sollicitante mulieres in actu Confessionis.

SVMMARIVM.

1 *Crimen graue committit Sacerdos reuelando Confessionem.*
2 *Confessarius sollicitans mulierem in actu Confessionis est suspectus de fide vehementer.*
3 *Mulier sollicitata denuntians habetur pro teste.*
4 *Mulieres in delictis enormibus admittuntur ad probandum.*
5 *Mulieri asserenti se sollicitatam, an sit credendum.*
6 *Confessarius dicitur sollicitare non solum verbis, sed factis in actu Confessionis.*
7 *Confessarij allicientes pueros in actu confessionis, an comprehendantur in Constitutione Gregorij XV.*
8 *Extensio pœnæ in statutis potest fieri fauore animæ, & Ecclesiæ.*
9 *Sacerdos committens incæstum cum filia spirituali, qua pœna est puniendus.*
10 *Confessarius committens incæstum cum filia spirituali, an comprehendatur in Constitutione Gregorij XV. de sollicitantibus.*
11 *Confessarij tenentur monere pœnitentes, vt denuntiare debeant sollicitantes.*
12 *Constitutio Gregorij XV. de sollicitantibus mulieres ad turpia in actu Confessionis.*

13 *Testes singulares concurrentibus præsumptionibus probant contra confessarium sollicitantem mulierem in actu confessionis.*

14 *Litteræ Illustrissimi Cardinalis Mellini in materia sollicitationis mulierum in actu confessionis.*

15 *Tenor aliarum litterarum eiusdem Illustrissimi Cardinalis de sollicitatione.*

1 Graue scelus, & enorme committit Sacerdos reuelando secretam, & sacramentalem confessionem, cap. Sacerdos, de pęnit. dist. 6. & cap. omnis vtriusque sexus, & ibi omnes, de pęnit. & remiss. sed multò grauius crimen committit sollicitando mulieres in
2 actu confessionis ad turpia; quia est suspectus de fide vehementer, cum malè sentiat de Sanctissimo Sacramento pęnitentiæ, Pegn. super director. inquisit. part. 2. q. 56. & in tanti sceleris detestationem inquisitores seuerè procedunt, vt idem Pegn. loco cit. Ignat. Lopez in addit. ad pract. crim. Diaz cap. 82. Quarant. in verb. confessor. & iustissimè sanè; cum talia committens abutatur tanto salutari Sacramento, instituto pro spirituali medela; & loco eius venenum mortiferum ad perpetuam mortē præparare contendit. Ignat. loco citato; quamuis hodie possint etiam Episcopi vti delegati in hoc procedere, vt ex constitutione Gregorij XV. apparet, quæ in fine huius capituli de verbo ad verbum ponetur.

3 Et in primis est notandum, quod mulier sollicitata denuntians, cum tractatur de causa Sanctæ fidei, habetur pro teste, iuxta communem opinionem Doctorum in cap. in omni negotio, vbi Anton. de Butr. & Abb. num. 4. de testib. Mascard. de probat. conclus. 26. num. 11. Farinac. in tit. de opposit. contr. person. test. q. 60. illat. 1.
4 num. 70. & fœminæ in delictis enormibus, cuiusmodi est sollicitatio in confessione, admictuntur ad probandum in iudicio, Mascard. de probat. conclus. 762. num. 2. Farinac. loco citato, q. 56. num. 10. per tex in cap. tamen, & cap. per tuas, & ibi Doctores, de simon. glos. in cap. cum P. Manconella, de accusat. & in cap. in summa, 2. q. 7. & in cap. fo us, in verb. fęmina, de verb. signific. Alex. cons. 11. num. 6. lib. 1. & est communis opinio Farinac. loco citato.

5 Secundò notandum est, quod ad puniendum præfatum sollicitantem creditur mulieri, hoc asserenti secūdum communem opinionem Doctorum in cap. omnis vtriusque sexus, de pęnit. & remiss. quia creditur pęnitenti contra Confessarium, quam opinionem refert, & sequitur Lapus allegat. 94. Felin. in cap. 1. de except. Nauar. in cap. Sacerdos, n. 163. de pęnit. dist. 6. Ricc. in prax. for. Ecclesiast. in verb. pęnarum,

narum, decis.369. num.2. & hoc credo, si mulier sit honestã, & bonæ famæ, & concurrentibus inditijs, & alijs adminiculis; quia ex sola depositione mulieris confessarius non est damnandus, Iacob. Leonissa inter cons. crim. diuers. cons.55. num.12. tom.1. per tex. in cap. testes 2.q.7. cap. testimonium de testib. cap.1. de except. immo per solam depositionem mulieris Confessarius neque est carcerandus, vt patet per litteras officij Sanctæ Inquisitionis, quæ infra de verbo ad verbum ponentur.

6 Tertiò est notandum, quòd Confessarius non solùm dicitur sollicitare mulierem ad turpia verbis, sed etiam factis, vt si eam oscularetur, manus, vel aliam corporis partem libidinosè tangeret, aut ictu oculorum, aut signo aliquo ad libidinem prouocaret, & subijcitur pęnis constitutionum Pij IV. & Gregorij XV. quia per hæc dicitur etiam sollicitare ad inhonesta, & ad actus impudicos, Graff. cons.7. de pęnit. & remiss.

7 Quartò notandum est, quòd licet constitutiones Pontificiæ prædictæ loquantur de sollicitatione ad actus impudicos circa mulieres, tamen de mente dictorum Summorum Pontificum est dicendum, comprehendi Confessarios allicientes etiam pueros, & adolescentes ad peccatum nefandum; quia militat eadem ratio, immo maior, & fortior; & quamuis non sit extendenda per identitatẽ rationis, Abb. in cap. fin. de iurepatr. Io. Andr. in cap. odia, & in cap. pęnis, de regul. iur. lib.6. tamen quando agitur de salute animarum ad euitanda

8 maiora peccata, etiam in pęnis potest fieri extensio; & est communis opinio Ias. in Auth. quas actiones, & per alios per ipsum allegatos, num.25. C. de Sacros. Eccles. quia etiam in pęnalibus fit extensio fauore Ecclesiæ, glos. in cap. sciant cuncti in ver. alios in fin. de elect. lib.6. Quarant. in ver. Confess.

9 Quintò notandum est; quòd committens crimen incestus cum filia spirituali, quam audiuit in confessione, seuerè est puniendus, & depositionis pęna plectendus, Nauar. cons.2. de hæret. num.6. cap. si quis Sacerdos, 30. q.1. vbi presbyter, qui cum filia spirituali fornicatus fuerit, ab omni officio deponendus est, & facit tex. in cap. non debet, 30.q.1. Abb. in cap. vlt. de purgat. canon. Felin. in cap. at si

10 Clerici, num.15. vbi Dec. numer.36. de iudic. non tamen comprehenditur in his constitutionibus Pontificijs; quia de incestu prædicto non spectat ad Inquisitores hæreticæ prauitatis; cum non sit crimen hæresis, nec de accessorijs eius, quæ in Directorio exprimuntur: & non est crimen fidei catholicæ contrarium, cap. arrecta, & cap. hæc est fides, 24. q.1. quia est contrarium virtuti castitatis, & pudicitiæ,

S 3 S. Tho-

S. Thom. 2. 2. q. 154. art. 9. Nauar. dict. consi. 2. de hæret. num. 2.

11 Sextò notandum est, quòd Confessarij tenentur monere pęnitentes, quos nouerunt ab alijs fuisse sollicitatos in Confessione, vt denuntiare debeant sollicitantes Inquisitoribus, seu locorum Ordinarijs, alias possunt ab eis pro modo culpæ puniri; vt latiùs continetur in dicta Constitutione, & in quibusdam litteris scriptis ab Illustrissimo Cardinali Mellino maiori Inquisitore Romę; cuius constitutionis, & dictarum literarum tenorem pro maiori huius materię intelligentia hic inserere libuit de verbo ad verbum.

12 Gregorius Papa XV. Ad futuram rei memoriam. Vniuersi Dominici gregis curam quamuis immeriti, cęlesti dispositione gerentes, sedulò inuigilare tenemur, vt ab omnibus prauis contagijs conseruetur immunis, multoque maiori studio prouidere, vt omnis pestis ab ijs auertatur, quibus alios sanandi officium est commissum, ne quòd Euangelica scripta nos admonent, sale infatuato non sit, in quo saliatur, & ad nihilum prosit vltra, nisi vt mittatur foras, & conculcetur ab hominibus. Quoniam autem à Romanis Pontificibus prædecessoribus quibusdam in locis prouisum fuit, vt impium, ac nefandum scelus, quod non solùm inter Christi fideles non esse; sed nec etiam nominari debet, procul ab ijs arceatur, videlicet, vt aliquis Sacerdos ad Sacras audiendas confessiones deputatus Sacrosancto pęnitentiæ Sacramento, sollicitando pęnitentes ad turpia abutatur, ac pro medicina venenum, pro pane aspidem porrigat, & ex cęlesti medico infernali veneficus, ex patre spirituali proditor execrabilis animarum reddatur. Idcircò nos ea, quæ his perniciosissimis Diaboli insidijs arcendis certis locis salubriter constituta sunt, vt nullibi desiderentur, quantum ex alto conceditur, prouidendum duximus. Aliàs si quidem à felic. recor. Pio Papa IV. prædecessore nostro emanarunt literæ tenoris subsequentis, videlicet: Pius Papa IV. Ven. Fratri Archiepiscopo Hispalen. in Regnis Hispaniarum hæreticæ prauitatis Inquisitori generali. Cum sicut nuper non sine animi nostri molestia accepimus, diuersi Sacerdotes in Regnis Hispaniarum, atque etiam in eorum Ciuitatibus, & Dioecesibus curam animarum habentes, siue eam pro alijs exercentes, aut alias audiendis confessionibus poenitentium deputati in tantam proruperint iniquitatem, vt Sacramento Pęnitentiæ in actu audiendi confessiones abutantur, nec illi, & qui id instituit Domino Deo, & Saluatori nostro Iesu Christo iniuriam facere vereantur, mulieres videlicet, pęnitentes ad actus inhonestos, dum earum audiunt confessiones, alliciendo, & prouocando, seu allicere, & prouocare, tentando, & procurando, ac loco earum per

Sacra-

Sacramentum huiusmodi Creatori nostro reconciliationis grauiori peccatorum mole eas onerando, & in manibus Diaboli tradendo in Diuinę Maiestatis offensam, & animarum perniciem, Christi fidelium scandalum non modicum, Nos in animum inducere nequeuntes, quòd qui de fide catholica rectè sentiunt, Sacramentis in Ecclesiã Dei institutis abutantur, aut illis iniuriam faciant, Fraternitati tuæ, de cuius eximia pietate, virtute, atque doctrina plurimùm in Domino confidimus, per præsentes committimus, & mandamus, quatenus per te, vel per alium, seu alios à te deputandum, seu deputandos contra omnes, & singulos Sacerdotes dictorum Regnorum, ac illarum Ciuitatum, & Diœcesum de præmissis quomodolibet diffamatos, tàm sęculares, quàm quorumuis etiam exemptorum, ac Sedi Apostolicæ immediatè subiectorum, Ordinum Regulares cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, conditionis, & præminentiæ existant, tàm super præmissis, quàm super fide Catholica, & quid de ea sentiant diligenter inquiras, & iuxta facultatum tibi contra hæreticos, aut de hęresi quouis modo suspectos à Sede Apostolica concessarum continentiam, & tenorem procedas, ac culpabiles repertos iuxta excessuum suorum qualitates, prout iuris fuerit punias, eas etiamsi, & prout de iure fuerit faciendam, debita præcedente degradatione sęcularis Iudicis arbitrio puniendos, tradendo. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac Ecclesiarum, & Monasteriorum, necnon Ordinum quorumlibet, quorum ipsi Sacerdotes fuerint, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, priuilegijs quoq; indultis, & litteris Apostolicis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis clausulis, & decretis, etiam motu proprio, aut alias quomodolibet concessis etiam iteratis vicibus approbatis, & innouatis. Quibus omnibus eorum tenores præsentibus pro expressis habentes, hac vice dumtaxat specialiter, & expresè derogamus, cęterisque contrarijs quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die 16. Aprilis 1561. Pontificatus nostri anno secundo. Igitur, vt litteræ prædictæ perpetuis futuris temporibus, & vbique locorum inuiolabiliter obseruentur motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostra, ac de consilio venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium contra hæreticam prauitatem generalium Inquisitorum præinsertas litteras huiusmodi, ac omnia, & singula in eis contenta Apostolica authoritate tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illisque omnibus, & singulis inuiolabilis Apostolicæ

S 4 firmi-

firmitatis robur adijcimus; illasque non solum in prædictis Regnis Hispaniarum, sed in quibusuis Christiani Orbis partibus firmiter, & inuiolabiliter obseruari pręcipimus, & mandamus. Ac præterea ne infuturum, de pęna his delinquentibus imponenda, & de modo contra eosdem procedendi ab aliquo dubitari possit, statuimus, decernimus, & declaramus, quòd omnes, & singuli Sacerdotes tàm sęculares quàm quarumuis, etiam quomodolibet exemptorum, ac Sedi Apostolicæ immediatè subiectorum Ordinum, institutorum, Societatum, & Congregationum Regulares cuiuscumque dignitatis, & præeminentiæ, aut quouis priuilegio muniti existant, qui personas, quæcumque illæ sint, ad inhonesta, siue inter se, siue cum alijs quomodolibet perpetranda in actu sacramentalis confessionis, siue ante, vel post immediatè, seu occasione, vel prætextu confessionis huiusmodi, etiam ipsa confessione non sequuta, siue extra occasionem confessionis in Confessionario, aut loco quocumque vbi confessiones Sacramentales audiantur, seu ad confessionem audiendam electo, simulantes ibidem confessiones audire, sollicitare, vel prouocare tentauerint, aut cum eis illicitos, & inhonestos sermones, seu tractatus habuerint in officio sanctæ Inquisitionis seuerissimè, vt infra puniantur. Et præterea omnes hæreticæ prauitatis Inquisitores, & locorum Ordinarios omnium Regnorum, Prouinciarum, Ciuitatum, Dominorũ, & locorum vniuersi Orbis Christiani in suis quemque Diœcesibus, & Territorijs per has nostras litteras, etiam priuatiuè quoad omnes alios specialiter, ac perpetuo Iudices delegamus, vt super his contra prædictos simul, vel separatim in omnibus, prout in causis fidei iuxta Sacrorum Canonum formam, necnon officij Inquisitionis huiusmodi constitutiones, priuilegia, consuetudines, & decreta diligenter inquirant, & procedant, & quos in aliquo ex huiusmodi nefarijs excessibus culpabiles repererint, in eos pro criminum qualitate, & circumstantijs suspen. ab exequutione ordinis, priuationis beneficiorum, dignitatum, & officiorum quorumcumque, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa, nec nõ vocis actiuę, & passiuæ, si Regulares fuerint, exilij, damnationis ad triremes, & carceres, etiam in perpetuum absq; vlla spe gratiæ, aliasque pęnas decernant, eos quoque si pro delicti enormitate grauiores pęnas meruerint, debita præcedente degradatione Curię sęculari puniendos tradant, dantes etiã
13 facultatem Venerabilibus fratribus nostris S.R.E. Cardinalibus generalibus Inquisitoribus, ne delictum tàm enorme, & Ecclesiæ Dei, tam perniciosum remaneat ob probationum defectum impunitum; cum difficilis sit probationis, testibus etiam singularibus, concurrentibus

tibus

tibus præsumptionibus, inditijs, & alijs adminiculis delictum probatum esse arbitrio suo iudicandi, & Curiæ sęculari, vt præfertur reum tradendum esse pronuntiandi. Non obstantibus omnibus, quæ dictus Prædecessor in suis litteris prædictis voluit non obstare, cæterisque contrarijs quibuscumque. Mandantes omnibus Confessarijs, vt suos pęnitentes, quos nouerint fuisse ab alijs, vt supra sollicitatos, moneant de obligatione denuntiandi sollicitantes, seu vt præfertur, tractantes Inquisitoribus, seu locorum Ordinarijs prædictis, quòd si hoc officium prætermiserint, vel pęnitentes docuerint non teneri ad denuntiandum Confessarios sollicitantes, seu tractantes, vt supra, ijdem locorum Ordinarij, & Inquisitores illos pro modo culpæ punire non negligant. Volumus autem, vt præsentium transumptis, etiam impressis manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius personę in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides in iudicio, & extra vbique habeatur, quæ præsentibus haberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ, quòdque eędem præsentes litteræ, seu illarum exempla ad valuas Basilicarum S. Io. Lateranen. ac Principis Apostolorum de Vrbe, & in acie Campi Floræ affixæ omnes ita arctent, & afficiant, ac si vnicuique personaliter intimatæ fuissent. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris die 30. Augusti 1622. Pontificatus nostri anno secundo. S. Cardin. S. Susannæ.

14 Litteræ Tribunalis officij S. Inquisitionis Vrbis Romæ. A tergo. *All'Illustrissimo, e Reuerendissimo Signore mio osseruandissimo. Il Signor Cardinal Carafa. Napoli.* Intus verò. *Illustrissimo, e Reuerendissimo Signor mio osseruandissimo. Dopò essersi hauuta longa, e matura consideratione sopra il dubio significato da più bande se i penitenti siano obligati à denuntiare i Confessori, da quali sono stati sollecitati nel luoco, ò atto della Confessione, quando hanno consentito alla sollecitatione, N. S. & questi miei Signori Illustrissimi in Congregatione, tenuta auanti Sua Santità à 25. di Luglio passato, dopò hauer anco inteso il parere di vna particolar Congregatione deputata per questo effetto, hanno risoluto, che qualsiuoglia penitente è tenuto à denuntiare il Confessore, dal quale sarà stato sollecitato nel luoco, ò atto della confessione ancor ch' egli habbia consentito, & non è tenuto à propalare il proprio consenso, nè sopra ciò, s'interroghi dal Vescouo, ò Inquisitore, ò loro Vicarij, auanti de' quali deporrà, ne meno il Confessore denuntiato procedendosi contra di lui, ne i constituti, che si gli faranno, s'interroghi sopra detto consenso, & in caso, che egli volesse dirlo da se, non si scriua il suo detto come in ordine alla persona sollecitata non spettante all'officio della Santa Inquisitione. Le parti dunque di V. S. Illustrissima sono di significare la detta resolutione à i Confessori, & incarcargli strettamente l'osseruanza, acciò ne i casi che occorreranno alla gior-*

giornata conforme al tenore della Constitutione publicata da Gregorio XV. di santa memoria contra i Confessori sollicitanti, significhino à i penitenti l'obligo, che hanno di denuntiare i Confessori, da quali saranno stati sollecitati, & hauendoli consent.to, e facendo difficoltà in scoprire il proprio consenso, conforme alla resolutione che s'è fatta, li dicano apertamente, che non sono tenuti à propalare detto consenso, e che tanto essi penitenti, quanto i Confessori sollicitanti procedendosi contra di loro, non saranno di ciò interrogati, e dicendolo da se non si scriuerà, ne riceuerà il lor detto, & quando il penitente tuttauia persistesse nella medesima renitenza N. S. si contenta, che dal Vescouo, ò dall'Inquisitore si dia autorità al Confessore di riceuere per scrittura, e con giuramento la denontia per portarla subito à chi hauerà data l'auttorità di pigliarla, & oltre le cose sudette se occorrerà altro caso graue, per il quale non si possa il penitente indurre à denuntiare, vuole sua Santità, che se ne scriua quà, & s'aspetti la risposta, & intanto si soprasedа nell'assolutione, & tanto si contenterà V. S. Illustrissima di fare osseruare nella sua Diocese; facendo registrare la presente negli atti di cotesta Corte per informatione sua, e de suoi successori, li quali douranno hauer mira, che la presente risolutione, riguarda solo quei penitenti, che per hauer consentito fanno difficoltà in denontiare, ma quei, che non hanno consentito, ò hauendo consentito non sono in ciò renitenti, non deue il Confessore porre difficoltà alcuna, ma lasciare, che indifferentemente, & liberamente sodisfacciano all'obligo, che hanno di denontiare, conforme alla detta constitutione, compiacendosi anco V. S. Illustrissima di mandare copie della presente à i Vescoui suoi suffraganei, acciò da essi ancora sia fatta osseruare la sudetta resolutione. Per fine à V. S. Illustrissima humilissimamente bacio le mani. Di Roma li 27. di Settembre 1624. Di V. S. Illustrissima, e Reuerendissima humilissimo, & affettionatissimo seruitore. Il Cardinal Mellino.

Quòd Confessarius non possit carcerari per solam depositionem mulieris asserentis se sollicitatam, adest tenor literarum officij Sanctæ Inquisitionis Vrbis Romæ, videlicet. A tergo. Al molto Illustre, e Reuerendissimo Monsignor il Vescouo di Foligno. Intus. Molto Illustre, e Reuerendissimo Signore.

15 Acciò più fondatamente si proceda contro li sollicitanti in confessione, questa suprema Congregatione ordina, che per il detto d'vna sola Donna V. S. non venga à constituire, ò carcerare il preteso reo, senza prima darne quà auiso, con la relatione della qualità della Donna, del denuntiante, & denuntiato, & all'hora se li scriuerà, se debba, ò nò procedere à constituirlo, e carcerarlo, per tanto V. S. sarà contenta di esequire, & il Signor Dio la conserui. Roma li 17. Luglio 1627. Affettionatissimo per seruirla. Il Cardinal Mellino.

CA-

CAPVT XXXVII.

De sortilegijs, & superstitionibus.

SVMMARIVM.

1 *DÆmonis cognitio triplex est.*
2 *Occulta non licet quærere à Dæmone.*
3 *Dæmones quibus modis mira facere possunt.*
4 *Sortilegium quid sit.*
5 *Sortilegorum professio cum Dæmone duplex.*
6 *Sortilegia quando sapiunt hæresim.*
7 *Sortilegia facta à sortilegis tacitè professionis, an sint hæreticalia.*
8 *Hæreticus est qui inuocat Dæmonem ad ea, quæ non sunt eius potentiæ.*
9 *Sortilegus si immiscet sortilegijs res sacratas, an sit hæreticus.*
10 *Sortilegi solent immiscere quasdam orationes in eorum sortilegijs.*
11 *Breuia, quæ solent alligari in collo, an sint licita.*
12 *Incantationes serpentum quando sint licitæ.*
13 *Astrologi si imponunt necessitatem rebus futuris, sunt hæretici.*
14 *Signa cælestia non imponunt necessitatem humanis rebus.*
15 *Sortilegi qua pęna puniuntur.*
16 *Sortilegis non hæreticis qua pęna imponitur.*
17 *Clericus sortilegus qua pęna punitur.*
18 *Sortilegi conficientes sortilegia ad bonum finem an sint puniendi.*
19 *Bulla Sixti V. contra sortilegos iudiciarios.*
20 *Sortilegi, lamiæ, seu strigimagæ subsunt iudici Ecclesiastico.*
21 *Lamiæ depositio contra sociam an, & quando faciat inditium ad torturam.*
22 *Lamiæ an possint transmutare corpora humana in bestias.*
23 *Lamiæ an corporaliter deferantur per Dæmonem, vel in mente deludantur.*
24 *Lamiæ an possint euadere à manibus iudicum.*
25 *Bulla Gregorij XV. contra committentes maleficia, & sortilegia.*
26 *Episcopus debet inquirere contra sortilegos, & maleficos, & expellere à Ciuitate.*
27 *Imagines Sanctorum non sunt pingendæ lasciuia, & procaci venustate.*
28 *Episcopus quomodo se gerere debet circa miracula, quæ audit fieri ab aliqua imagine.*

1 PRimò, pro intelligentia huius materiæ est notandum, quòd triplex est cognitio Dęmonis. Prima est naturalis; quia cum Dęmones sint intelligentiæ spirituales, & subtiles, per species naturales cognoscunt omnia, quæ naturaliter cognoscere possunt, S. Thom.

S. Thom. in 3. p. q.53. art.2. & quæst.57. art.1. tamquam enim spiritus angelici ista naturalia non amiserunt, idem S. Thom. dicta p.3. quæst.68. art.1. & 2. Secunda cognitio est longęua experientia, & per istam cognitionem multa cognoscunt per signa, sicut Medici præcognoscunt mortem, vel sanitatem infirmi, idem S. Thom. in 2. sentent. dist.79. art.1. Tertia cognitio est per reuelationem supernorum spirituum, vt exequantur diuinam voluntatem, idem S. Thom. in d. quæst.2. art.1. & hoc vt voluntas Dei impleatur etiam per inimicos, secundum S. Bonauent. ibidem.

2 His præmissis secundò notandum est, quòd licèt Dęmones habeant prædictam cognitionem rerum, non tamen licet ab ipsis per magicas artes quærere res occultas, primò propter infidelitatem; quia tribuitur Diabolo id, quod est proprium Dei; secundò ob idolatriam, nam Dęmonem ab hoc semper vult cultum latriæ; tertiò propter Ecclesiæ prohibitionem, 26. q.4. & 5. per tot. S. Thom.2.2. q.90. art.2. Hinc est, quod qui Dęmonem inuocat, consilium ab eo petit, vel id aliquo communicat, cum eo pactum tacitè fecisse videtur, Caiet.2.2. q.93. art.3. qui ergo ad Dęmones recurrunt cum illis pactum ineundo, magicam artem exercere dicuntur, Sot. de iust. & iur. lib.8. q.3. art.3.

3 Tertiò notandum est, quod Dęmones quædam onera faciunt, & exercent, vel per præstigium, scilicet faciendo apparere pro veris illa, quæ vera non sunt, & hoc per mutationem organi phantasiæ, vel applicando actiua passiuis; quia naturali virtute cognoscunt; & ob hoc possunt applicare medicinas infirmitatibus, vt homines decipiant, S. Thom. dist.7. q.2. art.2.

4 Quartò ne super incognitis procedamus, sciendum est, quòd sortilegium est quædam superstitio illusoria, & summè noxia, qua vtitur homo ministerio Dęmonis, ita definit, seu describit Paul. Ghirlan. in tract. de sortileg. q.1. num.1. & sumpta est ex cap. vnic.26. q.1. vbi habetur, quòd sortilegi sunt qui sub nomine fictæ religionis per quasdam, quas sanctorum sortes vocant, diuinationis scientiam profitentur, aut quarumcumque scripturarum inspectione, futura promittunt, cap. qui sine saluatore 26. q.2. cap.1. & 2. de sortileg. l. nemo, & l. multi, C. de malefic. nam sortilegus est is, qui Diabolicam religionem professus est, & noxia quæque superstitiosa, aut elusoria Dęmonis instructione componit.

5 Et quia, vt supra dictum est, sortilegus profitetur religionem Diabolicam sciendum est, quod sicut Regulares, & Monachi intrantes aliquam approbatam Religionem dupliciter profitentur, aut expres-

sè,

sè, aut tacitè, sicletiam isti maledicti sortilegi expressam faciunt professionem, aut tacitam.

5 Expressa professio fit duobus modis, aut solemniter, & publicè, aut priuatim: expressa solemnis, & publica est, quando noctis tempore congregata magna strigarum, maleficorum, & sortilegorum multitudine, in manibus ipsius Dęmonis sedentis in solio maiestatis professionem emittunt, negando impiè Deum, sanctissimum eius nomen, Beatam Mariam Virginem, & Sanctos, Baptismum, & Sacramenta Ecclesiæ, promittuntque ipsi Dęmoni perpetuam obedientiam, & cultum latri, & è contra Dęmonę promittit ipsis eos decipiendo, & illudendo, quod in posterum facilem se reddet obsequendo eorum voluntati, & tunc dicitur contracta societas inter sortilegum, & Dęmonem, qui etiam promittit de sortilegorum inimicis vindictam, futura, præsentia, & præterita reuelare, & alia mirabilia facere, & hæc est expressa solemnis, & publica professio. Aut fit expressa professio priuatim, & est, quando sine congregatione nocturna soli Dęmoni sortilegus emittit professionem cum promissione reciproca, hæc Paul. Ghriland. de strigib. quæst. 3. num. 3. & plenius, quæst. 7. num. 26.

Tacita professio est, quando non fit in manibus ipsiusmet Dęmonis, sed in manibus alicuius alterius sortilegi, qui professionem nomine Dęmonis recipit, Ghirl. loco citato. Veruntamen ij, qui sunt de expressa professione sunt chariores, & dilectiores Dęmoni, quam qui de tacita; & quicquid petitur ab eis conatur facere, si potest, & ea, quæ non potest, fingit se velle facere, & eos illudit.

6 Quintò notandum est, quod omnia sortilegia, quæ fiunt ab ijs, qui sunt de expressa professione sapiunt manifestam hæresim; & licet nō respectu operum, quæ aliquando possunt esse non hæreticalia, respectu tamen operantis, qui cum sit de expressa professione, verè, & propriè dicitur hęreticus; ex quo relicto vero Deo, Dęmonem tamquam Deum adorat contra primum articulum Christianæ fidei, Oldr. consf. 210. per modum adorationis, & cultus latriæ Dęmon ab istis, qui sunt expressæ professionis, adoratur; nam expressè negant Christianam, & veram fidem; & ideò eorum sortilegia sunt hæreticalia, Farinac. lib. 1. de delict. & pęn. quæst. 20. num. 81. Gemin. in cap. accusatus, §. sanè de hæretic. lib. 6. Paul. Ghirland. quæst. 10. n. cum sequentibus.

7 Sextò notandum est, quòd sortilegia, quæ fiunt ab ijs, qui sunt de tacita professione, non semper sapiunt hæresim; sed solum quando ab illis inuocatur auxilium Dęmonis ad faciendum ea, quæ Dęmon de

8 de sui natura facere non potest, vt suscitare mortuos, scire futura ex certa scientia, scire secreta cordis hominum, & similia, & in his sortilegijs imploratur auxilium Dęmonis, sortilegus est hæreticus; quia attribuit creaturæ illud, quod est proprium creatoris, Ghirlan. q. 10. n. 1. cum sequentibus, Clar. in pract. §. Hæresis vers. successiuè quæro, Farinac. loco citato, num. 79. Aut inuocatur Dęmon ad faciendum ea, quæ ipse Dęmon facere potest, vt homines ad peccata, & ad libidines tentare: item virtutes rerum naturalium cognoscere, ex quibus medicamenta ad sanandum, & atrociora beneficia ad causandum diuersas infirmitates confici possunt; item pręsentia, & præterita occulta scire, & furta reuelare, & quæ omnia Dęmon scit, & facere potest (Deo non reprimente) & in his, & similibus casibus si Dęmonis auxilium imploratur ab ijs, qui tacitè professi sunt, sortilegia non sunt hæreticalia; quia nihil Dęmoni tribuitur, quod ipse (Deo non reprimente) agere non valeat secundum glos. Archid. Gemin. & alios in dicto cap. accusatus, §. sanè, de hæret. lib. 6. Oldr. d. cons. 110. Gemin. cons. 54. Abb. in rubr. de hæret. num. 13. vbi testatur ita aliàs fuisse iudicatum in Romana Curia, Farinac. loco citato, n. 80. quia isti sortilegi de tacita professione nondum penitus se remouerunt à cultu diuino, & à Christiana Religione, nec celebrant cultum Dęmoni per sacrificia, & adorationes, prout faciunt expresè professi, Farinac. loco citato, numer. 81. etiam si in dictis eorum sortilegijs

9 inuocatur Dęmon ad ea, quæ sunt de illius potentia, dummodò non inuocetur per modum adorationis, & cultus latriæ, sortilegia non dicuntur hęreticalia, etiam quòd in ipsis misceatur oleum sanctum, aqua, candelę, rami oliuarum benedicti, aut aliæ res benedictæ; sed grauissimè peccant, & vt sortilegi puniendi sunt, Ghirl. q. 16. num. 4. Oldr. dicto cons. 110. & Abb. in 2. de sortileg. Farinac. loc. cit. numer. 85. nisi misceatur sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum; quia tunc sortilegia essent hæreticalia, siue fiant per inuocationem Dęmonis, in his, quæ facere potest, siue non potest glos. in dicto cap. accusatus, §. sanè in verb. saperent, Oldrad. dicto cons. 110. Farinac. loco citato, num. 83.

10 Septimò notandum est, quòd multoties conficientes sortilegia ad sanandum infirmitates, vel ad alium bonum finem, solent isti sortilegi immiscere aliquas sanctas, & deuotas orationes, & aliquando addunt nomina incognita, & characteres, & alias obseruationes, & aliquando faciunt deferre aliqua breuia continentia extranea verba, nomina, signa, & alia similia, quæ clarum est, & manifestum naturaliter efficaciam ad sanitatem inferendam habere non posse; quia orationes

tiones finguntur, & fieri non possunt sine suffragio, & instructione Dęmonis, & totum opus est superstitiosum, & punibile.

11 Circa verò breuia, quæ solent ligari in collo dicit S. Thom. 2. 2. q. 96. art. 4. esse cauendum ne reperiatur in eis aliquod istorum. Primò, ne sit ibi aliquid pertinens ad inuocationem Dęmonis. Secundò ne sint nomina ignota, ne sub illis lateat illicitum. Tertiò, ne aliquid falsitatis contineant; quia eius effectus non posset expectari à Deo, qui est ipsa veritas. Quartò cauendum est, ne sub verbis sacris contineantur aliqua vana, puta characteres, & alia signa, præter signum sanctæ Crucis. Quintò, vt spes non ponatur in modo scribendi, vel ligandi, puta quòd scribatur in carta virginea, vel in ortu solis, vel dum legitur Euangelium, vel quòd oporteat ligari cum tot filis, vel apponi per virginem; quia sunt vanitates ad Dei reuerentiam non pertinentes, illicitæ, & superstitiosæ, cap. non liceat 26. q. 5. & cap. illud. quæst. 2.

12 Item dicendum est de incantatoribus serpentum, qui si in incantationibus inuocant auxilium Dęmonis expressè, vel tacitè, vt quando in eis insunt aliqua verba extranea, vel nomina ignota, aut characteres, quæ non possunt secundum eorum naturam aliquid operari circa effectum, de quo agitur, sunt superstitiosi, qui incantatores licet de iure ciuili nulla pęna puniantur, l. errorem, & ibi Bart. C. de malef. & Methem. de iure tamen canonico puniuntur, cap. illos 26. q. 2. Farinac. loc. citato, num. 110. vbi subdit, quòd quando in istis incantationibus imploratur auxilium Dei cum deuotione absque alia obseruatione superstitiosa intrinseca, vel extrinseca non sunt reprobandæ, quia prosunt hominibus.

13 Sed quid dicendum de Astrologis, qui ex signis, & astrorum cursu futura prædicunt? Resp. quòd non negatur ipsos posse scire naturales effectus, vt Eclypses, pluuias futuras, & alia huiusmodi, & similiter complexiones, & inclinationes hominum; nam cœli influunt in humana corpora; & ideò dicit glos. notabilis in dicto cap. non liceat 26. q. 5. in verb. propter segetes, quòd medici in dando medicinam, & rustici in seminando, inspiciendo cursum lunæ, & stellarum non peccant, dummodò non credant necessitatem inesse; sed si prædicti Astrologi ex certa scientia prædicunt, quasi quòd signa, per quæ futura coniecturantur, sint causæ rerum imponentes futuris rebus necessitatem; isto casu sunt hæretici, & vt hæretici puniendi; sed si prædicunt futura præsumptiuè, & inclinatiuè, non per modum necessitatis, tunc non peccant, Abb. in dicto cap. 2. de sortileg. Ghirl. qu. 11.
14 num. 24. quia signa cęlestia non imponunt necessitatem humanis rebus,

bus, sed sunt signa inclinatiua rerum futurarum, quæ multoties fallunt; quia ipsis humana natura necessariò non subijcitur, quin possint illa euitari potestate liberi arbitrij, Abb. in dicto cap. 2. Farinac. loco citato; homo enim quamuis inclinetur secundum dispositionem corporis ad aliquod vitium, tamen per rationem liberi arbitrij, potest aliud facere; sed quia plerique sequuntur vires sensitiuas, & appetitus naturales, captiuamque liberum arbitrium; ideò quandoq; Astrologi videntur dicere verum, quòd talis est dispositus ad tale vitium, vel astra ad id inclinant.

15 Sed quæro, qua pęna sortilegi sunt plectendi? Resp. quòd illi, qui faciunt sortilegia hæreticalia, sunt excommunicati in Bulla Cœnæ Domini, & vt hæretici puniendi sunt, Ghirl. quæst. 11. Menoch. de arbitr. iud. lib. 2. centur. 4. cas. 388. num. 4. Farinac. loco citato, numer. 87. siue sortilegia sint ad amorem, siue ad præsciendum futura, siue ad inferendas infirmitates: illi verò, qui conficiunt sortilegia

16 non hæreticalia, quamuis de iure ciuili cuiuscumque sint generis sortilegia, pęna mortis naturalis puniuntur, & eorum bona confiscantur, l. nemo, l. multi, l. excepta, & l. eorum, C. de malefic. & Methem. Ghirl. quæst. 11. num. 6. de consuetudine autem non puniuntur poena mortis, & confiscatione bonorum, sed vel mitantur in publico, & banniuntur, vel ad triremes mittuntur, vel si sunt nobiles religantur, vel alia poena plectuntur arbitrio iudicis, Farinac. loco citato, vbi dicit ita se vidisse seruari Romæ, Clar. in pract. §. hæresis, vers. fin.

17 Clericus autem, qui dolo malè conficit sortilegia non hæreticalia, deponitur ab ordinibus sacris, omnibus beneficijs priuatur, & in Monasterio perpetuò detruditur, cap. si quis Episcopus, 26. quæst. 5. Abb. in cap. 2. de sortileg. Ghirl. quæst. 11. num. 3. 8. & 10. Menoch. de arbitr. iud. casu 388. numer. 10. Foller. in pract. crim. canon. cap. 33. num. 49. sed hodie tam de iure ciuili, quam etiam de iure canonico, tàm in laicis, quam in Clericis conficientibus sortilegia non hæreticalia, pęna est arbitraria, dixit Abb. in d. cap. 2. quem sequutus est Ghirl. d. quæst. 11. num. 7. idcircò poenam sortilegijs, vel eorū consulentibus, & participantibus imponendam, potest iudex augere, & minuere secundum qualitatem facti, conditionem personarum, animum delinquentis, scandalum inde exortum, & alias eius arbitrio; quod intelligendum est, si adsit aliqua iusta causa, vt puta, vel quod decepti, vel simpliciter inducti peccauerunt, prout accidit illi Clerico, de quo in dicto cap. 2. de sortileg. qui bono zelo, & simplicitate confecit sortilegia non hæreticalia pro inueniendis rebus

Eccle-

Ecclesiæ subtractis, alias si non adesset iusta causa,non esset minuenda pęna statuta à canonibus, Farinac. loco citato, n.94. Diaz. c.107. Ghirl. quæst.14. num.3.

18 Sic etiam puniendi sunt sortilegi, qui conficiunt sortilegia ad bonum finem, vt ad sanandum ægrotos, maleficiatos, ad soluendum aliorum sortilegiorum facturas, ad incantandum imbres, ne noceant segetibus, arboribus, animalibus, & similibus, qui si sunt Clerici pęna depositionis, priuationis beneficiorum puniuntur, dicto cap. si quis Episcopus, 26. q.5. Ghirl. q.11. num.3. & sequentibus; laici verò prima vice excommunicantur, & pro alijs vicibus fustigantur, vel si sunt nobiles, relegantur, & alijs pœnis arbitrio Iudicis puniuntur, licet de iure ciuili isti sortilegi non puniantur, l. eorum. §.1. & ibi Bart. C. de malefic. & Methem. secus de iure canonico; quia Ecclesia ista remedia, etiam quod fiant ad bonum finem, summopere abhorret, cap. nec mirum, §. ad hęc, 26. q.5. cap. admoneant, 26. q.7. Farinac. loc. cit. num.95. quia non licet maleficium maleficio auferre: sed adiuratione, oratione, ieiunio, eleemosinis, & alijs pijs operibus, vel auferendo res, in quibus consistit maleficium, Cart. & Nauar. in Manual. cap.11. num.29. Syluest. in verb. maleficium, q.8. Angel. in verb. superstitio, §.13.

Sed hodie contra Astrologos iudiciarios, habemus Bullam Sixti IV. quæ incipit, *Cœli, & Terræ conditor Deus*, Romæ die 5. Ianuarij 1585. vbi multum inuehitur contra Astrologiam iudiciariam recensis in compendio in principio omnia mala, quæ in sortilegijs, & incantationibus concurrunt, & postea statuit in hæc verba.

19 Hac perpetuò valitura Constitutione Apostolica authoritate statuimus, & mandamus, vt tam Astrologos, Mathematicos, & alios quoscumque dictæ iudiciariæ Astrologiæ artem, præterquam circa agriculturam, nauigationem, & rem medicam in posterum exercentes, aut facientes iudicia, & natiuitates hominum, quibus de futuris contingentibus successibus fortuitisque casibus, aut actionibus ex humana voluntate pendentibus aliquid euenturum affirmare audent: etiam si id se non certò affirmare asserant, aut protestentur, quam contra alios vtriusque sexus, qui supradictas damnatas, vanas, fallaces, & perniciosas diuinandi artes, siue scientias exercent, profitentur, & docent, aut discunt, quiue huiusmodi illicitas diuinationes, sortilegia, superstitiones, veneficia, incantationes, ac præmissa detestanda scelera, & delicta, vt pręfertur, faciunt: aut in eis se quomodolibet intromittunt, cuiuscumque dignitatis, gradus, & conditionis

T exi-

existant, tam Episcopi, & Prælati, Superiores, & alij Ordinarij locorum, quam Inquisitores hæreticæ prauitatis vbique locorum deputati, etiam si in plerisque, & his casibus antea non procedebant, aut procedere non valebant, diligentius inquirant, & procedant, atque in eos seuerius canonicis pœnis, & alijs eorum arbitrio animaduertant. Prohibentes omnes, & singulos libros, opera, & tractatus huiusmodi Astrologiæ iudiciariæ, Geomantiæ, Necromantiæ, Hidromantiæ, Piromantiæ, Onomantiæ, Chiromantiæ, Artis magicæ, aut in quibus sortilegia, Veneficia, Auguria, Auspicia execrabiles incantationes, ac superstitiones continent, ac vt supra in memorato Indice interdictos sub censuris, & pęnis in eo contentis à quibuscumq; Christi fidelibus, legi, aut quomodolibet retineri: sed illos Episcopis, & Ordinarijs locorum, vel Inquisitoribus prædictis præsentari, & consignari, debere. Et nihilominus eadem authoritate statuimus, & mandamus, vt contra scienter legentes, aut retinentes libros, & scripta huiusmodi, seù in quibus talia continentur, similiter Inquisitores ijdem liberè, & licitè procedant, ac procedere, & pęnis condignis punire, & coercere possint. Non obstantibus, &c.

20 Per dictam ergo Bullam Sixti V. sortilegi, malefici, & venefici subsunt iurisdictioni iudicum Ecclesiasticorum, & eorum cognitio spectat maximè ad Inquisitores, cuiuscumque sint generis sortilegia; quia in dicta Bulla non fit distinctio, an sint hæreticalia, vel non; ideò quomodocumque sint ad Iudices Ecclesiasticos cognitio huiusmodi spectat, Pegn. in comment. 67. ad Director. part. 2. vide Abb. in dicto cap. 2. de sortileg. per quam Bullam omnes Diuinatores puniendos esse, eorumque punitionem ad Inquisitionem spectare constat. Et nota, quòd isti Diuinatores dicuntur diuini, quasi Deo pleni; nam diuinitate se esse plenos simulant, & astutia quadam fraudulenta hominibus futura coniectant, cap. igitur 26. q. 4. & est quando quis sibi cognitionem earum rerum indebitis modis, & varijs sibi arrogat, quę ad solum Deum spectat; & varia est diuinatio, vt in dicta Bulla, nam aliquando dicitur Geomantia, & est diuinatio illa, quæ fit in elemento terræ, dicta à geos quod est terra, & mantia diuinatio: & tunc est, quando Dæmon docet per signa quædam apparentia in corporibus terrestribus, vt in ligno, ferro, lapide, & huiusmodi. Necromantia est diuinatio, vt quando fit in mortuis dicta à necros, quod est mortuum, & mantia diuinatio, vt quando Dęmon adhibito sanguine, & certis carminibus, videntur mortui resurgere, loqui, & futura docere; quamuis enim Dęmon nullam animam reuocare possit ad

hunc

hunc mundum, fingit tamen esse mortuum assumendo corpus, ac si anima esset, Sayr. in clau. regia lib.4. cap.5. num.10. Hidromantia est, quæ fit in aqua, dicta ab hijdor, quod est aqua: & est quando Dęmon docet futura per signa quædam, & figuras apparentes in aquis. Pyromantia est diuinatio, quæ fit in igne, dicta à pyron, quod est ignis; quando scilicet Dęmon docet futura per figuras apparentes in igne. Onomantia est diuinatio, quæ fit à voce animalium dicta à græco onoma, quod est vox, seu sonus, vt balatus ouium, mugitus boum, & huiusmodi. Chiromantia est diuinatio, quæ fit ex lineamentis manuum hominis dicta à chiros, quod est manus, & mantia diuinatio: quæ omnia vitanda sunt à Christianis, & omni penitus execratione reijcienda, atque damnanda, vt in cap. nec mirum 26. quæst.5. & cap. igitur 26. quæst.4. & d. Bulla Sixti V.

21 Et quia isti sortilegi, lamiæ, & strigæ sępè incidunt in manus iudicum Ecclesiasticorum, quarum aliqua nominat alias socias: Quęritur, an dictum illius faciat inditium ad torturam contra nominatam, vel saltem ad inquirendum? Resp. quòd aut deponit de delictis commissis tempore, quo erat in illa Diabolica congregatione nocturna, & deponit se tunc vidisse; & isto casu non facit inditium, neque ad inquisitionem specialem; quia isti sortilegi, & strigæ quando reperiuntur in illis choreis, & tripudijs nocturnis, Dęmonum illusionibus deceptæ, multa eorum ludificatione, & arte vident, quæ falsa, & ficta sunt, & ipsæ lamiæ existimant vera esse, vnde male faciunt iudices, qui ad solam lamiæ depositionem torquent. Aut deponit de delictis commissis alio tempore, & tunc potest facere aliquam fidem, Simanc. de catholic. institut. tit.37. num.15. Sigismund. Scacc. in tract. de caus. ciuil. crim. & hęretical. cap.8. num.10.

22 Sed quæro de duobus. Primò, an isti sortilegi, lamiæ, seu strigæ possint mutare humana corpora in bestias? Secundò, an corporaliter, & verè per aerem deferantur per Dęmonem, vel imaginariè, & in spiritu deludantur? Respond. & quoad primum dicto, vt supra, num.3. dixi, quòd per præstigium videntur trasmutare corpora humana: sed id non fit verè, sed apparenter Dęmone illudente oculos inspicientium per mutationem organi fantasiæ: & intrant domos reseratas; quia Dęmon aperit ianuas, & obstacula remouet: & isti maledicti sortilegi solent occidere pueros, & maxima pars istarum strigarum est fęminarum, quæ committunt innumeras luxurias hæc omnia sunt horrenda, & grauissima digna pęna, Cardinal. Tolet. in instruct. sacerd. lib.4. cap.16. num.10.

23 Quoad secundum dico, quòd ista quæstio est antiqua, & famosa,

& multi tenuerunt, quòd non deferuntur in corpore, sed tantum in mente, & spiritu deluduntur per vulgatum tex. qui videtur hoc expressè decidere in cap. Episcopi 26. q.5. vbi dicitur, quod quædam sceleratæ mulieres retrò post Sathanam conuersæ Dęmonum illusionibus, & phantasmatibus tam grauiter seductæ sunt, quòd credunt se cum Diana Dea paganorum, vel Herodiade nocturnis horis equitare super quasdam bestias, & multarum terrarum spatia intempestæ noctis silentio pertransire, vbi tex. improbando opinionem sequitur dicens, hæc vera esse credunt, & credendo à recta fide deuiant; ex quo sequitur, quòd non corporaliter, sed in mente, & spiritu deluduntur. Alij dixerunt, quòd realiter, & corporaliter deferuntur; & ista est magis communis, & vera opinio, & ad tex. in dicto cap. Episcopi respondetur, quòd ille tex. non loquitnr de ista secta, sed de alia longè diuersa ab ista, vt per Ghirland. in dicto tract. de sortileg. quæst.7. vbi dat intellectum ad dictum tex. & authoritatibus, & exemplis probat verè, realiter, & corporaliter istas maledictas strigas per Dęmonem deferri ad congregationes nocturnas; quia certum est homines ab vno loco ad alium à Dęmone posse deferri; & ratio est, quia materialia, & corporea, quantum ad motum localem obediunt Angelis tam bonis, quam malis ad nutum, & in Dęmonibus naturalia permanserunt illæsa, & in sua prima perfectione, & de Angelis bonis habemus exemplum Abacuc, Daniel cap. 15. & de Philippo Act. cap.6. & de malis habemus exemplum Simonis Magi, qui magicis artibus à Dęmonibus visibiliter per aerem, quasi cœlum conscenderet, se portare fecit; quem Petrus, & Paulus orationibus de sublimi aere deposuerunt, & cadens fracto corpore expirauit, Cosmi Philiarch. in tract. de offic. Sacerd. part.2. lib.3. cap.7. vbi dicit dictum cap. Episcopi esse suspectum, & paruæ authoritatis, licet sit in corpore Decretorum; nam ea, quæ in Decretis sunt habent authoritatem eorum, quorum sunt; est enim congestum ex diuersis authoritatibus Summorum Pontificum, Conciliorum, & Sanctorum, & multa in ea inserta, sunt apocriphas, quæ nomine Paleæ prænotantur, & à Doctoribus, & glos. non exponuntur, & dictum cap. potest annumerari inter Paleas; nam ascribitur Concilio Ancirano: & in ipso Concilio nunquam fuit inuentum neque in manuscripto, neque in impresso, neque in græco, neque in latino, sed ab illis, qui ediderunt tomos Conciliorum, ponitur post decreta, & subscriptiones Patrum dicti Concilij Ancirani, tamquam repertum in quodam libello antiquo sexdecim librorum partialiũ ex sola authoritate dicti libelli: & ita testantur ibidem, qui tomos Conciliorum

edi-

ediderunt: & ita etiam notatur supra, & ante dictum cap. Episcopi in lib. Decretorum nouiter correcto, & iussu Gregorij XIII. impresso, vt patet ex eius lectura, hæc Cosm. Philiar. loco citato; remanet ergo vera conclusio, quòd strigę, lamiæ, & sortilegi verè, & corporaliter deferuntur, intrant domos clausas, Dęmone aperiente ianuas, & obstacula remouente: salua tamen sententia sanctæ Romanæ Ecclesiæ, cui me submitto.

24 Demum notandum est, quòd licet isti sortilegi, malefici, & strigę possint ingredi, & egredi ex domibus reseratis, vt supra, non tamen possunt à carceribus egredi, vt euadant à manibus iudicum, & pęnas effugiant; cuius rei duas rationes assignat Ghirlan. quæst.9. prima est; quia Dęmon, qui nihil auidius cupit, quam animas lucrari, & ad infernum trahere, cum primum videt maleficum apprehensum, nihil aliud quærit, nisi vt anima illius separetur à corpore, & sic ipsum non adiuuat; secunda ratio est, quia tunc diuina iustitia non permittit Dęmonem posse potentiam naturalem exercere in illos, allegat, S. Thom. in tract. quæst. part.5. in tit. de mirabilib. & Doctores in cap. nec mirum 26. q.5.

Sed post hæc scripta fuit edita quædam Constitutio Sanctissimi D. N. Gregorij XV. aduersus maleficia, seu sortilegia committentes tenoris, videlicet.

25 Gregorius Papa XV. ad perpetuam rei memoriam. Omnipotentis Dei Saluatoris nostri, qui vt hominem à laqueis Diaboli liberaret, crucem subire dignatus est, vices, quamquam immeriti gerentes in terris, in id summo studio iuxta creditum nobis desuper Apostolicæ seruitutis officium incumbimus, vt gregem Dominicum inextimabili pretio redemptum aduersus Satanæ fraudes defendamus, eiusdem officij partes desuper interponendo, prout conspicimus in Domino salubriter expedire. Sanè nonnulli suæ conditionis obliti, & solemnis sponsionis ab ijs factæ cum in Christi gregem per sacrum regenerationis lauacrum adsciti fuerunt, Satanæ, cui renuntiarunt, artibus, maleficijs, superstitionibus, ac nefarijs inuentis operam dare non verentur; quinimmò magistrum imitantes, qui capitali odio, quo humanum genus prosequitur, hominibus insidiari nunquam cessat, proximum varijs modis lędere, animas verò suas perdere non timent. Quapropter vt tam exitiosa scelera à Christifidelibus arceantur, grauioribus pęnis vindicanda duximus. Motu itaque proprio, & ex certa scientia ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine tenore præsentium decernimus, præcipimus, & mandamus, vt constito, quòd aliquis pactum cum Diabolo

fecerint, & à fide apostatando maleficijs, seu sortilegijs, vnam seu plures personas ita lęserit, vt ex maleficio, vel sortilegio mors sequuta sit, etiam pro primo lapsu, Curiæ sęculari tradatur debitis pęnis puniendus. Qui verò similiter apostatando cum Diabolo, vt præfertur, pactum fecerit, & maleficium, seù sortilegium commiserit, ex quo mors sequuta non sit; infirmitas tamen, diuortia, impotentia generandi, siue animalibus, frugibus damnum, vel alijs fructibus notabile prouenerit, muro claudi, siue perpetuis carceribus in sanctæ Inquisitionis officio, vbi illud existit, fabricandis, mancipari debeat. Qui verò similium delinquentium notitiam habuerint, eos Episcopis, siue Inquisitori denuntiare teneantur; non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrarijs quibuscumque &c. Datum Romę apud sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die 20. Martij 1623. Pontificatus nostri anno tertio. Publicata Romæ die 23. Martij 1623.

26 Et propterea Episcopus debet inquirere istos maleficos, & sacrilegos, & eos persequi, & à Ciuitate, & Diœcesi eos eijcere, & expellere, vt habetur in cap. Episcopi, cap. idolorum, 26. q. 7. per totum, ex quo consulentes Ariolos, Aruspices, & incantatores ipso facto sunt excommunicati, cap. si quis Ariolos, 26. q. 5. sicut etiam fabricantes, vel curantes, vt fabricentur imagines, anuli, phialę, speculum ad Dęmones inuocandum, & ab eis responsa petendum per extrauag. Ioann. XXII. quæ est impressa in Director. Inquisit. 2. part. q. 45. nam nec maleficia tolli per alia huiusmodi debent, sed per preces ad Deū adhibitas, & per pęnitentiæ, & Eucharistiæ frequentationem, & exorcismata, cap. fin. 33. q. 1. & tot. tit. de frigid. & malefic. destrui tamen possunt ea, per quæ maleficia facta sunt, vt imagines, sine tamen vlla Dęmonum inuocatione, Nauar. in Manual. cap. 2. num. 29. & est communis opinio Doctorum Vgolin. de offic. & potest. Episcop. p. 1. cap. 6. §. 1. num. 9.

27 Item imagines Sanctorum non sunt pingendæ, & ornandæ lasciua vetustate, & procaci, vt per Concil. Trident. sess. 25. de inuocat. & veneratione Sanctorum, ad quod aduertere debent Episcopi, sicut etiam nec miracula falsa promulgari permittant, & ita de Reliquijs Sanctorum, vbi dubitatur, an tales sint, & quid faciendum sit, Con-
28 cil. Trident. loco citato docet Episcopus ergo quando imaginem aliquam miracula facere audit, debet prohibere concursum populi, & occludere imaginem quousque cum Theologis, & pijs viris iudicetur, an miracula sint vera, Marc. Ant. Genuens. Epis. Mont. Maran. in Manual. Pastor. cap. 83. & de imaginibus Sanctorum, vide

Paul.

Paul. Fusc. de visit. Eccles. lib. 1. cap. 9. Vgolin. de offic. & potest. Epis. loco citato num. 14.

CAPVT XXXVIII.

De eo, qui post patratum delictum se Clericauit.

SVMMARIVM.

1 *Clericus vel Monacus effectus, post patratum crimen à quo est puniendus.*

2 *Tempus delicti, an debeat attendi, vel præsens.*

3 *Fraus quomodo cognoscatur in eo, qui clericatur post delictum.*

4 *Clericus si cum iuramento asserat se emisisse votum, ante delictum de se clericando, an ei credatur.*

5 *Iuramento asserentis statur in his, quæ in animo consistunt.*

6 *Clericatus non est conferendus nisi ijs, qui probabiliter illum suscipiunt non animo fugiendi iudicium sęculare.*

7 *Clericus etiam cum fraude fugiendi iudicium sęculare effectus, non punitur à iudice sęculari.*

8 *Clericus effectus post delictum, si initiatur sacris in totum eximitur à iurisdictione iudicis laici.*

9 *Laico effecto Clerico post præstitam cautionem de se præsentando, an eius fideiussores sint liberati.*

10 *Laicus qui se obligauit pęnes acta Curiæ sęcularis, si efficiatur Clericus an declinet forum.*

1 AN laicus, qui post patratum delictum assumpsit Clericatum, vel Monacus effectus sit, eximatur à iurisdictione, & potestate Iudicis sęcularis. Varia est Doctorum sententia, sed pro concordia deueniunt ad hanc distinctionem, aut qui se clericauit, vel Religionem ingressus est post commissum delictum, hoc fecit animo, & cum fraude fugiendi iudicium sęculare, & puniendus est à Iudice sęculari, Angel. & Alberic. in l. hos accusare, §. hoc beneficio, ff. de accusat. Bart. in l. 1. ff. de pęn. & in l. cum quidam puella, vbi etiam Ias. ff. de iurisdict. omn. Iudic. Abb. & alij in cap. vnico, de obligat. ad ratio. & Dec. cons. 130. Couar. pract. quæst. cap. 31. num. 4. Viu. commun. opin. in verb. Cleric. Clar. q. 36. num. 38. Cardin. Alban. in lucubrat. ad Bart. in d. l. cum quędam puella, Vinc. de Franch. decis. 209. Farinac. tit. de Inquisitione, quæst. 8. n. 104. Aut se clericauit absque tali fraude, sed simpliciter animo seruiendi Deo; & tunc

absque dubio est exemptus à potestate, & iurisdictione Iudicis secularis, & per Iudicem Ecclesiasticum est puniendus, Plazz. in epitom. delictor. lib. 1. cap. 35. num. 1. Oldr. cons. 4. Flam. Cartar. in tract. de exequut. senten. cap. fin. num. 308. vbi refert aliorum Doctorum sententias; & ista est magis communis opinio, quæ clarè probatur in dicta l. hos accusare, §. hoc beneficio, vers. item magistratum, & vers. dum non retractandi causa, ff. de accusat. & in l. si quis decurso, C. de fals. & in l. 1. C. qui militar. non poss. & in l. si maritus, §. legis, ff. de
2 adulter. & in l. fin. ff. de re militar. Farinac. loco citato, n. 104. quia inspicitur tempus delicti, l. 1. ff. de pęn. l. iniuriarum exstimatio, ff. de iniur. & dicta l. si quis Decurio in fin. vbi habetur, quod licet Decurio non possit torqueri; nihilominus posset torqueri, si commisisset delictum antequam esset Decurio: hinc est, quod per Sacrum Consilium teste Grammatico decis. 10. fuit decisum debere remitti Iudici Ecclesiastico illum, qui dum esset Clericus, deliquerat, & postea renuntiauerat clericatui, quia in casu pręposito attenditur tempus commissi delicti, Alex. in l. nemo potest, n. 31. ff. de legat. 1. & in cons. 8. lib. 1. & tunc dicitur clericatum fuisse assumptum in fraude, si illum
3 assumpsit statim post commissum delictum; ex vicinitate enim actus coniecturatur fraus, Bart. in l. post contractum, numer. 8. de donat. Mascard. de probat. conclus. 815. numer. 4. item dicitur quis in fraudem se clericare si post diffamationem, accusationem, vel inquisitionem; & eo magis si post citationem assumpsit clericatum, Boss. in tit. de iudic. Couar. dicto cap. 31. num. 4. Viu. commun. opin. in verb. clericus vers. Ordo Ecclesiasticus, Clar. d. quæst. 36. num. 39. Farinac. loco citato, num. 110. qui testatur de communi.
4 Sed quid, si quis asserat cum iuramento se emisisse votum clericandi ante commissum delictum, an ex hoc excludatur fraus? Respond.
5 quòd licet in his, quæ in animo consistunt, prout est votum, stetur iuramento iurantis, glos. in §. aliæ instit. de act. & in cap. significasti, il 2. in verb. credendum, de homicid. & in cap. si verò, il 2. in verb. propria, de sentent. excom. Bart. in l. interdum, §. qui finem, ff. de furt. & in l. 1. C. an seru. pro fact. Ias. in dicta l. cum quædam puella, de iurisdict. omn. iudic. Viu. commun. opin. in verb. clericus, vers. ordo Ecclesiasticus, dicit hanc esse magis communem opinionem, quod excluditur fraus, & quòd secundùm talem opinionem fuit alias resolutum, & obseruatum in Ciuitate Aquilæ; tamen alij, & meliùs dixerunt, quod non sufficit solum iuramentum ipsius vouentis, sed etiam requiritur aliqua alia probatio etiam non plena, puta si reus ante commissum delictum fassus esset extraiudicialiter se fecisse tale

votum,

votum, vel si concurrat aliqua alia præsumptio, vt si iuraret se fecisse votum clericandi, vel intrandi Religionem, eo tempore, quo euasit periculum grauis infirmitatis, naufragij, vel alterius periculi, Abb. in cap. quosdam, de præsumpt. Felin. in cap. cognoscentes, num.14.& ibi Dec. de constit. quæ opinio videtur verior, alias resultaret magnum absurdum, si solo iuramento staretur; nam qui effectus est clericus post delictum, vt effugeret forum sęculare, millies peieraret, maximè his miserrimis temporibus, se tale votum fecisse; nec obstant, quòd ea, quæ in animo consistunt, probantur iuramento asserentis; quia hęc probatio non habet locum, quando agitur de graui præiudicio, nam tunc requiritur plenior probatio, Abb. Felin.& Dec. loco citato; quia in hoc tractatur de iurisdictione, & de Reipublicæ lęsione, & de graui præiudicio, Gemin. in cap. eos de temp. ordinat. & est tex. in cap. ex insinuatione, & ibi glos. in verb. Clerici, de procurat. Farinac. loco citato, num. 124. Cassan. in consuetud. Burgund. in tit. des iustices rub. 1. num. 68. vbi dicit, quod prima opinio non
6 seruatur à iudicibus nostri temporis, idem Vincent. de Franch. decis. 449. num. 2. hinc est, quod nouissimè, & sanctissimè per Concil. Trident. sess. 23. cap. 4. de reformat. statutum est neminem prima tonsura esse initiandum, de quo probabilis coniectura sit, eum iudicij sęcularis fraude fugiendi, sed vt Deo fidelem cultum præstet, hoc genus vitæ elegisse.

7 Sed notandum est, quòd licet in casu, quo quis clericatum cum fraude fugiendi iudicium sęculare assumpsit, possit à iudice laico causa cognosci, tamen non corporaliter, nec contra personam; sed tantum in bonis contra reum procedere potest; nam dicunt Doctores, quòd Iudex sęcularis erit Iudex causæ, & non personæ, Bart. in l. 1. ff. de pęn. Boss. tit. de for. compet. num. 144. Abb. in cap. 1. num. 1. de obligat. ratiocin. & ibi Io. Andr. Archid. in cap. 1. 11. q. 1. Speculat. in tit. de reo vers. Sed quid est, Luc. de Penn. in l. fin. C. de veteran. lib. 12. Farinac. tit. de inquisit. quæst. 8. num. 107. vbi dicit hanc esse communem opinionem, Vinc. de Franch. decis. 209. & decis. 384. Verumtamen si quis assumeret ordines sacros, vel fecerit professio-
8 nem in aliqua approbata Religione, tunc etiam quòd in fraudem fugiendi sęculare iudicium hic fecerit, Iudex sęcularis omninò erit incompetens, etiam quoad bona, sed Ecclesiasticus, Boss. dicto tit. de foro competent. num. 144. Federic. de Sen. cons. 97. Ias. in dicta l. cum quædam puella, ff. de iurisdict. omn. Iudic. Mass. singular. 354. & est communis opinio, de qua testatur Farinac. dicto tit. de inquisitione q. 8. num. 106.

9 Sed

9 Sed pone, quod aliquis cum esset laicus, fuit inquisitus, de aliquo delicto, qui fuit à Iudice suo laico habilitatus, & sub fideiussoribus relatus de se præsentando infra certum tempus, vel toties quoties, & post præstitam dictam cautionem efficiatur Clericus, an fideiussores sint liberati; ita vt non teneantur ampliùs illum repræsentare? Respond. ex quo principalis mutauit statum, cum effectus fuerit Clericus, sunt liberati, l. sed & si quis, ff. si quis caution. l. si decesserit, ff. qui satisdar. cogan. & ratio est; quia mortuo principali naturaliter, vel ciuiliter fideiussor non potest adimplere illud factum repręsentandi; nam sicut mortuus, vel deportatus non potest esse naturaliter in iudicio, ita Clericus in iudicio sęculari, etiam si voluerit, cap. diligenti, de foro competent. Marsil. in rubric. de fideiuss. quæst. 12. num. 110. vbi in terminis huius quæstionis dicit, quod fideiussor laici post assumptum clericatum per ipsum laicum principalem, est liberatus à fideiussione, allegat tex. in l. defensiones, C. de except. Verumtamen si fideiussor se obligaret de soluendo quicquid fuerit iudicatum, vel ad aliquam quantitatem, & tunc si principalis efficeretur Clericus, fideiussor non est liberatus, sed tenetur ad promissa, l. si verè, ff. qui satisdar. cog. l. 1. C. de fideiuss. quia licet principalis mutet statum; tamen eius fideiussor potest adimplere, quæ promisit, Bart. in dicta l. si verò, Muscatell. in tract. de fideiuss. modo decimo nono, num. 17. & quæst. 9. à num. 34. vsque ad fin. Farinac. tit. de carcer. num. 37. vbi dicit, quòd hæc est magis communis opinio Horat. Lucius inter consilia criminal. diuers. cons. 163. num. 11. vol. 1. vbi authoritate S. Thomæ 2. 2. quæst. 100. art. 3. dicit excusari quem ab obseruantia promissorum, quando mutatæ sunt conditiones personarum arg. l. si filius, ff. de tut. & rat. distr. Rainal. Perusin. inter eadem consil. crim. cons. 194. num. 3. lib. 1. Felix Phębeus de Asculo inter eadem cons. crim. cons. vltim. num. 45. lib. 2.

10 Et quid si laicus, qui se obligauit penes acta Curię sęcularis, si efficiatur clericus, an declinet forum? Resp. quòd Vinc. de Franch. decis. 656. tenet esse remittendum iudici Ecclesiastico, licèt causa non fuerit decisa.

CA-

CAPVT XXXIX.

De statutis Ecclesiarum, quibus cauetur, ne exteri admittantur ad gremium Capituli.

SVMMARIVM.

1 *Episcopi possunt in eorum mensibus quacumque beneficia non reseruata, conferre.*
2 *Beneficia non sunt possidenda iure hæreditario.*
3 *Episcopus, & Capitulum non possunt statuere contra ius.*
4 *Episcopus conferens præbendas ciuibus sibi non præiudicat, vt non possit in posterum conferre alienigenis.*
5 *Consuetudo rationabilis, quæ dicatur.*
6 *Consuetudo, ne admittantur exteri ad præbendas, est de iure diuino, & n. 18.*
7 *Intellectus ad tex. in cap. ad decorem de institut.*
8 *Episcopus de iure communi non potest solus sine Capitulo disponere de Canonicatibus.*
9 *Consuetudo redacta in scriptis probatur per ipsammet scripturam.*
10 *Consensus siuè tacitus, siuè expreßus facit valere statutum.*
11 *Capitulum accedente Episcopi consensu potest imponere onus præbendis vacaturis.*
12 *Vnaquæque res eo vinculo dissoluenda est, quo fuit alligata.*
13 *Quæstio noua oriri non debet super ijs, quæ per obseruantiam definita sunt.*
14 *Eleemosyna debet fieri ciuibus potius, quam exteris.*
15 *Statutum factum à Capitulo de consensu Episcopi valet.*
16 *Capitulum est tunc quando est congregatum.*
17 *Episcopus, & Capitulum possunt augere numerum Canonicorum, sed Canonici nouiter creati, non possunt deferre insignia Canonicatus absque licentia Sedis Apostolicæ.*
18 *Præbendæ sunt conferendæ potius ciuibus, quam exteris.*

CVM in Ecclesia nostra Cathedrali Montispelusij inter alia statuta confirmata per prædecessores Episcopos, & longæua consuetudine præscripta, adsit, ne recipiantur, nec admittantur exteri ad Dignitates Canonicatus, præbendas, & nec ad gremium eiusdem Ecclesiæ, sed tantum ciues, & originarij Ciuitatis. Quidam autem Episcopus in visitatione reuocauit statutum prædictum prætendens conferre quendam Canonicatum cuidam suo familiari extero. Quæsitum fuit, an potuisset.

1 Pro

1 Pro Episcopo, quòd potuerit reuocare dictum statutum, licet longęua consuetudine obseruatum, adducitur, quòd Episcopus habet intentionem fundatam in iure; nam de iure potest in eius Dioecesi beneficia quæcumque vacantia in suis mensibus, & Apostolicæ sedi non reseruata personis idoneis ad eius beneplacitum conferre, cap. 2. de concess. præbend. cap. nullus il 1. 16. quæst. 7. Gonzal. in primo §. proęm. num. 20. super 8. regula Cancellariæ Apostolicæ; & cum in huiusmodi possessione, vel quasi reperiatur, est in ea manutenendus: & sic benè potuit reuocare dictum statutum, & consuetudinem, ne recipiantur exteri, nec beneficiarij, nisi originarij ex eadem Ciuitate; si quidem hoc repugnat sacris canonibus, cap. ad decorem, de instit.
2 tut. quia beneficia non sunt hæreditario iure possidenda, cap. plerique, & ibi Archid. & Gemin. cap. Episcopi, & cap. Apostolica 8. q. 1. sed benemeritis vndecumque originem trahentibus sunt conferenda; ideò cum iam statutum prædictum sit contra ius, ac non potest ex ordinatione Capituli, & authoritate Episcopi vires accipere, ex
3 quo eorum iurisdictio non se extendit ad statuendum contra ius, cap. quod super his de maior. & obedient. vbi Abb. num. 1. & Felin. n. 2. & Io. Andr. n. 4. vers. Hoc clarum est de iure canonico, Aret. cons. 23. num. 12.

4 Nec obstat, quod ista non est noua constitutio, sed multò antea iam edita, & ab alijs Episcopis confirmata; quia cum sit contra ius, nempè, contra dictum, cap. ad decorem, de institut. non habet robur, cum sit nulla, & inualida dicto cap. quòd super his, de maior. & obedient. & ibi Abb. in 2. notab. & Felin. latè, numer. 2. glos. in cap. fin. in verb. figura, de hæretic. lib. 6. Alex. cons. 105. & fuit resolutum in vna Toletana Canonicatus coram Clemente VIII. Nec potest assumere vires ex asserta consuetudine conferendi ciuibus naturalibus, exclusis alienigenis; quia talis consuetudo non est probata, ex eo enim quod Episcopi vacantes præbendas, & canonicatus non contulerint alienigenis, non est introducta consuetudo prohibitiua, & exclusiua collationem alienigenis, ex duobus. Primò, quia cum Episcopus potuisset conferre originario, vel extero, ex collationibus factis originarijs, non est acquisitum ius contra Episcopum, quòd conferre debeat in futurum ciuibus, & non exteris; quia ex actibus facultati vis non inducitur consuetudo idem faciendi in futurum, l. proculus, ff. de dam. infect. l. 1. §. denique l. si in fundo meo, ff. de aqu. pluu. arcen. Cyn. in l. 1. & 2. C. de seruit. & aqu. idem in l. 2. C. quæ sit long. consuetud. Innoc. in cap. cum in Ecclesia Sutrina, vbi post alios, Rip. num. 43. de caus. possess. & propriet. Secundò, quia cum

Epi-

Episcopus possit conferre extraneo, ex mille collationibus factis ciuibus, non præsumitur ius negatiuum, & prohibitiuum; nisi probetur prohibitio, & quòd Episcopus acquieuerit prohibitioni, Bart. post glos. in l. qui luminibus, ff. de seruit. & in l. 1. num. 1. C. de seruit. vbi Bal. num. 8. Ias. in l. quominus, num. 31. ff. de flum. Rip. in dicto cap. cum in Ecclesia Sutrina, num. 50.

His tamen non obstantibus tenendum est Episcopum non potuisse reuocare dictum statutum, prout reuocauit mediante decreto, in quo sunt ista verba: Consuetudine in contrarium etiam immemorabili non obstante.

Et in primis est aduertendum circa hoc statutum consuetudine præscriptum, quod Episcopus totum fundamentum facit super eo, quod hoc statutum, vel consuetudo sit irrationabilis, & contra ius,
5 nempè, contra tex. in dicto cap. ad decorem, de institut. quod fundamentum facilè corruit; quia cum illa dicatur rationabilis consuetudo, quæ non habet rationem naturalem repugnantem, cap. frustra, dist. 8. sed hæc consuetudo conscripta, & rationabilis iuri, & rationi consona censetur per ea, quæ plenè scripsit Mandos. super Regula 17. Cancellariç Apostolicæ de concurrentibus super beneficio, q. 39. & in Regula 20. de idiomate, quæst. 1. num. 11. & in Regula 19. de
6 infirmis beneficia resignantibus, quæst. 15. à numer. 16. vsque ad 22. vbi concludit, quòd non solum est rationi, & iuri conforme, sed etiam
7 de iure diuino, quòd oriundus non oriundo præfertur, & respondens ad dictum cap. ad decorem, dicit, quod ille tex. procedit deficientibus ciuibus, quando oporteat extraneos institui, prout etiam à Doctoribus summatur, secus si adsunt ciues originarij idonei, insuper dictum cap. nil aliud disponit, nisi quòd quando in Ecclesijs extraneos oportet institui, non debent institui clerici certç originis, prout faciebat ille Patriarcha Constantinopolitanus, quòd cum in illis Ecclesijs nulli adessent ciues, aliarum nationum clericos spernens, Venetos tantum in Cōstantinopolitanis Ecclesijs collocabat; licèt etiam aliarum nationum debebat instituere, ex quo nulli ibi erant clerici oriundi, quia terra erat de nouo ad fidem conuersa, vt dicit additio Io. Andr. & Cardin. secus est, quando adsunt clerici ciues idonei, tex. est, & ibi glos. notab. in cap. nullus inuitis, dist. 61. Feder. Scot. resp. 10. num. 5. vol. 2. lib. 5. quia Canonicus de gremio prçfertur extraneo, cap. Archidiaconum dist. 85. & ibi glos. notabilis in verb. singularum; & quòd beneficia sint conferenda clericis, de patria, si idonei ibi sint, & forensibus præferri, tenet etiam Dec. in cap. decernimus, num. 41. de iudic. & de iure præsumitur, quòd semper adsint in Eccle-

clesijs aliqui digni, d.cap. nullis inuitis, vbi glos.

8 Nec obstant in contrarium adducta; & primò non obstat, quod Episcopus de iure habet liberam facultatem conferendi beneficia in tota sua Diœcesi, quia hoc non procedit, quando adest consuetudo præscripta ex concessione Episcopi, Imol. in cap. cum venissent, numer. 17. de institut. nec Episcopus potest solus de iure communi sine consensu Capituli disponere de Canonicatibus, & præbendis Ecclesiæ Cathedralis, Imol. in cap. cum Ecclesia Vulterana, num. 5. & in cap. pastoralis, num. 1. de concess. præbend. Mandos. super Regula 19. Cancellariæ, de infirmis, q. 14. quia collatio est communis inter Episcopum, & Capitulum, idem Mandos. in dicta Regula, 19. q. 14. num. 3. vbi multos cumulat; item quia licet Episcopus habeat potestatem conferendi beneficia in eius Diœcesi, intelligitur tamen iuris ordine seruato, videlicet, quod originarij exteris præferantur, vt supra de iure clarè monstratum est.

Secundò non obstat, quod huiusmodi consuetudo non sit probata; quia ex quo in rubrica dictarum Constitutionum, seu statutorum leguntur hæc verba: Constitutioni, & Consuetudini confirmatę, &c. probatio euidentissima dicitur, quæ resultat ex scriptura, Abb. in cap. licet, num. 12. de probat. Aretin. in l. si plures, & l. quidam te-
9 stamento, ff. de vulg. & pupillar. quando enim consuetudo est redacta in scriptis, probari potest per eandem scripturam, Butr. in cap. fin. num. 66. & 67. de consuetud. & cum Episcopus illam non negat, ex quo in reuocatione dicit hæc verba: Si placuit de præterito, de futuro non placet; & propterea constitutiones, & capitula prædicta reuocamus, consuetudine in contrarium non obstante etiam immemorabili; hæc in dicto decreto, & cum confessio talis sit facta ab habente potestatem, & facultatem dicitur probatio probata, Ias. in l. cum te transegisse, C. de probat. Dec. in cap. at si clerici in princip. de iudic. hancque consuetudinem præscriptam, & immemorabilem non potest Episcopus reuocare; cum ęquiparetur priuilegio concesso à Principe ex certa scientia, cap. super quibusdam, §. præterea, & ibi glos. in verb. non extat memoria, de verb. significat. l. hoc iure, §. ductus aquæ, ff. de aqu. quot. ęstiu. Abb. & Felin. in cap. cum contingat, de foro compet. Ias. in cons. 46. num. 6. vol. 1.

Tertiò non obstat, quod ius negatiuum, & prohibitiuum non præscribitur, nisi probetur prohibitio cum acquiescentia; quia hoc procedit, quando non vsus non habet contrarium vsum, alias secus, Butr. in cap. cum tanto, de consuetud. Ias. dicto cons. 46. vltra quod consuetudo, vel præscriptio benè inducitur ex solo cursu temporis,

cum

cum tacito consensu eius, cui præiudicatur, Abb. in cap. cum abbati num.9. de verb. significat.

Quartò non obstat illud, quod ex actis facultatiuis non inducitur præscriptio, & idem faciendi in tempore futuro; quia in casu nostro, vltra quod adsunt constitutiones, seu statuta, quæ dant causam præscribendi, Calder. conf.2. numer.4. in fin. de constit. illud procedit, quando actus fit per modum facultatis, non autem per modum iuris debiti, Bart. in l.quo minus, num.26. & 27. de flum. vel quando solum tempus allegatur; secus est, quando allegatur consuetudo, in

10 qua non solum est tempus, sed etiam tacitus, vel expressus consensus illius, cui fit præiudicium, qui consensus obligationem inducit, Host. in dicto cap. cum Abbate, de verb. signific. Cald. cons.1. de libell. oblat. & cons.3. de his, quæ fiunt à Prælat. sin. consen. capit. & cons. 8. de consuetud. vnde cum consensus Episcopi siue tacitus, siue expressus faciat valere statutum Capituli, vtique fuit præscriptum spatio quadraginta annorum, glos. in cap. fin. in verb. consuetudo, de consuet. lib.6. Cald. d. cons.2. num.3. Quare cum dictus Episcopus non potuerit dictam constitutionem reuocare, Abb. cons.67. part.1. num.3. in fin. Henric. Boic. in cap. examinato, numer.2. de confirm. vtil. vel inutil. dicendum est proculdubio reuocationem dicti statuti esse nullam, & inualidam; & insuper de validitate dicti statuti nullatenus est dubitandum; quia confirmatio Superioris robur, & vires tribuit, licet statutum iurisdictionem ipsius respiciat, & tangat; qui enim confirmat, tribuere dicitur, Bart. in l. & quia, ff. de iurisdict. omn. iud. Arg. cap.1. & 2. de confirm. vtil. vel inutil. Anchar. cons.389.

11 Quòd autem Capitulum accedente Episcopi consensu possit præbendis in posterum vacaturis onus imponere in præiudicium futurorum Canonicorum, nulli dubium est, cap. significatum, de præben. immo si Capitulum condat statutum de rebus spectantibus extra statum Capituli cum consensu Episcopi valet, Abb. in cap.1. num.4. de his, quæ fiunt à maior. part. capit. Innocent. in cap. cum consuetudinis, de consuetud. & tanto magis valet hoc statutum, quia non semel tantum, sed per plures vices fuit confirmatum per plures prædecessores Episcopos, quæ iterata confirmatio indicat enixam, ac deliberatam confirmantium voluntatem.

Et quod hanc constitutionem, & inueteratam consuetudinem non potuerit Episcopus tollere, patet arguendo à sufficienti partium enumeratione, aut enim erat necessaria confirmatio, aut non erat necessaria pro validitate istius statuti; si erat necessaria confirmatio, & consensus Episcopi, succedit doctrina Bart. in l. omnes populi, ff. de

iust.

iust. & iur. communiter recepta, quod tale ſtatutum hodie non poteſt reuocari, niſi accedente Capituli conſenſu, Bal. in l. ex placito, C.
12 de rer. permut. idem Bal. Imol. & Angel. in l. ex facto, ff. de vulg. & pupill. vnaquæque enim res eo vinculo diſſoluenda eſt, quo reperitur alligata, maximè in iure acquiſito, l. nihil tam naturale, ff. de reg. iur. cap. omnes res, de regul. iur. lib. 6. Aut confirmatio, & conſenſus Epiſcopi non erat neceſſarius; & ſic neque dictus Epiſcopus hoc ſtatutum tollere potuit; cum ſacri Canones vetant falcem mitti in meſſem alienam; quia vnumquodque Collegium Vniuerſitas, & Capitulum poteſt ſtatuere de ſpectantibus ad res ſuas, l. fin. ff. de iuriſdict. omn. iudic. l. 2. vbi gloſ. C. de conſtitut. pecun. Bal. in l. receptitia, C. eod. Bart. & alij in dicta l. omnes populi accedit, quòd ab immemorabili hæc conſuetudo fuit obſeruata ſcientibus, & approbantibus Epiſcopis, & conſuetudo inueterata, & cuius initij non extat memoria in contrarium, habet vim priuilegij, vt ſupra eſt dictum, & allegatum; quod enim longa approbauit conſuetudo pro lege habetur, & eſt alterum ius, Bal. conſ. 170. vol. 2. immò noua quæſt. oriri
13 non debet ſuper ijs, quæ retroactis temporibus per obſeruantiam definita, & terminata ſunt, l. toties, ff. de pollicit. cap. certificari, de ſepult. Abb. in cap. conſtitutus, de appellat. vbi dicit, quòd honeſtius eſt, quòd idoneus eligatur, de collegio, quam magis idoneus de alio, facit tex. in l. in Eccleſijs, C. de Epiſcop. & Cleric. vbi dicitur, & ita ſumatur, quod ad Eccleſiam ſunt promouendi illi, qui ſunt de illa Ciuitate, vel Oppido, Paul. Fuſch. de regim. & viſitat. Eccleſ. lib. 2. cap. 5. num. 14. & cap. 22. num. 25. Lambert. de iurepatr. lib. 1. p. 1. 7. quæſt. Art. 24. Dec. in cap. decernimus, num. 41. de iudic. Abb. in dicto cap. ad decorem in fin. & in cap. bonæ il 2. de poſtulat. Prælat. & in cap. ne pro defectu, de elect. vbi omnes tenent clericos ci-
14 ues eſſe præferendos exteris; & in ſimili notat Bart. de eleemoſyna, quæ potiùs debet fieri pauperibus ciuibus, quàm alienigenis, vt notatur in l. 2. C. de ann. ciuib. lib. 11. Dec. loco citato.

15 Et notandum eſt, quòd ſtatutum factum à Capitulo, de conſenſu Epiſcopi eſt validum; quia Prælatus eſt caput, à quo non licet membrum recedere, cap. cum non liceat, de præſcript. & hoc verum eſt, etiam ſi Capitulum faciat tale ſtatutum licitum cum Archidiacono ſuo, vel Præpoſito, vel alio, qui poſt Epiſcopum præeſt Capitulo; dummodo ſtatuat talia, quæ non tangant Epiſcopum, vel ſtatum Eccleſiæ, ſed ſingularia negotia ipſius Capituli, puta ſuper modo diuidendi diſtributiones, gloſ. in cap. 2. §. cęterum in verb. ſtatutum, de verb. ſignificat. lib. 6. Doctores, & præcipuè Felin. in cap. cum

omnes,

omnes, de constit. Abb. in cap. 1. de his, quæ fiunt à maior. part. capit. Dec. in cap. cum accessissent n. 39. de constit. quia hoc respicit negotium ipsius Capituli, nec tangit cultum diuinum, Abb. in cap. cum consuetudinis, n. 4. de consuetud. Felin. in d. cap. cum omnes.

16 Item notandum est, quòd Capitulum pro actis Capitularibus non dicitur, quando Canonici separatim consentiunt; sed oportet, quod sint more solito capitulariter congregati, glos. in cap. cum omnes, in verb. constitutum in fin. de constitut. Bal. Abb. & Felin. in dicto cap. cum omnes, & in cap. in genesi de elect.

17 Demùm notandum, quòd licèt creare nouam Dignitatem Ecclesiasticam pertineat solùm ad Papam, cap. 1. dist. 22. Abb. & Dec. in cap. cum accessissent, de constitut. tamen Episcopus, & Canonici possunt creare in sua Ecclesia Dignitatem solitam in Ecclesijs, vt est Archidiaconatus, & Archipresbyteratus dummodò pro tali Dignitate dos constituatur dicto cap. cum accessissent, vbi Canonistæ, & præsertim Abb. Dec. & Felin. Corneus cons. 193. n. 19. Iacob. Sbroz. de Vicar. Episcop. lib. 2. quæst. 31. n. 5. & possunt etiam augere numerum Canonicorum, Abb. Dec. & omnes in dicto cap. cum accessissent, sed non possunt Dignitates, & Canonici supra numerum nouiter creati deferre insignia, & habitum canonicalem, prout alij Canonici veteres; sic enim pluries fuit decisum per Congregationem Sacrorum Rituum per hæc verba: Sacrorum Rituum Congregatio in vna Hidruntina, prima Septembris 1612. & in alia Brundusina decima Nouembris eiusdem anni respondit, non licere Episcopos innouare, mutare, vel concedere signum, seu habitum canonicalem in præiudicium Canonicorum antiquorum sine expressa Sedis Apostolicæ licentia, Io. Bapt. Rinuccinus Secretarius, quæ decisio fuit obseruata in Ecclesia Cathedrali Ciuitatis Potentiæ, in qua cum Episcopus, & Capitulum auxissent numerum Canonicorum, & supra numerum creassent alios octo, qui cum deferrent habitum canonicalem, fuit ad instantiam nonnullorum Canonicorum ex veteribus per dictam Congregationem Sacrorum Rituum rescriptum Vicario Generali dictæ Ciuitatis Potentiæ his verbis.

Al molto Reuerendo Signor il Vicario Generale di Potenza. Molto Reuerendo Signore. Essendo stata fatta instanza à V. S. per quello, ci viene supposto, che prohibisse à i Canonici supranumerali di cotesta Chiesa il portar l'habito Canonicale ottenuto da loro senza licenza della Sede Apostolica deue V. S. in ogni maniera esseguirio, come cosa già più volte risoluta da questa Sacra Congregatione di Riti; e perche i Canonici non possino allegare ignoranza, publichi V. S. questo nostro ordine, & faccia, che essi dimandino qua quello, che non hanno potuto ottenere dal Vescouo, & à V. S. mi raccomando. Roma 25.

Maggio 1624. Al piacere di V. S. Il Cardinale del Monte. Et per alias literas eiusdem Sacræ Congregationis directas eidem Vicario fuit etiam ordinatum his verbis.

Al molto Reuerendo Signore il Vicario Capitulare di Potenza. Molto Reuerendo Signore. Hà visto finalmente questa Sacra Congregatione di Riti dopò molte diligenze fatte, che non può sostenersi in alcuna maniera l'hauere i Canonici supranumerarij preso l'habito senza licenza della Sede Apostolica, e che questo punto non hà alcuna dipendenza dall'altro introdotto nella Congregatione di Vescoui sopra l'inualidità dell'erettione. Però questi Illustrissimi Signori ordinano à V. S. che faccia onninamente deporre à i medemi Canonici l'habito già preso, conforme all'altra littera, che se li scrisse, & come haueranno obedito gli assolua subito dalle censure, nelle quali sono incorsi per occasione del precetto da lei fatto, non ostante, le quali s'intende, che hanno fin qui celebrato, & à V. S. mi offero. Roma 28. Settembre 1624. Al piacere di V. S. Il Cardinal del Monte. Et vide Nouarium quæst. forens. 24. tom. 1.

18 Quatenus autem, num. 6. dictum est valere consuetudinem, quod præbendæ non conferantur, nisi ciuibus; adde quòd non solum valida est dicta consuetudo, immò est laudabilis, vt beneficia non conferantur, nisi alicui de gremio Capituli, vel Collegij, alias collatio sit nulla, cap. cum dilectus, & ibi glos. in verb. constitutum, de consuetud. & ita fuit resolutum per Rotam Romanam in vna Tarraconen. Sacristiæ die 19. Martij 1601. coram Domino Iusto, & in vna Seguntina præeminentiæ die 22. Martij 1604. coram Seraphino, vt testatur Gonzal. super Regul. 8. Cancellar. glos. 8. num. 109. & ita tenet Paul. de Castr. cons. 365. num. 1. lib. 1.

CAPVT XL.

De Clericis coniugatis.

SVMMARIVM.

1 *Clericus coniugatus quas conditiones habere debet, vt possit gaudere priuilegio fori, & can. si quis suadente.*

2 *Clericus coniugatus tenetur deferre vestes clericales, & tonsuram.*

3 *Clericus coniugatus an amittat priuilegium per vnicam dimissionem habitus.*

4 *Clericus coniugatus seruans requisita, quibus priuilegijs gaudet.*

5 *Clericus coniugatus tenetur ad gabellas, & omnia onera Vniuersitatis.*

6 *Clericus coniugatus non seruans requisita an amittat eo ipso priuilegia, vel sit necesse, vt præcedat trina monitio.*

7 *Cle-*

7 *Clericus coniugatus an gaudeat priuilegio fori in ciuilibus, & in criminalibus.*
8 *Clericus coniugatus pro causa ciuili, an possit carcerari à iudice sęculari.*
9 *Clericus coniugatus mortua vxore vnica, & virgine an consequatur omnia priuilegia, quæ competunt Clericis.*
10 *Laicus post contractum matrimonium cum vnica, & virgine, an possit clericari.*
11 *Laici sunt incapaces beneficiorum Ecclesiasticorum.*
12 *Clericus coniugatus an possit habere pensionem.*
13 *Clericus coniugatus an possit esse Vicarius Episcopi.*

1 DVæ conditiones requiruntur in Clerico coniugato, vt possit gaudere priuilegio fori, & cap. si quis suadente, 17. quæst. 4. Prima, vt vnicam, & virginem duxerit vxorem. Secunda, vt tonsuram, & vestes clericales deferat, cap. vnico, de cler. coniugat. lib. 6. quod confirmatum, & innouatum est per Concilium Trident. sess. 23. cap. 6. de reformat. per quod fuit addita, tertia conditio, nempè, vt deputetur ab Episcopo seruitio alicuius Ecclesiæ, & circa ve-
2 stes non sufficit clerico coniugato vna, vel altera veste indui, sed omnes vestes extrinsecus apparentes deferre; quia tex. in dicto cap. vnico loquitur in plurali, dum disponit, vt vestes deferant clericales, idem dicit tex. in cap. si Iudex laicus de sent. excomm. lib. 6. Thom. Sanch. in tract. de matrim. lib. 7. disput. 46. num. 5. & necesse est, vt etiam deferat tonsuram; & sic vtrumq; vestes, & tonsuram, aliàs amittit priuilegium, cap. 1. de cler. coniugat. Couar. var. q. cap. 31. n. 7. Guid. Pap. decis. 138. Sigism. Scacc. de iud. caus. ciuil. & crim. cap. 11. num. 91.

3 Secundò notandum est, quòd clericus per vnam, vel alteram habitus dimissionem non amittit eius priuilegia, dummodò continuò habitum deferat tonsuram; quia non videtur habitum deferere, qui statim reassumpturus est, l. 3. ff. de diuort. Aufrer. decis. 104. Verumtamen clericus, vt in delictis fori priuilegio gaudeat, sufficit gessisse habitum clericalem, & tonsuram tempore commissi delicti, licet ante delictum, vel post illum dimiserit, clem. 1. & ibi glos. in verb. quamdiu, de vit. & honest. cler. Io. Andr. in cap. Ioannes, de cler. coniugat. Couar. pract. quæst. cap. 31. num. 7. Clar. quæst. 36. n. Farinac. loco citato, num. 66. vbi dicit hanc esse communem opinionem; quia ad gaudendum priuilegio fori attenditur tempus delicti commissi, non autem tempus capturæ; non ergo refert, quòd tempore capturæ relictæ sint vestes clericales, dummodo tempore delicti delatæ sint, Clar. & Farinac. locis citatis.

 4 Ter-

4 Tertiò notandum, quòd clericus coniugatus non seruans conditiones requisitas non gaudet priuilegio fori, & cap. si quis suadente. Vnde percutiens clericum coniugatum, qui non defert habitum, & tonsuram, non est excommunicatus, dicto cap. vnico, de cler. coniugat. lib. 6. Archid. in cap. Ioannes, & ibi Io. Andr. de cler. coniugat. Angel. in verb. excommunicatio 5. n. 22. Cosin. Philiarch. de offic. Sacerd. lib. 3. c. 33. cas. 7. quia statim, quòd non defert habitũ, & tonsuram perdit priuilegium, Sayr. de censur. lib. 3. c. 27. n. 10. sed seruans conditiones, habet priuilegium canonis, & fori tantùm; sed in reliquis omnibus prater hæc duo, reputatur merè laicus, & incapax eorum omnium, quæ tonsuram clericalem respiciunt, vt in dicto

5 cap. vnico ibi. In cęteris autem eos gaudere nolumus priuilegio clericali; hinc est, quòd non habet priuilegium immunitatis quoad gabellas, onera sęcularia, & Vniuersitatis, & quæcumq; alia obsequia; omnia enim onera subire tenetur instar meri laici, glos. in dicto cap. vnico in verb. in cęteris, & ibi omnes, Couar. pract. quæst. cap. 31. n. 9. & in Regno adest regia pragmatica sub tit. de clericis, seu diaconis seluaticis, vbi dicitur, quòd clerici coniugati debeant contribuere in collectis omnibus functionibus fiscalibus, cęterisq; oneribus Vniuersitatum, quæ pragmatica incipit, *Nuper ad maiestatem*, sub tit. de clericis, seu Diaconis seluaticis, vbi Nouarius plura colligit.

6 Sed an clericus coniugatus, si non seruat dictas conditiones eo ipso admittat priuilegia fori, & canonis, vel necesse sit, vt præcedat trina monitio, vel sententia iudicis? Et videtur dicendum, quòd sic; quia lex priuans eo ipso priuilegijs non obligat ante sententiam, vt defendit Sot. de iustit. & iur. lib. 1. q. 6. art. 6. conclus. 2. sed verior opinio est nullam exigi monitionem, vel Iudicis declarationem, seu sententiam, sed statim amittit priuilegia prædicta, si non seruat conditiones requisitas; & ratio est, quia priuatio hæc non imponitur ob delictum, sed ob defectum conditionis requisitæ ad gaudendum priuilegio clericali; nam nullius culpæ reus fit clericus in minoribus constitutus, si non defert vestes clericales, aut duas vxores, aut vnicam, & viduam ducens, sed deficiente conditione, cessant eo ipso priuilegia; nam contrario statu assumpto amittuntur hæc priuilegia, Abb. in cap. Ioannes, num. 4. de cler. coniugat. Angel. in verb. excommunicatio 5. num. 22. Boss. tit. de for. compet. n. 128. Sanchez de matrimon. lib. 7. disputat. 46. num. 19.

7 Quartò notandum est, quòd communis opinio Doctorum est huiusmodi clericos cõiugatos in solis causis criminalibus fori priuilegio gaudere, & in causis merè ciuilibus descendentibus ex contractu, vel quasi

quasi eos non eximi à iurisdictione Iudicis sęcularis; sed sunt coram eo conueniendi, quod probatur in dicto cap. vnico, vbi habetur clericos coniugatos trahi non posse ad iudicium sęculare pro delictis ab eis commissis, siue criminaliter, siue ciuiliter agatur, & subdit tex. in cęteris nullo eos gaudere debere priuilegio; ergo in causis mere ciuilibus non iuuantur aliquo fori priuilegio, Io. Andr. in dicto cap. vnico, num.7. Abb. in dicto cap. Ioannes, numer.3. de Cler. coniug. & cap.2. de for. compet. Dec. in cap. atsi Clerici, numer.151. de iudic. Syluest. in verb. clericus, 1.q.6. Tabien. in verb. clericus, 5. & verb. excommunicatio, 5. cas.1. num.27. Couar. pract. quæst. cap.31. numer.7. & hæc est omnium communis sententia, sed substentabilior in iure videtur opinio, quod etiam in ciuilibus Clerici coniugati gaudeant priuilegio fori; quia Concilium Parisiense in c.2. de for. compet. generaliter, & indistinctè loquitur de fori priuilegio, & intelligitur etiam de Clericis coniugatis, vt ibi tenet Io. Andr. nec est verum, quod Bonifacius VIII. in dicto cap. vnico limitat, vel restringit dictum cap.2. sed declarat, vt patet ibi, *declaramus*; vnde ista constitutio declarans locum habere debet in eo, in quo locum habet declarata; facit etiam verbum illud, *excessibus* positum in dicto cap. vnico, quod vt generale comprehendit etiam illum, qui contrahendo promisit, & promissa non implet, propter quæ conuenitur; & hanc opinionem etiam videtur tenere glos. in d. cap. vnico in verb. præmissis, quæ loquitur generaliter, & innuit, quod gaudet priuilegio Concilij Parisiensis in dicto cap.2. de for. comp. absque aliqua distinctione, & fortior, & maior ratio est in ciuilibus, quam criminalibus; alias sequeretur, Clericus delinquendo esset melioris conditionis, quam contrahendo, quod videtur absurdum, Arg. cap. eum qui in fin. de preben. lib.6. & ita tenet etiam Franch. in d.cap. vnico. sed in praxi obseruatur communis opinio, nempè, quod Clerici coniugati in criminalibus tantum gaudent priuilegio fori, Farinac. de inquisit. q.8. num.7. & ab ea non recedas.

8 Sed quæro, postquam secundum communem opinionem potest Iudex sęcularis licitè causam merè ciuilem Clerici coniugati cognoscere, an possit eum capere de persona, & pro exequutione causæ ciuilis eum carcerare? Resp. quòd qui id negant, dicunt, quod quamuis Clericus coniugatus in ciuilibus non gaudeat priuilegio fori, & in ijs sit Iudex sęcularis competens, tamen gaudet priuilegio canon. si quis suadente, 17. q.4. qui tex. prohibet sub poena excommunicationis latæ sententiæ manus in eum inijci; & ob id incurreret Iudex sęcularis, manus in eum inijciendo, capiens eum personaliter, ita sen-

tiunt Lap. allegat. 41. & allegat. 118. Syluest. in verb. clericus, 1. q. 6. sed alij dixerunt contrarium, rationem adducunt; quia tex. in dicto cap. si quis suadente, excommunicat inijcientem manus violentas in Clericum suadente Diabolo, qui gaudet priuilegio dicti canonis, sed Iudex sęcularis carcerans huiusmodi Clericum coniugatum, pro exequutione contractus, aut sententiæ in causa ciuili latæ, non vtique manus violentas inijcit in eum, sed potius iustas, & non suadente Diabolo, sed pro exequutione iustitiæ in ea causa, in qua est Iudex competens, & non pro iniuria. Sanch. de matrim. lib. 7. disputat. 47. numer. 23. Rip. lib. 1. responsorum cap. 13. Couar. pract. quæst. cap. 31. num. 7. & ita in Hispania seruatur; sed non recedas à prima opinione, quæ communis est, vt dicit idem Couar. ibidem, & Farinac. tit. de Inquisit. q. 8. num. 7. in fin.

9 Quintò notandum est, quòd clericus coniugatus, qui vnicam vxorem, & eam virginem duxit, ea mortua consequitur omnia priuilegia, quæ Clerici primæ tonsuræ de iure habent, redeundo ad clericorum ministeria; quia illa extincta non erant, sed suspensa, Abb. in cap. clericus, il 2. numer. 4. de vit. & honest. Cler. Couar. d. cap. 31. num. 7. & est communis opinio Clar. q. 36. num. 15.

10 Sed an laicus post contractum matrimonium cum vnica, & virgine. possit initiari prima tonsura, & effici Clericus coniugatus? Respon. negatiuè; quia Episcopus non potest ei conferre primam tonsuram per tex. in cap. final. de temp. ordin. lib. 6. vbi prohibetur Episcopo conferre primam tonsuram coniugato, nec obstat tex. in d. cap. vnic. de cler. coniugat. lib. 6. quia procedit in illis clericis, qui ante contractum matrimonium se clericauerunt ante contractum matrimonium; innuunt illa verba textus, dum dicit, clerici, qui cum vnicis, & virginibus contraxerunt, vbi clarè apparet, quod prius debeant clericari, & postea cum virginibus contrahere matrimonium; nec etiam obstat tex. in cap. laici, dist. 33. vbi habetur, quod habentes vxores, non prohibentur ad clericatus sortem assumi, quia ille textus loquitur, de nouiter conuersis ad fidem, qui antequam bapti-
† zati essent, duxerant vxores, Archid. in d. cap. laici. Danza in suo tractatu in tit. de Clericis coniugatis num. 13. cum seqq. fol. 222. de Marinis quotid. resol. cap. 58. num. 14. fol. 88.

Sed post hæc scripta fuit publicatum quodam Bannum Regium emanatum à Regio Collaterali Consilio huius Regni tenoris sequentis. Philippus Dei gratia Rex, &c.

Siamo stati auisati, che in questa Prouincia pretendono li clerici coniugati, & saluaggi godere più di quello loro spetta, & li vien concesso dalli sa-

cri

ri Canoni, sacro Concilio di Trento, Pragmatice, e Capitoli del Regno; & douendosi da noi in questo dare l'ordine, che in ciò si conuiene per la conseruatione della real giurisdittione di Sua Maestà, acciò per questa via non si faccia pregiudicio al seruitio di Sua Maestà, ci è parso farui la presente, con la quale vi dicemo, & ordinamo, che alli Clerici coniugati, seluaggi, & altri, che non hanno tutti li debiti requisiti, che si ricercano dalli sacri Canoni, il sacro Concilio di Trento, regie Pragmatice, e Capitoli di questo Regno, non li debbiate far godere immunità, ne esentione del foro Episcopale, ma trattarli, & reputarli come meri laici del Regno predetto, procedendosi da voi, & dall'Officiali delli luochi al conoscimento, non solo delle cause ciuili, ma anco delle cause criminali alla punitione di loro delitti. Et à rispetto delli Clerici coniugati, che tengono tutti li requisiti dichiarati per li sacri Canoni, Concilio Tridentino, Capitoli, & Pragmatice del Regno, che non possono, ne deuono godere altre immunità, che per le cause criminali solamente, & dal cap. si quis suadente Diabolo, *ma per le cause ciuili, pagamenti, & altri pesi dell'Vniuersità, si debbano conoscere per l'Officiali sopradetti. Et circa delle Moglie delli sopradetti Clerici coniugati, vi dicemo, & ordinamo, che per ogni causa tanto ciuile, come criminale ò altro, li dobbiate conoscere, come meri laici, procedendo contra di essi alla punitione de' loro delitti, conforme sarà di giustitia, essendo così di ragione; dicendoui di più, che in conformità del presente ordine nostro dobbiate non solo osseruare, & essequire quanto da noi viene ordinato, ma anco farete di modo, che tutti l'Officiali delle Città, & Terre di questa Prouincia così debbano osseruare, & essequire, per seruitio di Sua Maestà, & nostra volontà non facendo il contrario, per quanto tenete cara la gratia di Sua Maestà Regia. Datum Neapoli die 25. Februarij 1631. Il Duca d'Alcalà, Vidit Carolus Tapia. Vidit Enriquez Regens. Vidit Lopez Regens. Vidit Rouitus Regens. Anna Secretarius.*

In quo Banno regio inter alia disponitur, quòd clerici coniugati, seluatici, & alij non habentes conditiones requisitas à sacris Canonibus, & à sacro Concilio Trident. non debeant gaudere priuilegio fori Ecclesiastici, sed solum detinentes, & obseruantes requisita prædicta, non autem eorum vxores; & ideò notandum est, quod clerici seluatici possunt dici secundum regiam pragmaticam quartam sub tit. de clericis, seu Diaconis saluatici illi, qui prima tonsura insigniti Ecclesiæ non seruiunt, & diuinis officijs horis congruis non intersunt, & clerici vocari volunt, vt priuilegio clericali possint gaudere; & taliter etiam dici possunt in minoribus ordinibus constituti non habentes beneficium Ecclesiasticum, aut clericalem tonsuram, & habitum non deferentes alicui Ecclesiæ de mandato Episcopi non seruiunt, qui iuxta Concilium Trident. sess. 23. cap. 6. de reform. priuilegio fori non gaudent; & maximè qui ætatem legitimam suscipiendi ordines maiores excesserint, & se promouere non intendunt, quia non

versantur quasi in via ad dictos Ordines maiores suscipiendos, de quibus est euidens, & clara eorum mens, nedum probabilis coniectura, minores Ordines suscepisse, & hoc genus vitæ elegisse, potius secularis iudicij fugiendi fraude, & gabellarum immunitate fruendi, quàm Deo fidelem cultum præstandi. Concil. Trid. d.cap.6. & 4. de reformat. Et eo magis potest dici clericus seluaticus, qui si post susceptam tonsuram nunquam habitum clericalem gessisset.

Sed pro laico se habuit, Carol. de Grafs. de effect. cleric. effect.1. num.983. qui allegat Abb. in cap. proposuisse in fin. de for. comp. Vulpell. cons.110. num.3. & Io. Lup. in tract. de libert. Eccles. p.2. quęst.4. quia si clericus intendit vti priuilegio fori Ecclesiastici debet iugiter tonsuram, & habitum clericalem deferre nigri coloris vsque ad talos, & Ecclesiæ deseruire, quæ duo cumulatiuè requiruntur scilicet, delatio habitus, & seruitij Ecclesiæ præstatio, & vnum sine altero non sufficit. cap. si Iudex laicus circa medium, de sent. excomm. lib.6. Carol. de Grafs. de effect. cleric. in præludio, num.267. cum alijs per eum allegatis; nã si clericus beneficiatus fruitur priuilegio fori, est ratione beneficij, per quod significatur perseuerantia, & continuatio in beneficio; sic pariter dicendum est Concilium requirere continuationem, & perseuerantiam in delatione habitus, & tonsurę, ac præstatione seruitij in Ecclesia; item quia hoc priuilegium fori fuit concessum clericis ob causam, vt deferre haberent habitum, & tonsuram, atque Ecclesiæ deseruire, & cessante causa, cessat priuilegium, l. qui sub prætextu, C. de sacrosanct. Eccles. cap. latores, de cleric. excomm. ministr. & ibi Anchar. & cæteri scribentes.

11 Demùm est notandum, quòd licet laici sint incapaces beneficiorum Ecclesiasticorum, Abb. in cap. cum à Deo, de rescript. vbi Dec. num.3. & Felin. num.4. cap. ex litteris, de transat. vbi Abb. num.3. cap.2. de instit. Archid. in cap. si quis hoc gesserit 1.q.3. Abb. in cap. maior, de pręben. Nauar. cap.1. de præben. & alij allegati per Flam. Paris. in tract. de resignat. lib.4. q.2. num.2. quia cum beneficium sit quid spirituale, vt in cap. dilecto, de præbend. vbi omnes Card. in clem. si iusta de præbend. & laici sint penitus incapaces spiritualium, cap. si quis deinceps 16.q.7. cap. Messana, de elect. cap. causam, quæ
12 de præscript. sequitur, quòd non possint habere beneficia Ecclesiastica. Tamen clerici coniugati possunt habere, & possidere pensionem, Henric. Boic. in cap. diuersis, de cleric. coniugat. quia prohibitus habere beneficium, non prohibetur habere pensionem, Gigas in tract. de pens. q.3. & 5. Gambar. in tract. de offic. & potest. legat. lib.1. num.371. Marchef. in tract. de commiss. lib.1. cap.14. n.21.

Carol.

Carol. de Grass. de effect. cleric. effect. 1. numer. 1215. & effect. 15. num. 24.

13 Sed clericus coniugatus non potest esse Vicarius Episcopi in spiritualibus; quia iurisdictio Ecclesiastica non cadit in laicum, cap. 2. de iudic. clericus enim coniugatus extra dicta duo priuilegia est merè laicus, Io. And. in cap. num. 20. de cler. coniug. Abb. in cap. 2. eod. tit. & in cap. 2. num. 12. de iudic. & ibi Felin. num. 6. & Dec. nu. 123. Sbroz. de Vic. Episcop. lib. 1. q. 31. numer. 6. Angel. in verb. Beneficium, num. 14. si tamen Episcopus habet iurisdictionem temporalem potest in ea esse Vicarius, Dec. in cap. 2. num. 125. de iudic. ibi Felin. & Abb. in cap. quoniam, num. 3. de offic. Ordin. Panuin. de offic. & potest. Capit. sede vac. part. 2. q. 10. numer. 15. post Io. Andr. in d. cap. Ioannes, Rip. in cap. decernimus, num. 56. de iudic. Sbroz. loco citato, num. 11. ratio est, quia officium assessoris est consulere, l. 1. de offic. assessor.

CAPVT XLI.

De iurisdictione Iudicis Ecclesiastici.

SVMMARIVM.

1 *IVdex Ecclesiasticus cognoscit personas, & bona Clericorum.*
2 *Clericus non potest renuntiare priuilegio fori Ecclesiastici.*
3 *Clericus non potest prorogare iurisdictionem laicalem, alterius Iudicis Ecclesiastici sine consensu sui Ordinarij.*
4 *Clericus est conueniendus coram Iudice Ecclesiastico, etiam vti hæres laici.*
5 *Clericus conueniendus, si reperiantur alij correi laici cum eo, coram quo Iudice conuenietur.*
6 *Clericus est conueniendus coram Iudice Ecclesiastico tam in actione personali, quàm reali.*
7 *Episcopus non potest delegare causas criminales clericorum laico.*
8 *Clericus non implens conditiones requisitas à Concilio Trid. priuatur priuilegio fori.*
9 *Clericus beneficiatus an teneatur deferre habitum, & tonsuram clericalem.*
10 *Pensionarij an teneantur deferre habitum clericalem.*
11 *Clerici non beneficiati licet amittant priuilegium fori ob non delationem habitus clericalis, non tamen amittunt priuilegium canonis.*
12 *Clerici non possunt extra Diœcesim conueniri.*
13 *Episcopi non possunt extra Diœcesim suos clericos extrahere.*
14 *Clericus non potest carcerari pro debito ciuili.*

15 *Cle-*

15 Clericus in actione personali, non autem reali beneficio, cap. Odoardus.
16 Clericus an possit carcerari pendente iudicio an debeat gaudere beneficio, cap. Odoardus.
17 Clerici qui, & in quibus debet gaudere beneficio, cap. Odoardus.
18 Beneficio, cap. Odoardus renuntiare non potest.
19 Episcopi Pastoris, & non percussores se esse meminisse debent.
20 Episcopus se sedente præsbyterum, stare permittere non debet.
21 Episcopi quomodo se gerere debent in corrigendis criminibus.
22 Clerici delinquentes in carcere decenti sunt custodiendi.
23 Iudex Ecclesiasticus est excommunicatus iniustè carcerans Clericos.
24 Clericatus quomodo probetur.
25 Clericatus cognitio ad quem Iudicem spectat.
26 Subditus litigans cum suo superiore pendente lite est exemptus ab eius iurisdictione.
27 Subcollectores, & Commissarij, Nuntij Apostolici Neap. residentis sunt exempti à iurisdictione suorum Ordinariorum.
28 Laicus regulariter non potest conueniri nisi coram Iudice sęculari.
29 Iudex Ecclesiasticus est Iudex competens in crimine hæresis etiam contra Laicos.
30 Episcopus pari modo, quo Inquisitor potest procedere in crimine hæresis.
31 Episcopus, & quilibet Ordinarius potest publicare edicta contra tenentes, & legentes libros prohibitos.
32 Practica formandi processum contra hæreticum, vel suspectum de hæresi.
33 Inquisitores hæreticæ prauitatis, an possint habere familiam armatam.
34 Causæ matrimoniales spectant ad Iudicem Ecclesiasticum.
35 Laicus contrahens binas nuptias à quo Iudice est puniendus.
36 Simonia est crimen merè Ecclesiasticum.
37 Laici prædicantes verbum Dei possunt puniri à Iudice Ecclesiastico.
38 Merces Prædicatoris à quo soluenda est.
39 Laici non possunt disputare de fide catholica.
40 Laici ingredientes septa Monasterij sunt excommunicati, & possunt inquiri ab Episcopis.
41 Vsurpantes bona Ecclesiastica sunt excommunicati.
42 Laicus deponens falsum coram Iudice Ecclesiastico à quo venit puniendus.
43 Lamiæ, & sortilegi subsunt Iudici Ecclesiastico.
44 Iudex Ecclesiasticus est competens in causis decimarum.
45 Blasphemi à quo Iudice sunt puniendi.
46 Clericus post patratum delictum, si ducit vxorem, à quo Iudice est puniendus.
47 Laicus si in Ecclesia delinquit à quo Iudice punitur.
48 Familia Episcopi an gaudeat priuilegio fori.
49 Iudex Ecclesiasticus potest procedere contra concubinarios.
50 Iudex Ecclesiasticus procedit super omnibus causis spiritualibus.

51 Epi-

51 *Episcopi possunt procedere contra retorquentes ad scurrilia verba Sacræ scripturæ.*
52 *Oblati, seu Tertiarij an sint personæ Ecclesiasticæ.*
53 *Deputati ad Hospitale an gaudeant priuilegio fori.*

1 EPiscopos, aliosque locorum Ordinarios, & Ecclesiasticos esse Iudices competentes Clericorum, & eorum bonorum, omnesque causas ad Ecclesiam pertinere priuatione, quoad Iudices sęculares nulli dubium est, cap. cum non ab homine, cap. at si Clerici, cap. Clerici, & cap. qualiter, de iudic. cap. si diligenti, & cap. significasti, de for. compet. cap. placuit, & cap. clericum nullus, 11. q. 1. auth. statuimus, C. de Episc. & Cler. cap. si Iudex laicus, de sentent. excommun. lib. 6. Carthar. in pract. interrog. reor. lib. 1. numer. 12. vbi ait, quod totus Mundus Christianus propter publicam vtilitatem in hanc Clericorum exemptionem à iurisdictione sęculari communiter consentit; quia hæc exemptio est de iure diuino, glos. in cap. si Imperator, dist. 96. & in cap. quamquam, de censib. lib. Abb. Felin. & Dec. in cap. Ecclesia Sanctæ Mariæ, de constit. Abb. in cap. at si clerici, num. 23. de iudic. Felin. & alij in cap. 2. de maior. & obed. Couar. pract. quæst. c. 31. nu. 1. Clar. q. 36. in princip. & in Psalm. 104. *Nolite tangere Christos meos*, & Propheta dicit, *Quis vos tangit, tangit pupillam oculi mei*, & nouissimè fuit determinatum per sacrum Concilium Trident. sess. 25. cap. 20. de refor. dum Sancta Synodus admonet Principes sęculares, ne patiantur suos Magistratus, & Officiales violare clericorum immunitatem diuino, & humano iure indictam, sed licet ista exemptio sit de iure diuino, nihilominus ipsius exercitium, & possessionem talis priuilegij clerici non obtinuerunt, nisi post Concilium Remense, quod fuit celebratum anno Domini 829. sub Eugenio II. Summo Pontifice, vt habetur in tertio tomo Conciliorum inter decreta ipsius Eugenij, & habetur in cap. 2. in cap. qualiter, & quando, & in cap. quando, de iudic. Carol. de Grass. de effect. cleric. effect. 1. num. 4.

2 Et istud priuilegium fori cum non respiciat fauorem priuatum, sed communem totius Ordinis Ecclesiastici, nullus clericus ei renuntiare potest, cap. cum non ab homine, cap. si clerici, de iudic. Doctores in cap. significasti eod. tit. & in cap. cum contingat, de sent. excom. Alex. cons. 8. vol. 1. Couar. pract. quæst. cap. 33. num. 2. Foller. in pract. crim. in verb. audiantur excusatores, numer. 38. & si consentirent in iudicem laicum, clerici incurrerent pœnas, cap. placuit, &

3 cap. inolita 11. quæst. 1. Immò clericus non potest consentire non solum

lum in iudicem sæcularem, sed nec in alium iudicem Ecclesiasticum; nisi in suum Ordinarium, & eius iurisdictionem expresse prorogare, sine consensu sui Ordinarij, cap. significasti, de for. compet. cap. non licet 3.q. 3.cap.1.2. 11.q.2. Bal. in l.1.§. & post num.3. ff. de nou. oper. nuntiat. Abb. in cap. cæterum, num. 11. de iudic. Dec. in cap. de quo, num.84. & in cap. at si clerici, num.164. de iudic. poterit tamen prorogare tacitè, vt delinquendo, vel contrahendo in aliena Diœcesi ratione obligationis, negotiationis, vel administrationis, Abb. in cap. dilecti filij, n.4. de for. comp. Anan. in cap. si diligenti, n.8. eod. tit. Dec. in d. cap. de quo vult. n.9. de iudic. & in l.1. n.14. ff. eod. Paul. de Castr. in l.1. nu.9. ff. si quis in ius vocat. non ierit. Marant. part.4. dist.12. n.24. Carol. de Grass. de effect. cleric. effect.1. n.66.

4 Amplia, quòd non solùm clericus est conueniendus coram iudice Ecclesiastico ex suamet persona, sed etiam quando conueniretur ex persona laici, tamquam hæres, & successor laici. Bart. in l. hæres absens, numer. 1. ff. de iudic. Doctores in cap. quia de iudic. & omnes communiter in d. l. hæres absens; immò instantia cœpta cum defuncto laico, cui successit hæres clericus non continuatur in hæredem clericum: sed debet de nouo continuari coram Iudice Ecclesiastico; & ista magis communis opinio, quam tenet Abb. in cap. quia de iudic. & ibi etiam, Felin. Marant. in specul. p.5. num.13.

5 Item amplia, etiam si cum clerico conueniendo reperiantur alij correi laici tàm in ciuilibus, quàm in criminalibus; quia coram iudice Ecclesiastico omnes sunt conueniendi; dignior enim trahit ad se minus dignum, & causæ continentia non est diuidenda l. nulli, C. de iudic. cap.1. de caus. possess. & propriet. cap.1. de sequestr. possess. & fruct. etiam si essent plures laici, quàm clerici, Soc. cons. 12. num. 17. lib.1. Bart. in l. præcipimus, §. eodem, C. de appellat. Abb. in cap.1. de locat. Marant. in specul. part.4. dist.11. numer. 21. & ita sentiunt omnes prout de iure communi Boss. tit. de for. compet. num.116. in fin. & alij, quos refert Clar. q.36. num.41. Sed quicquid sit de iure, hæc opinio non seruatur in practica; quia in causa tàm ciuili, quàm criminali Iudex laicus cognoscit laicos, & Ecclesiasticus clericos, Capyc. decis. 173. Clar. loco citato, Vincent. de Franc. decis. 426. num.4. Verùm in statu Ecclesiastico seruatur prima opinio, vt dicit Sigismund. Scacc. in tract. de caus. ciuil. & crimin. cap.11. num.24. in fin. vbi ait, ita fuisse prouisum ex decreto sacræ Consultæ die 10. Decembris 1591. Carol. de Grass. de effect. cleric. in 1. effect. numer. 132. cum sequent. vbi ampliat, & limitat hanc conclusionem.

6 Vera est ergo, & indubitabilis conclusio, quòd clerici sunt conueniendi

niendi coram Iudice Ecclesiastico tàm in actione personali, quàm reali, Marant. in specul. dist. 11. num. 2. Abb. in cap. Ecclesia Sanctæ Mariæ de Constit. & in cap. qualiter, & quando, de iudic. reiecta opinione nonnullorum tenentium contrarium, inter quos est Andr. Gaill. in pract. obseruat. lib. 1. obseruat. 37. num. 4. dum dicit, quòd clericus in actione reali est conueniendus coram Iudice laico; quia hæc opinio tamquam falsa est ab omnibus reprobata, Rolan. cons. 12. numer. 37. lib. 2. per tex. in cap. fin. de iudic. & in cap. si clericus laicum, de for. compet. immò nec clericus potest compromittere in laicum arbitratorem, vt est communis opinio, de qua Dec. in cap. 2.
7 de iudic. idem Gaill. dicta obseruat. 37. in fin. Et Episcopus non potest delegare causas criminales clericorum laico secundum communem opinionem, de qua testatur Rip. in cap. decernimus, num. 34. de iudic. quem refert, & sequitur Clar. quæst. 41. num. 5. benè tamen potest delegare laico causas ciuiles clericorum, sed citra potestatem imponendi censuras, Anton. Cucc. institut. maior. lib. 2. tit. 6. n. 39. & 140. Sigism. Scacc. in tract. prædicto, cap. 11. num. 41. in fin.

8 Verumtamen si Clericus in prima tonsura, & in minoribus constitutus non adimpleuerit qualitates, & conditiones requisitás per Concilium Trident. sess. 23. cap. 6. de reformat. amittit priuilegium fori; Concilium enim in dicto cap. dum loquitur de clericis in minoribus non habentibus aliquod beneficium dicit, aut clericalem habitum, & tonsuram deferet, & alicui Ecclesię de mandato Episcopi inseruiet, ex cuius Concilij dispositione tria cumulatiuè requiruntur, vt clericus in minoribus possit gaudere priuilegio fori, primum est, quòd deferat habitum; secundum est, quòd deferat tonsuram, & tertium, quòd seruiat alicui Ecclesię de mandato Episcopi; quæ tria cumulatiuè sunt necessaria; quia quando lex, vel statutum requirat aliquas qualitates cumulatiuè, necesse est, vt omnia requisita interueniat, l. si hæredi plures, ff. de condit. instit. l. si quis ita stipulatus, ff. de verb. obligat. Bero cons. 40. num. 35. lib. 1. Tiraquel. de vtroque retract. §. 8. glos. 7. numer. 1. vbi infinitos allegat. Carol. de Grass. de effect. cler. effect. 1. num. 166. & sequentibus, quæ tria requisita à Concilio si clericus in minoribus carens beneficio non adimpleuerit, amittit priuilegium fori, & poterit Iudex laicus contra eum procedere, & sciendum est, quòd non sufficit, vt semel, vel bis seruitio Ecclesiæ vacauerit, sed requiritur frequentia in seruitio; quia dictum verbnm in d. cap. Concilij scilicet inseruiat, significat actum perseueratiuum, Gram. decis. 87. num. 5. Menoch. cons. 912. num. 30. & 31. lib. 10. & in tract. de præsumpt. lib. 6. præsumpt. 76. nnmer. 38. quod idem dicen-

di:endum est in delatione habitus, & tonsuræ.
9 Clerici verò beneficiati cum Conc. Trid. loquatur alternatiuè; dicit enim, quod beneficium Ecclesiasticum habeat, aut clericalem habitum, & tonsuram, &c. sufficit, vt vna qualitas sola verificetur, vt dispositio habeat suum effectum; & sic sufficit, vt solum habeat beneficium absque delatione habitus, d.l. hæredi plures, ff. de condit. instit. Carol. de Grass. loco citato, num. 1195. Sed per Bullam Sixti V. quæ incipit; *Sacrosancta*, quinto idus Ianuarij 1588. clerici beneficiati, & alij constituti in sacris tenentur deferre habitum, & tonsuram clericalem sub pęna priuationis beneficiorum ipso facto incurrenda sine alia citatione, monitione, vel Iudicis decreto, vt plenius in dicta Bulla, vt per Scortiam epitom. 149. Theorem. 381. Carol. de Grass. de effect. cleric. in 1. effectu num. 1195. cum sequent.
10 Pensionarij autem qui pensiones fructus, aut bona Ecclesiastica non excedentia valorem sexaginta ducatorum auri de Camera obtinent, & similiter familiares Pontificis, qui quibusdam ministerijs illi inseruiunt, vsque ad quamcumq; summam bona obtinent Ecclesiastica loco pensionum in habitu clericali incedere non tenentur, vt per aliam Bullam eiusdem Sixti V. quæ incipit, *Pastoralis*, pridie calend. Februarij 1588.
11 Et notandum est, quòd quamuis Clerici non beneficiati per non delationem habitus clericalis priuentur priuilegio fori, non tamen priuantur priuilegio, cap. si quis suadente Diabolo, 17. q. 4. quia priuatio est pęna, & non extenditur, cap. odia, de regul. iur. lib. 6. & ita censuit Sacra Congregatio super d. decreto 6. Concilij *his verbis*: Clerici, qui in hoc decreto priuilegio fori priuantur; priuilegio tamen canonis non intelliguntur priuati, vt refert Ricc. in prax. decis. 607. numer. 5. quia priuilegium fori facilius amittitur, quam priuilegium canonis, Triuis. decis. 48. part. 2. Hinc est, quod clericus in minoribus constitutus non habens beneficium non potest carcerari, quia sine licentia Episcopi, vel eius Curiæ habitum clericalem dimisit, & incedit in habitu laicali, ex quo non potest cogi deferre habitum clericalem, nisi quatenus ipse velit gaudere priuilegio fori, & per Concilium Trident. non est imposita alia pęna clericis non incedentibus in habitu, & tonsura, nisi quod sint priuati priuilegio fori, Prax. Archiep. Cur. Neap. cap. 46. & fertur ita declarasse Sacram Congregationem Concilij.
12 Secundò notandum est, quod clerici non possunt conueniri extra suam Diœcesim; & si fuerint citati non tenentur comparere, Io. Andr. in addit. ad Speculat. tit. de citatione, §. contra citationem, vers. item

item quod Iudex, & est communis opinio secundum Abb. in cap. nouit. de offic. delegat. Nec Episcopi possunt suos subditos clericos extra Diœcesim trahere, cap. vt litigantes, de offic. Ordin. lib. 6. nisi de consuetudine eis aliud competat, d. cap. vt litigantes in fin. sic etiam delegatus Papæ non potest extra Diœcesim inuitis partibus ius dicere, cap. statutum, §. in nullo, de rescript. lib. 6.

13 Quartò notandum est, quod clerici pro debito ciuili non possint carcerari; quia habent à iure priuilegium, ne conueniantur, nisi in quantum facere possunt, glos. Bart. & alij in l. miles, vbi præsertim Ias. & Rip. ff. de iudic. glos. in cap. studeat, in verb. & sui dist. 50. Couar. var. resol. lib. 2. cap. 1. num. 9. & ideò si clerici conueniuntur pro debito ciuili, & condemnantur, si non sunt soluendo, non carcerantur: sed absque eo, quòd bonis cedant, iuratoria solum cautio ab eis exigitur de soluendo debitum cum ad pinguiorem fortunam deuenerint, cap. Odoardus, & ibi Doctores, de solut. & practica est, quòd sequestrantur fructus beneficij, qui creditoribus assignantur, reseruatam eidem clerico pro alimentis congrua portione, ne egeat, & in opprobrium ordinis clericalis mendicare cogatur, Arg. cap. perue-
14 nit, de fideiuss. sed si clericus conueniretur super actione reali; quia non prætenditur aliquod contra eius personam, non poterit iuuari beneficio d. cap. Odoardus, Doctores in eodem cap. Aretin. in §. item, de dote inst. de act. Foller. super Constit. Regn. in tit. de Episcop. & cler. in cap. si quis clericus, num. 30. Carol. de Grass. de ef-
15 fect. cler. effect. 7. num. 62. & pendente iudicio, an clericus debeat admitti ad beneficium dicti cap. Odoardus? nō est carcerandus, F. b. de Ann. cons. 124. num. 12. lib. 2. qui allegat, tex. in l. 1. C. qui bon. ced. poss. Bal. in §. fin. num. 6. inst. de act. Abb. in d. cap. Odoardus, num. 8. quia si carceraretur, & postea reperiretur debere admitti ad dictum beneficium, grauaretur grauamine irreparabili, quicquid dicat Prax. Cur. Archiep. Neap. cap. 16. num. 17. sed hoc beneficium, d. cap. procedit in clericis, qui vel sacris ordinibus sunt insigniti, vel altari, & Ecclesiæ ministerio inseruiunt ad formam Concilij Trident. sess. 23. cap. 6. de refor. Mascard. de probat. conclus. 302. num. 14.
17 Viu. decis. 512. lib. 4. secus in illis clericis, qui tantum minoribus insigniti habitum non deferunt, & Ecclesiæ non seruiunt; ij enim quantum ad hoc priuilegium pares censentur laicis, Couar. loco citato, num. 9. vbi ait, quod non aliter dispositio dicti cap. Odoardus habet locum in his clericis ob multitudinem eorum, qui temerè sine aliquo delectu, vt delictis vacent primis, & minoribus ordinibus solent insigniri, maxima Episcoporum incuria, & rationem reddendi coram

Deo

Deo obligatione, Menoch. de arbitr. iud. cas. 188. Farinac. tit. de carcerib. quæst. 27. num. 69. clerico igitur vti, & gaudere volenti beneficio dicti cap. Odoardus est assignanda ex fructibus portio congrua, ne egeat; sed in ista assignatione non solum habenda est ratio ad necessitatem, sed etiam ad dignitatem ipsius clerici; quia consideranda est qualitas personarum, vt si est dignitate constitutus, si est Doctor, Canonicus, vel si alias est persona qualificata; nam maior commoditas est danda vni, quam alteri, vt Sacerdoti maior, quam Diacono, Subdiacono, & Clerico in minoribus, glos. in l. seruus vrbanus, ff. de legat. 3. & per ea, quæ dicit Ias. in §. item de dote instit. de act. num. 7. & sequen. Item non admittitur ad dictum beneficium, cap. Odoardus clericus, qui negauit debitum; quia negans debitum non admittitur ad cessionem bonorum, l. 15. qui, ff. de cess. bonor. nec etiam clericus ad dictum beneficium, nisi debitum agnouerit ante sententiam, quod quomodo procedat, vide Afflict. decis. 379. Item clericus obligatus in forma Cameræ Apostolicæ nō potest gaudere dicto beneficio, cap. Odoardus, Farinac. tit. de carcer. qu. 27. num. 70. Gomez. in compend. vtriusque signaturæ, col fin. licet contrarium voluerit, Couar. var. resolut. lib. 2. cap. 1. quia verissimum est pro debito in forma Cameræ clericum non gaudere beneficio di-
18 cti cap. Odoardus; & nota, quod licet quis possit renuntiare cum iuramento cessioni bonorum secundum magis communem opinio-
19 nem, vt per Alex. in l. alia, ff. solut. matrim. Ias. in §. fin. Instit. de act. Felin. in cap. ex rescripto, de iurament. calum. tamen clerici non possunt renuntiare beneficio dicti cap. Odoardus; quia istud est beneficium concessum Ordini clericali ob eius reuerentiam: & ideo etiam cum iuramento renuntiari non potest, arg cap. si diligenti, de for. competent. Hostiens. & Io. Andreas in dicto, cap. Odoardus; & vide supra in cap. 20. num. 13. & 14. vbi habetur, an clericus pro debito iurato possit gaudere beneficio dicti cap. Odoardus.

Remanet ergo firma conclusio clericos tam in minoribus, quàm in maioribus ordinibus constitutos, tàm in actione reali, quàm personali in omnibus esse sub iurisdictione Episcoporum priuatiuè quoad laicos; verumtamen, vt clerici in prima tonsura, & in minoribus initiati possint gaudere priuilegio fori, necesse est, vt possideant aliquod beneficium, vel quod clericalem habitum, & tonsuram deferentes alicui Ecclesiæ de mandato Episcopi inseruiat, aut in aliqua schola, vel seminario Clericorum, vel Vniuersitate de licentia Episcopi versentur, Concil. Trident. sess. 23. cap. 6. de reformat.

20 Verumtamen licet clerici, vt supradictum est, sint sub iurisdictione Epi-

Episcoporum tàm in ciuilibus, quàm criminalibus, & mistis, tamen
Episcopi ipsi memores esse debent eorum, quæ de ipsis Concilium
Trident. dicit sess. 13. cap. 1. de reformat. vbi hæc sanctissima verba
21 leguntur videlicet. Illud primum eos admonendos esse censet, vt se
pastores, & non percussores esse meminerint atq; ita præesse sibi sub-
ditis oportere, vt non eis dominentur: sed illos sicut filios, & fratres
diligant; & infra, memores etiam esse debent eorum, quæ dicit tex.
in cap. esto, dist. 95. videlicet, Episcopi Sacerdotes esse nouerint, non
dominos, honorent clericos, quasi clericos, vt & ipsis à clericis quasi
Episcopis honor deferatur, & tex. in cap. Episcopus il 1. & il 2. dist.
95. ait Episcopus in Ecclesia, & in consessu presbyterorum sublimior
sedeat, in domo sit collega Sacerdorum, & se sedente non permit-
19 tat presbyterum stare, cap. Episcopus in quolibet, ead. dist. & hinc
est, quod Sanctus Gregorius Papa in expositione in libros Regum,
lib. 4. in primo Regum, cap. 10. dixit, Prælati culmen prælationis ac-
cipiunt, qui in charitate Dei perfecti non sunt. Et in homilia 14. di-
cit, Mercenarius quippè est, qui locum quidem pastoris tenet, sed lu-
cra animarum non quærit, terrenis commodis inhiat, honore præla-
tionis gaudet, temporalibus lucris pascitur, impensa sibi ab homini-
bus reuerentia lętatur. Hæc ille; ideò cum magna prudentia, & cir-
cumspicione Episcopi se gerere debent in personas sibi subditas, &
maximè Sacerdotes, ac in dignitate constitutos in corrigendis crimi-
nibus, habendo præ oculis ea, quæ dicit Concilium Trident. sess. 23.
cap. 1. de reformat. vbi inquit: Sin autem ob delicti grauitatem opus
fuerit virga, tunc cum mansuetudine rigor, cum misericordia iudi-
cium, cum lenitate seueritas adhibenda est, vt sine asperitate disci-
plina populis salutaris, ac necessaria conseruetur. Hæc ibi. Nam de
iure communi Episcopi in corrigendis delictis non poterant proce-
dere sine consensu Capituli, cap. quanto ibi errata. De his quæ fiunt
à prælat. sin. consen. Capit. sed in Concilio Trident. fuit statutum,
quòd possint ipsi soli procedere, vt sess. 6. cap. 4. de reformat. ibi per
se ipsos solos, Nauar. conf. 3. de reformat. Sunt aliqui pace bonorum,
qui abutentes iurisdictione, & potestate sibi tradita, clericos Sacer-
dotes, immò & in Dignitate constitutos, quos non rectis oculis re-
spiciunt, qui forsan eorum voluntati restiterunt, pro leuibus causis,
& aliquando figuratis, zelo iustitiæ se munientes, teterrimis carceri-
20 bus mancipant contra id, quod ait idem Concilium Trident. sess.
25. cap. 6. de reformat. vbi dicitur: In omnibus autem casibus ea ra-
tio habeatur, vt iuxta qualitatem delicti, ac personarum, delinquen-
tes ipsi in loco decenti custodiantur, &c. Et quod peius est, nunquam

deueniunt ad expeditionem causarum, cooperientes se clypeo, eiusdem Concilij sess. 24. cap. 20. de reformat. illudque præ manibus habent, vbi per biennium non possunt causæ in prima instantia ab eis
21 auferri, sicque miserrimi Sacerdotes in carcerem coniecti infeliciter macerantur, & aliquando sine causa, non aduertentes, quòd incidunt in excommunicationem iniustè, & indebitè carcerando, cap. si clericos, de sent. excomm. lib. 6.
22 Sed quæro, an clericatus possit probari per testes, si fuerit deperdita scriptura, seu Bulla Ordinum? Respond. affirmatiuè, Doctores in l. si qua per calumniam, C. de Episcop. & cleric. Gramat. cons. 110. num. 3. per tex. in cap. 2. & 3. de cleric. peregr. Alex. cons. 107.
† n. 7. volu. 7. Bald. in cap. licet il 1. de testib. & ibi Fel. Anna sing. 408. immò clericatus potest probari per vnũ testem, sicut probatur, quòd Ecclesia sit consecrata, cap. cum itaque de consecrat. dist. 4. glos. in cap. cum nuper in verb. iuratus, de testib. Mascard. in tract. de probat. conclusion. 303. in prima ampliatione, sed Farinac. in tit. de opposit. cont. test. q. 63. n. 26. tenet contrarium, quod non sufficit vnus testis. Sed pro concordia distinguendum est, aut sumus in iudicialibus, & est his super aliquo beneficio, vel super iurisdictione inter Iudicem Ecclesiasticum, & sęcularem; & tunc per scripturam opus est clericatum probari, iuxta tex. in cap. tuæ fraternitatis, de cler. peregrin. Aut extra iudicialiter, quando de nullius præiudicio agatur, vt si quis vellet celebrare, vel alia sacra exercere, siue aliquid non præiudiciale tertio, tunc sufficit vnus testis, Mascard. dicta cõclus. 303.
23 n. 4. Cognitio autem clericatus spectat ad Iudicem Ecclesiasticum; ipse enim cognoscit, an aliquis sit clericus, & an gaudere debeat priuilegio fori, cap. si Iudex laicus, de sent. excomm. lib. 6. Farinac. tit. de inquisit. qu. 8. num. 39. Gram. cons. 71. num. 2. & Ritus Magnę Curiæ Vicariæ 235. est intelligendus, vt coram Iudice laico producatur instrumentum, siue literæ clericatus non per modum probationis, sed instructionis Iudicis, Bal. in l. si qua per calumniam, C. de Episcop. & cler. Vinc. de Franch. decis. 329. num. 9.
28 Item notandum est, quod si vertatur aliqualis inter subditum, & Episcopum, lite pendente subditus est exemptus ab illius iurisdictione, quæ est suspensa durante lite, Cassad. decis. 6. Lancilott. de attent. part. 2. cap. 4. declarat. 3. quod procedit generaliter non solum in Episcopo, sed in quocumque alio superiore, qui cum subdito litigat; tunc enim non tantum ad illam causam dicitur esse suspensa iurisdictio superioris; sed etiam quoad alias causas, & consequenter est priuatus superior quasi possessione iurisdictionis, & solet signatura
Domi-

Domini Papæ eximere vniuersaliter subditum à superiore iurisdictione, Gabriel. commun. opin. lib. 2. conclus. 4. num. 31. de iudic. Lancelott. de attent. part. 2. cap. 4. declarat. 4. num. 41.

29 Solent etiam aliqui clerici esse exempti à iurisdictione suorum Episcoporum, vt sunt subcollectores, & Commissarij Domini Nuntij Apostolici in hoc Regno, quos Gregorius XIII. per breue illos exemit non solum durante eorum officio, sed etiam post dimissum donec vixerint, cuius Breuis Apostolici tenor talis est.

A tergo. Dilecto Filio Marco Antonio Saulio, vtriusque signaturæ nostræ Referendario moderno, & pro tempore existenti in Regno Neapolitano Nuntio, & Collectore generali. Intus vero, Gregorius XIII. Dilecti filij salutem, & Apostolicam benedictionem. Cupientes pro nostri officij cura indemnitati dilectorum filiorum Cameræ nostræ Apostolicæ ministrorum, ne illi molestijs, litibus, & incommodis fatigentur, quantum cum Deo possumus opportunè prouidere, motu proprio, & ex certa scientia, maturaque deliberatione nostra tenore præsentium statuimus, & ordinamus, quòd omnes, & singulæ causæ motæ, & mouendæ pro tempore quorumuis prætensorum excessuum criminalium, & delictorum, per quoscumque subcollectores, & Commissarios, tàm generales, quàm particulares in quibuslibet Prouincijs, Ciuitatibus, & Diœcesibus istius Regni Neapolitani pro tempore istic nostri, & Sedis Apostolicæ Nuntium, & Collectorem generalem deputatorum Commissariorum à te, & pro tempore existente Nuntio solum; non autem à quibusuis alijs Iudicibus, & locorum Ordinarijs deinceps in futurum, non modo durante eorum officio, sed etiam post ipsum dimissum, donec vixerint, audiri, cognosci, & decidi possint, & debeant, alijsque Iudicibus, & locorum Ordinarijs in illis se se quouis prætextu, seu quæsito colore intromittere quoquomodo nullatenus audiant, vel præsumant, districtius inhibemus, sicq; per quoscumq; Iudices, & Commissarios, quauis authoritate fungentes, sublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, iudicari, & diffiniri debere, nec non irritum, & inane si secus super his à quoquam quauis authoritate scienter, vel ignoranter contingerit attentari, decernimus. Quocirca tibi, & pro tempore existenti Nuntio contradictores quoslibet, & rebelles, etiam si Episcopali, vel Archiepiscopali dignitate fulgentes fuerint sub interdicti, ingressus Ecclesiæ, & suspensionis à diuinis quoad Episcopos, & Archiepiscopos, quo verò ad inferiores sub pecuniarijs arbitrio declaran. & applican. pœnis, & demum sub censuris, & sententijs Ecclesiasticis, & per alia iuris, & facti remedia appellatione post-

poſita compeſcen. brachium ſęculare ad hoc ſi opus fuerit inuocan. cæteraq; ad id neceſſaria, & oportuna facien. mandan. & exequen. plenam, & liberam per eaſdem præſentes, facultatem concedimus, & poteſtatem. Non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus Apoſtolicis, ac quibuſuis etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate aliàs roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, priuilegijs quoq; indultis, & litteris Apoſtolicis quomodolibet in contrarium forſan conceſſis, & confirmatis, quibus omnibus, & eorum tenores, ac ſi de verbo ad verbum inſerētes præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes; illis alias in ſuo robore permanſuris hac vice dumtaxat, & ad effectum præſentium ſpecialiter, & expreſsè derogamus cæteriſque quibuſcumque quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint, per litteras Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam de verbo ad verbum, de indultu huiuſmodi mentionem. Datum Romæ apud Sanctum Petrum die quinto Ianuarij 1575. Pontificatus noſtri anno tertio. Cæſar Glorierius.

Sed aduertendum eſt, quòd licet in dicta Conſtitutione Gregorij XIII. diſponatur, vt omnes cauſæ quorumuis exceſſuum criminalium, & delictorum, per quoslibet ſubcollectores, & Commiſſarios cognoſci, & decidi debeant per Dominum Nuntium, non modo durante eorum officio, ſed etiam poſt ipſum dimiſſum donec vixerint, tamen per ſacram Congregationem Epiſcoporum negotijs præpoſitam die 10. menſis Martij 1597. fuit reſcriptum ipſi Domino Nuntio, per hæc verba.

Per Commiſsarij di Spogli hanno da ſeruire perſone libere, & non obligate alla cura, ò altri oblighi di Chieſe, & in ogni caſo, in ciò non ſaranno eſenti dall'Ordinario, nè liberi dall'oblighi loro, nel reſto l'eſentione li valerà mentre ſeruiranno, & non doppo haueranno laſciata la commiſſione. Et die primo Octobris 1602. *Al Nuntio di Napoli. Li Subcollettori delli Spogli ſeruenti ſono eſenti dall'Ordinario, ma non quelli, c'hanno ſeruiti, & non ſeruino più.*

30 Et licet laicus regulariter non poſſit conueniri niſi coram Iudice laico, cap. licet ex ſuſcepto, & cap. ex tenore, & ibi Doctores, de for. comp. tamen in multis caſibus conuenitur coram Iudice Eccleſiaſtico, & de eius foro efficitur.

31 Primò in crimine hæreſis, in quo Iudex Eccleſiaſticus ſolus eſt competens, cap. ad abolendum, de hæret. cap. vt inquiſitionis, §. prohibemus, eod. lib. 6. Doctores in cap. cum ſit generale, de for. comp. Clar. §. Hæreſis, n. 4. neq; poteſt Iudex laicus aliquo modo in eo ſe

32 intromittere, & cum hac cōcluſione procedunt omnes indifferenter,

Rolan-

Rolan. consf.20. num. 10. lib.3. Vnde sciendum est, quòd Episcopus pari modo, quo Inquisitor causas ad officium inquisitionis spectantes cognoscere potest, quia Episcopus est Inquisitor Ordinarius, cap. vt Inquisitionis, de hæret. lib.6. Simanc. de catholic. instit. tit.25. n.3. Pegn. in Director. p.3. quæst.1. comment.50. & possunt communiter, vel diuisim procedere; & inter ipsos est locus præuentionis in formando processu, ita quòd quilibet potest citare, arrestare, capi facere, & tutè custodire ponendo in compedibus, vel manicis ferreis, si eis visum fuerit expedire, clem.1. §. propter quod, & ibi glos. in verb. contra illos, de hæretic. potest etiam Ordinarius eodem modo,
33 quo Inquisitor publicare edicta contra hæreticos, & super libris prohibitis, super quibus ab Inquisitore impediri non potest, quominus illa publicare valeat; quia Concilium Trident. de Episcopis multum confidit, vt in decreto. de editione, & vsu sacrorum librorum, sess.4. & in indice librorum prohibitorum Regula quarta, nona, & decima.
34 In formando autem processu contra hæreticos, credentes, receptantes, fautores, & defensores eorum, ac contra infamatos de hæresi, vel suspectos, practica est, vt Episcopus, vel Inquisitor habita denuntiatione, vel ex officio statim debet capere informationem testes examinando cum interuentu duarum personarum, quas sibi adiungere debet, quæ sint religiosæ, vel clerici, & in eorum defectu duos viros laicos graues adiungat, adeò quòd quinque personæ interuenire debent in formando dicto processu, videlicet, Inquisitor, vel Ordinarius, Notarius, Reus, & aliæ duæ prædictæ personæ, cap. vt officium, §. verum, de hæretic. lib.6. Director. inquisit. part.3. cap. de form. examin. test. & cap. quot personæ, & ibi Pegn. comment.17. & 20. quando autem Episcopus, vel Inquisitor non posset illas duas personas in examine testium, vel delati habere, debet in fine examinis coram duobus testibus depositionem legere; & si perstiterit in depositione, sufficiet scribere in actis, qualiter in præsentia talium testium fuit sibi lecta depositio, & perseuerauit in ea, & deinde testes se subscribant, Pegn. coment.19. sub rubric. quot personæ esse debeant in examine testium in fin. capta informatione regulariter debet reus citare ad comparendum ad certam diem, Simanc. de catholic. institut. tit.44. numer.12. Pegn. part.3. num.131. si non comparet, tunc expressa causa in citatione est citandus Pegn. loco citato comment.33. si verò est contumax per affixionem copiæ in valuis Ecclesiæ, citari debet, Pegn.3. part. comment.34. & 35. sed si reus est de graui crimine hæresis inquisitus, & est suspectus de fuga; tunc omissis citationibus, debet prius personaliter capi, & carce-

rari, Simanc. tit.44. num.12. Pegn.2. part. comment.17. num.73. & comment.3. nu.131.

35 Hinc est, quòd Inquisitores possunt habere familiam armatam, Clem.2. de hæretic. cap. attendendum, 17. q.4. vbi glos. dicit quod Ecclesia habet carcerem, & pœnam corporis afflictiuam imponere potest; vnde cum Inquisitores liberè, & sine impedimento aliquo possint reos spectantes ad suum forum carceribus mancipare, necessarium antecedens requirit, vt pro capiendis reis habeant familiam armatam, sine qua non possunt capi; quia concesso fine, dicuntur concessa omnia, per quæ peruenitur ad illum, l. ad rem mobilem, l. ad legatum, ff. de procurat. Episcopi autem secundum Bal. in l. nam salutem, §. fin. ff. de offic. præfect. vigil. possunt tenere familiam armatam, idem tenet Dec. in cap. significasti, num.17. de offic. delegat. sed contrarium tenet Abb. in dicto cap. significasti, & in cap. quod cum non ab homine, de iudic. dicens, quod opinio Bal. procedit, vbi Episcopi habent iurisdictionem temporalem, & licet verior sit opinio Bal. quia non dicitur libera iurisdictio, nisi concurrant omnia, sine quibus exerceri non potest, tamen vt dicit Paul. Fusch. in tract. de visitatione, & regim. Eccles. lib.2. cap.32. numer.16. de facto est recessum ab ea, verumtamen in illis locis in quibus adest consuetudo pro Episcopis, illa seruanda est, sed ea cessante, cautius facient si non proprijs ministris vtantur, sed potius recurrendum est ad brachium sęculare, vt familiam armatam sibi accomodet, & præstet, cap.1. de offic. Ordin. vbi Innoc. & communiter Doctores, ita etiam tenet Paulus Piasecius in prax. Episcopal. part.2. cap.3. num.4.

36 Secundò, Iudex Ecclesiasticus est competens in causa matrimonij; quia est causa spiritualis, cap. multorum relatione 35. qu.6. cap. accedentibus, de excess. Prælat. Abb. in cap.1. de consang. & affinit. & nouissimè per decretum sacri Concilij Trident. sess.24. can. 12. statutum est, anathema esse, si quis dixerit causas matrimoniales non spectare ad Iudices Ecclesiasticos, immò nec causa matrimonialis potest compromitti in laicum, glos. in cap.1. in verb. potestatem, de consanguin. & affinit. & in l. non distinguemus; §. Iulianus, ff. de arbitr. quicquid dixerit in contrarium Bal. in l. vnic. num.7. de confess. quem reprobat Alex. in l. quoties, C. de iudic. & licet causa spiritualis, quæ non potest in laicum arbitrum compromitti: possit tamen in laicum arbitratorem secundum communem opinionem, de qua Dec. in cap.2. de iudic. nihilominus causa matrimonij non potest à laico arbitrato regnosci, Rip. in d. cap. num.13. de iudic. quod intelligitur de quæstione, an de iure sit matrimonium, puta an matri-

monium factum sit verè matrimonium, secus in quæstione facti, puta an quis sit natus ex illo matrimonio, vel an mulier sit desponsata; quia tunc Iudex sęcularis super tali incidenti potest cognoscere, Bart. Roman. Ias. & communiter alij in l. Titia, ff. solut. matrimon. Farinac. tit. de inquisit. q.8. n.150.

37 Tertiò, si laicus contrahit binas nuptias ducendo aliam vxorem viuente prima, si id facit, eo quod malè sentit de Sacramento matrimonij, possunt Inquisitores Sancti Officij contra eum procedere, Farinac. tit. de inquisitione post numer. 127. Simanch. de cathol. instit. tit. 40. Scacc. de caus. ciuil. & crimin. cap. 12. num. 55. sed si ista qualitas suspectionis hæresis non adest, vt quia id fecit, ex concupiscentia carnis, & ex insana libidine, quod potest cognosci ex qualitate personæ puta si est rusticus, & ignarus, tunc cum sit misti fori ad vtrumque Iudicem, qui prius præuenerit eius cognitio spectat, Farinac. loco citato, Clar. in verb. fornicatio, num. 26.

38 Quartò, in crimine simoniæ, quòd cum sit crimen merè Ecclesiasticum, illius cognitio ad Iudicem Ecclesiasticum spectat, glos. in cap. cum sit generale, in verb. malefactores, de for. compet. quam communiter sequuntur Doctores, Clar. in verb. Simonia, numer. 7. extat Constitutio Pij V. quæ incipit, *Cùm primum*, §. Et vt Simoniaci, anno 1566. & alia eiusdem Pij, quæ incipit, *Intollerabilis* 1569.

39 Quintò, possunt laici à Iudice Ecclesiastico puniri si præsumpserint prædicare; quia hoc officium prædicandi solum Ecclesiasticis, & approbatis viris est reseruatum, cap. cum ex iniuncto, de hæretic. Cōcil. Trident. sess. 5. cap. 2. de reformat. hoc enim proprium, & præcipuum munus est Episcoporum, Concil. Trid. loco citato, & sess. 24. cap. 4. de reformat. nisi laicus prædicaret de licentia Episcopi, vel Parochi, cap. mulier, dist. 23. nec obstat cap. adijcimus 16. q. 1. vbi habetur, quòd nullus præter Sacerdotes Dei audeat prædicare, quia intelligitur de prædicatione facienda, authoritate propria, nec cap. perlectis, dist. 25. & cap. in sancta, dist. 92. quæ habent ad Diaconum pertinere prædicare; quia rectè possunt intelligi de cantatione, vel lectione Euangelij, vt per glos. in vtroque loco; nam prædicare non est actus ordinis sacri; quia nec Diaconus, nec Sacerdos simplex Ecclesiam curatam non habens, potest prædicare, Nauar. cons. 7. de offic. delegat. Neque quæstores, seu Eleemosynarij possunt prædicare, Concil. Trid. sess. 5. cap. 2. §. quæstores, de reform.

40 Sed incidenter est notandum, quod cùm hoc prędicationis officium præcipuè spectet ad Episcopum, vt in Concilio Trident. locis citatis, merces prædicatorum est soluenda ab Episcopo, cap. inter

cætera, de offic. Ordin. Surd. conſ.254. vol.2. quia munus Epiſcopi eſt exercere prędicationis officium,& ſine ſalario; quia ad hunc finem ei aſſignantur redditus Eccleſiæ, & ſi fuerit legitimè impeditus, poteſt hoc facere per alios idoneos; attamen in hoc ſtandum eſt conſuetudini, & refertur ſacram Congregationem Concilij cenſuiſſe Epiſcopum debere ſumptibus proprijs conducere in Eccleſia Cathedrali prædicatorem, non obſtante quacumque conſuetudine etiam immemorabili, & electionem prædicatoris ad ſolum Epiſcopum ſpectare nulla habita ratione conſuetudinis etiam immemorabilis; ſed eſt in optione Epiſcopi prædicatorem in ſua cathedrali deputare, at tunc non poterit Epiſcopus compellere populum ad ſolitam eleemoſinam, & impenſas prędicatori prętandum; ſecus ſi Epiſcopus ſineret, vt populus nominaret, & ſolitus eſſet eleemoſynam præſtare. In alijs Eccleſijs non Cathedralibus ſimiliter pertinet electio, & deputatio prædicatoris ad Epiſcopum impenſis eorum, qui illas præſtare, vel tenentur, vel ſolent: ſed ſalarium ab Vniuerſitatibus elargitur; & fuerunt coactę ad prę ſtandum Epiſcopis illud, & Iſern. in tract. de Eccl. alias practicab. Eccleſ.cap.13. ſub num.18. Thor.in compend. p.1. verb. ſalarium.

41 Sextò, ſi laici publicè, vel occultè præſumpſerint diſputare, de fide noſtra Catholica, & Chriſtiana: & ſi non deſtiterint poſſunt ab Ordinarijs locorum excommunicari, cap.2.§.inhibemus, de hæret.lib.6.

42 Septimò, poſſunt Epiſcopi inquirere contra laicos, vt excommunicentur, ſi frequentant Monaſteria Monialium; turbant enim perſonas diuino cultui dicatas, Abb.in cap.Monaſteria de vit. & honeſt. cler. etiam ſi accedentes ad Monaſteria fuerint à iuriſdictione Epiſcopi exempti, ſecundum Gemin. in cap.1.§.fin.de ſtat. Regul.lib.6. Concil. Trident. ſeſs.25. cap.5. de Regul. vbi excommunicantur ingredientes ſepta Monaſterij ipſo facto, ſi ſine licentia Epiſcopi, vel ſuperioris in ſcriptis obtenta ingrediuntur.

43 Octauò, ſi laici vſurpant per ſe, vel per interpoſitas perſonas bona Eccleſiaſtica ad reſtitutionem compelluntur, Abb. in cap. conquæſtus, de for. compet. & ſunt excommunicati excommunicatione Papali, Concil. Trident. ſeſs.22. cap.11. de reformat. Scortia Theorem.77. & 426. Sed aduertendum eſt, quòd ad hanc cenſuram incurrendam tres conditiones requiruntur, prima ex parte rei vſurpatæ, vel ſequeſtratæ, vt ſit res Eccleſiæ, non autem res prophana, etiam ad perſonas Eccleſiaſticas pertinens; quia vſurpatio, & ſequeſtratio huiuſmodi, vt notat Gaetan.in ſumm. in verb.excommunicatio, cap.27. eſt ſacrilegium; quo ſedes Apoſtolica, & aliæ perſonæ Eccleſiaſticæ offen-

offenduntur vsurpatione iurisdictionum, fructuum, prouentuum, & similium; quare vsurpantes, vel sequestrantes bona patrimonialia, vel aliter quæsita clericorum non incidunt in excommunicationem, Graff. lib.4. cap.18. num.130. Nauar. in Manual. cap.27. num.70. secunda conditio est, quòd fiat authoritatiuè; vnde latrones, & milites, qui rapiunt ea, non incidunt in excommunicationem, Graff. loco citato, Nauar. loco citato, Sayr. de censur. lib.3. cap.21. num.4. Tertia, vt fiat sine licentia summi Pontificis, vel aliarum personarum, qui habent potestatem, vt sunt Episcopi, & alij Iudices Ecclesiastici, Sayr. loco citato.

44 Nonò, laicus si deposuerit falsum coram Iudice Ecclesiastico, an possit puniri à dicto Iudice laico, iuxta tex. in l. nullum, C. de testib. Respond. quòd isto casu vterque Iudex Ecclesiasticus, & sęcularis contra huiusmodi testem potest procedere, & inter eos est locus pręuentioni, secundum Afflict. decis.219. vbi Vrsill. quem sequuti sunt, Clar. q.38. num.14. Roland. cons.12. num.12. & optimè declarat Couar. pract. quæst. cap.18. n.8. Farinac. tit. de Inquisit. q.8. n.27. Et similiter officiales, & ministri Curiæ delinquentes in officio sunt puniendi per eandem Curiam, Innoc. in cap. dilectus, de accusat. vbi ponit exempla, quando Aduocatus peccaret in patrocinando, testis in testimonio, & scriptor in actis conficiendis per tex. in dicta l. nullum, C. de testib. & sic Procuratores Notarij, & similes personę excedentes in officio Aufrer. de potest. Iudic. Ecclesiast. super laic. cas. 25. Nuntius relationem faciens falsam, Luc. de Penn. in l. quicumq; C. de decurion. lib.10. Paris. de sindic. in verb. officialis vers. officiales, & nouissimè, Vinc. de Franch. decis.679.

45 Decimò, sortilegi, lamiæ, & strigæ subsunt Iudici Ecclesiastico, & hæc cognitio præsertim spectat ad Inquisitores, Abb. in cap.1. de sortileg. & extat Bulla Sixti V. qua supra cap.37.

46 Vndecimò, Iudex Ecclesiasticus procedit contra laicos pro solutione decimarum, cap. peruenit, & cap. sequenti, de decimis, Concil. Trident. sess.25. cap.12. de reformat. per quod statutum est Episcopos posse compellere, etiam per censuras ad soluendum decimas, Nauar. in Manual. cap.21. num.32.

47 Duodecimò, Iudex Ecclesiasticus procedit contra laicos blasphemos, cap. statuimus, & ibi Abb. de maledic. quod est verum, quando blasphemia est hæreticalis, vt quando blasphemia est directè, vel indirectè contra articulos fidei, Director. inquisit. p.2. q.41. alias si non est hæreticalis, potest vterque Iudex data præuentione procedere, Abb. in dicto cap. statuimus, num.9.

48 Tertio-

48 Tertiodecimò, clericus, qui post delictum ab eo patratum duxit vxorem, est puniendus à Iudice Ecclesiastico, ita fuit decisum per sacrum Regium Consilium teste Gramatic. decis. 10. ratio est, quia ad fundandam iurisdictionem attenditur status, in quo erat tempore commissi delicti, l. 1. ff. de pœn. l. iniuriarum æstimatio, ff. de iniur. & l. si quis decurio in fin. ff. de fals. quando enim quis delinquit, eo ipso acquiritur ius ei, cuius iurisdictioni est subiectus, Bal. in l. officialis, C. de Episc. & cler. Dec. in cap. quæ in Ecclesiarum, de constit. & per mutationem status ab eo tolli non potest, Vinc. de Franch. decis. 417. num. 4. licet contrarium teneat Caracc. in ritu 66. num. 9. sed vide Thorum in compend. dec. Regni, verbo clericus dimisso.

49 Decimoquartò, si laicus aliquod crimen commiserit in Ecclesia secundum Cyn. in l. præsenti, C. de his, qui ad Eccles. confug. debet à Iudice Ecclesiastico puniri, cuius opinio non est recepta à Doctoribus, qui tenent contrarium, quod est puniendus a Iudice laico, Bart. in l. si cui, ff. de accusat. Angel. de malefic. in verb. In scalis sancti Petronij, num. 1. Salicet. in auth. item nulla communitas, num. 4. de Episcop. & cleric. Bal. in l. si quis in hoc genus, num. 2. eod. tit. Couarr. variar. resolut. lib. 2. cap. 2. num. 18. qui omnes tenent laicum delinquentem in Ecclesia esse puniendum à Iudice laico, & hanc esse communem opinionem testatur Roland. cons. 29. numer. 5. lib. 2. Clar. q. 38. num. 17. Abb. in cap. fin. de immunit. Eccles. non tamen poterit Iudex laicus capere delinquentem in Ecclesia, sed Iudex Ecclesiasticus capiet, & tradet Iudici laico, Abb. in cap. cum sit generale, num. 27. de for. compet. Baiard. in additione ad Clar. in dicta q. 38. num. 52. sed in hoc est distinguendum, aut quæritur, nunquid Iudex Ecclesiasticus possit punire laicum delinquentem in Ecclesia, de sacrilegio, & potest dicto cap. cum sit generale, & ibi Abb. Couar. var. resolut. cap. 20. num. 18. Farinac. tit. de inquisit. q. 28. n. 62. committit enim iste delinquens sacrilegium, maximè si effundit sanguinem delinquendo in Ecclesia, & dicitur illius immunitate violare; si enim non licet inde aliquem violenter extrahere, ita, & fortius, nec verberare, vel occidere, cap. cum pro causa, de sent. excomm. Aut quęritur nunquid Ecclesiasticus punire possit crimine sęculari, & dicit Abb. in cap. fin. de immunit. Eccles. quòd non potest, vide Paul. Fusch. de visitat. & regimin. Eccles. lib. 2. cap. 21. num. 15.

50 Decimoquintò, familia Episcopi gaudet priuilegio fori, Abb. in cap. 2. Felin. & alij communiter, de for. compet. Host. Io. Andr. & Abb. in cap. cum non ab homine, de iudic. siue famuli sint laici perpetui, siue non, siue seruiant cum pretio, siue sine pretio nullatenus

possunt

possunt à sęculari Iudice iudicari, Boss. tit. de for. compet. num. 172. Capyc. decis. 12. Clar. qu. 35. vers. quæro nunquid familiares: fallit quando famuli seruirent Episcopo dictim, quia tunc non gaudent priuilegio fori, secus si seruirent ad annum, Io. Anton. de Nigr. in extrauag. Clementis VII. de vit. & honest. cleric. num. 34. quod intellige, dummodo seruiant immediatè personæ Episcopi in eius domo, & hoc procedit in familia Episcopi tantùm, non autem in clericis, Doct. in cap. fin. de offic. Archid. Abb. in dicto cap. 2.

51 Decimosextò, Iudex Ecclesiasticus potest procedere contra concubinarios per censuras, & alias pęnas, quia Concilium Trident. sess. 24. cap. 8. de reformat. matrim. non abstulit alias pęnas iuris, vt pluries censuit Sacra Congregatio eiusdem Concilij; cōcubinatus enim est crimen Ecclesiasticum, Abb. in cap. cum sit generali de for. comp. Farinac. tit. de inquisit. q. 8. num. 131. & est communis opinio, Clar. q. 37. num. 4. late Scortia Theorem. 224.

52 Decimoseptimo, Iudex Ecclesiasticus procedit generaliter in omnibus causis spiritualibus, in quibus Iudex laicus nullatenus se intromittere potest, cap. decernimus, cap. quanto, de iudicijs, cap. tuam, de ordin. cognit. glos. in cap. si Iudex laicus, de sentent. excomm. lib. 6. in verb. spirituali, Auth. cassa, & Auth. statuimus, C. de Episcop. cleric. Causæ autem spirituales sunt, quæ tractant de rebus Ecclesiasticis, vt de Sacramentis, de Ordinibus, de Hæresi, Sacrilegio, Vsuris, Adulterio, Simonia, Periurio; item de causis electionum, Postulationum, Prouisionum, Dignitatum, Officiorum, Canonicatuum, Præbendarum, & quarumuis rerum Ecclesiasticarum, vel ad Ecclesiam pertinentium, vt super Decimis, Matrimonio, causis Natalium, Iurispatronatus, Beneficijs, Pensionibus, & alijs, de quibus per Vant. in tract. de nullit. tit. de nullit. ex defect. iurisd. num. 54. & in Clem. dispendiosam, de iudic. in cap. ex tenore, de for. comp. in cap. fin. de iudic. lib. 6. cap. vt inquisitionis, §. prohibemus de hæret. lib. 6. Farinac. tit. de inquisit. q. 8. num. 20.

53 Decimooctauò, Episcopus potest procedere contra retorquentes verba, & sententias Sacræ Scripturæ ad scurrilia, fabulosa, vana, adulationes, detractiones, sortes, superstitiones, impias, & diabolicas incantationes, diuinationes, libellos, etiam famosos, Concil. Trid. sess. 4. in decreto, de edit. & vsu sacrorum libror. §. post hæc; nam in eodem decreto §. præterea statuitur, vt nemo suæ prudentiæ innixus in rebus fidei, & morum, ad ædificationem doctrinæ Christianæ Sacram Scripturam ad suos sensus torquens contra eum sensum, quem tenuit, & tenet Sancta Mater Ecclesia, cuius est iudicare vero sensu,

& in-

& interpretatione scripturarum Sanctarum: aut etiam contra vnanimem consensum Patrum, ipsam scripturam interpretari audeat: qui contrauenerint per Ordinarios pęnis a iure statutis puniantur.

54 Sed an oblati, seu Tertiarij vtriusque sexus sint personæ Ecclesiasticæ, ita vt fori priuilegio gaudeant? Resp. aut isti oblati se, & bona sua Monasterio perpetuò dederunt, & habitum Religionis deferentes, vt dixi supra in cap. de gabellis intra Monasterium cum alijs cõmuniter viuunt, & non est dubium, quod sunt personæ Ecclesiasticæ; & gaudent priuilegio fori, Abb. in cap. 2. de for. compet. Couar. in cap. alma mater, p. 2. §. 2. nu. 8. de sent. excomm. Barbos. in tract. de offic. & potest. Episcop. p. 2. allegat. 45. numer. 39. Aut retinent bona vxores, & filios, cum quibus in eorum domibus viuunt, & degunt: & licet aliquam partem suorum bonorum Monasterio dederint, cum tamen tria illa vota substantialia cuiuslibet Religionis approbatæ obseruare non possint, sunt sub iurisdictione Iudicis laici, cap. vt priuilegia de priuileg. Abb. in cap. cum, & plantare, de priuileg. cap. fin. cum glos. de sepultur. lib. 6. Marian. Soccin. in cap. 2. de for. compet. vbi late, Afflict. in Constitut. Regn. statuimus, la 2. sub tit. de offic. Magistr. iustitiar. glos. in Clem. 1. in verb. obedientiam, de relig. domib. Duen. Regul. 100. limit. 18. facit tex. in clem. 3. de sent. excom. quatenus decidit Fratres tertij Ordinis, vti cęteros laicos admitti non posse à Fratribus Minoribus ad diuina tempore interdicti, extat Cap. Regn. 200. quod incipit, *Priuilegia*, & ibi Io. Anton. de Nigr. num. 16. & ita fuisse decisum in Regia Audientia, testatur Viu. decis. 49. num. 90. & Pius V. per suam Constitutionem, quæ incipit, *Ea est nostri officij*, Anno 1568. & Gregorius XIII. per aliam Constitutionem incipien. Ex benigna, anno 1575. statuerunt, quod illi soli possint gaudere priuilegijs, exemptionibus, & immunitatibus, qui sunt Tertiarij Ordinis S. Francisci, de pęnitentia nuncupati in Congregatione viuentes, ac tribus votis substantialibus astricti, ac professi, & sub regularis obseruantiæ obedientia degentes, videatur Thorus in 1. parte Compend. dec. Regni verb. Moniales, Gratian. discept. forens. cap. 413. num. 32.

55 Deputati autem authoritate Prælati ad aliquod Hospitale erectũ authoritate Ordinarij, fori priuilegio gaudent, Barbos. de offic. & potestat. Episcop. p. 2. allegat. 12. num. 31.

Circa num. 24. quatenus ibi in principio dicitur, quòd Clerici delinquentes sunt custodiendi in carcere decenti; adde quod olim orta controuersia inter Episcopum Castellanetæ, & eius Capitulum tam circa carceres, quam aliorum differentiarum capita, per Sacram

Con-

Congregationem fuit prouisum super omnibus, vt infra.

Sacra Congregatio S. R. E. Cardinalium, quæ negotijs, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præest propositis ad relationem Illustrissimi Domini Cardinalis Iustiniani nonnullis differentijs inter Dominum Episcopum Castellanetæ, & eius Capitulum, auditis iuribus ambarum partium, decreuit, & mandauit extendi decreta vulgari sermone, vt sequitur, illaque perpetuò obseruari non obstantibus quibuscumque.

Primo, che la carcere detta la Monaca si debba riconoscere dall'Arciuescouo di Taranto, ò suo Vicario, & trouandola commoda se ne possa seruire all'occorrenze de delitti: & non essendo tale, che s'accommodi secondo il bisogno.

2 *Che si riuochi la licenza data à Ministri secolari di carcerare i Preti, e Regolari, che si trouaranno per la Città di notte.*

3 *Che trattandosi d'interesse direttè, ò indirettè del Vescouo, ò suo Vicario, ò d'altri Capitulari in Capitulo, debbano vscire fuori, & non possano astringere il Capitolo à douer mostrare li voti particolari per ouiare all'occasioni d'alteratione; ma acciò nel notare i voti s'osserui la douuta fedeltà, s'ordina, che si eliga vn Notaro legale, che debba rogarsi di detti voti con prohibitione, che nessuno Capitolare possa seruire in queste fontioni, essendo persone interessate.*

4 *Che non si proceda à carceratione di Canonici, se non in cose graui.*

5 *Che meno si possa procedere à censure, se non in caso, che non si possa venire all'essecutione reale, nè personale secondo li decreti del Concilio Tridentino.*

6 *Che essendo processato alcuno suddito, doppo esser finito il processo offensiuo, & fattosi le defese, & altri atti necessarij, si termini la causa senza diuiderli li capi de delitti, & loro decisione, & sentenza in diuersi tempi.*

7 *Che durante il giudicio non suspenda i rei dalla celebratione della Messa, nè dall'ingresso della Chiesa, se non in caso, che hauessero di bisogno di dispensa, ò assolutione di censura.*

8 *Non ordini nissuno, che non habbia beneficio, ò patrimonio sufficiente da poter viuere.*

9 *Non impedisca che si serui alle Messe ordinarie da persone, che non siano tonsurate, come in Roma s'osserua.*

10 *Che visitando il Vescouo di fuori la Cathedrale, doi Canonici, & vna Dignità, debbiano assistergli, & che la visita non essendoci altro, che la Città si debbia finire frà doi Mesi dal giorno, che si comincia.*

11 *Che la Messa Conuentuale nell'Estate si celebri à hore quattordici, & nell'Inuerno à hore diecesette.*

12 *Che il Vescouo debbia esser accompagnato dalla metà del Capitolo, quando andarà in Chiesa Pontificalmente.*

13 *Che debbia il Capitolo dare al Vescouo in forma autentica la nota di tutte l'entrate della Chiesa.*

14 *Che*

14 *Che l'officio di Mastro di Ceremonie si eserciti da Sacerdote semplice, & non da Canonico.*

In quorum fidem, &c. Romæ die 23. Iulij 1602. Alex. Cardin. Floren. Locus sigilli. Hieronymus Augucchius Secretarius.

CAPVT XLII.

De iurisdictione episcopi in Regulares.

SVMMARIVM.

1 *Regulares omnes antiquitus erant sub iurisdictione Episcoporum, hodie exempti.*

2 *Regulares subsunt Episcopis in crimine hæresis.*

3 *Regulares antequam incipiant prædicare, debent personaliter petere benedictionem ab Episcopo.*

4 *Regulares priusquam incipiant prædicare, possunt cogi ab Episcopis ad faciendam professionem fidei.*

5 *Episcopi possunt procedere contra Regulares prædicatores disseminantes errores.*

6 *Regulares exercentes curam animarum in eorum Ecclesiis subsunt Episcopis, quoad ipsam curam.*

7 *Episcopi habent potestatem visitandi loca, & personas Militiæ Sancti Ioannis, quoad curam animarum, quam exercent in eorum Ecclesiis.*

8 *Regulares tenentur accedere ad processiones publicas.*

9 *Publicæ processiones quæ sint.*

10 *Regulares subsunt Ordinarijs in obseruantia festorum, non quoad ritum diuinorum officiorum.*

11 *Episcopi possunt cogere Regulares ad restituendum bona Nouitiorum, qui non fecerunt professionem.*

12 *Episcopi possunt compellere Abbates, vt in eorum Monasterijs habeatur lectio Sacræ Scripturæ.*

13 *Ingressus Religionem sine licentia Episcopi ante professionem non potest disponere de bonis suis.*

14 *Episcopi possunt componere controuersias de præcedentia inter Regulares.*

15 *Regulares non possunt pulsare campanas die Sabathi Sancti, nisi prius pulsetur in Ecclesia Maiori.*

16 *Regulares reperti sine licentia suorum Superiorum possunt puniri ab Episcopis.*

17 *Regulares non possunt subijci obsequio alicuius Principis.*

18 *Regulares tenentur attollere baldachinum in eorum Ecclesiis, quando Episcopus voluerit ibi exercere pontificalia, vel assistere.*

19 *Mona-*

1 QVamuis olim omnia Monasteria Regularium, Monacorum, & Monialium, omniumque denique hominum genus, qui in Diœcesi erant, de iure canonico sub Episcopi gubernatione, cura, iurisdictione fuissent, cap. omnes Basilicæ 16. q.7. cap. Monasteria, & cap. Abbates cum sequen. 18. q.2. cap. cum Episcopus, de offic. ordin. lib.6. cap. cum olim, de præscript. & cap. venerabilis, de except. Barthol. Vgolin. de offic. & potest. Episcop. p. 2. cap. 20. in princip. Hodie tamen casibus quibusdam exceptis ab Ordinariorum iurisdictione Regulares sunt exempti ferè in omnibus, cap. nimis praua, & ibi Abb. & alij, de excess. prælat. cap. graue nimis, de offic. Ordin. cap. si Papa, de priuileg. lib.6. idque fuit factum, ob id, quòd ab Episcopis malè tractabantur, vt habetur in d. cap. nimis praua, & in Clem. vnic. eod. tit. In aliquibus tamen casibus sunt sub iurisdictione Episcoporum, quorum aliquos breuiter recensere curabo.

2 Primò in crimine hæresis, cap. ad abolendum, §. si qui verò, de hæret. lib.6. ob quod crimen possunt Episcopi contra Regulares, & alios exemptos procedere; dicit enim in d. §. si qui verò, quòd si qui fuerint à lege Diœcesanæ iurisdictionis exempti, nihilominus in his, quæ sunt contra hæreticos instituta, Episcoporum subeant iudicium, & in eis in hac parte tamquàm à Sede Apostolica delegatis, non obstantibus libertatis suæ priuilegijs, obsequentur.

3 Secundò nullus Regularis potest prædicare, etiam in Ecclesijs suorum Ordinum contradicente Episcopo, Concil. Trident. sess. 24. c. 4. de

de reform. licet prius per Constitutionem Pij V. quæ incipit, *Etsi Mendicantium* 1567. in Ecclesijs suorum Ordinum poterant prædicare sine benedictione Ordinarij, quæ per constitutionem Gregorij XIII. quæ incipit, *In tanta rerum mole* 1572. fuit redacta ad terminos iuris communis, & Concilij Trident. cuius sacra Congregatio super illis verbis: Concilij sess.5. cap.2. de reform. scilicet etiam in Ecclesijs suorum Ordinum censuit Regulares in Ecclesijs suorum Ordinum prædicare volentes, quòd non teneantur ab Episcopo licentiam obtinere; sed tantum à suis Superioribus de vita, moribus, & scientia examinari, & approbari debent, & ab eis licentiam habere, & cum ea se personaliter coram Episcopo præsentare, ab eoque petere benedictionem, tametsi eam non obtinuerint. In Ecclesijs autem non suorum Ordinum vltra prædictam licentiam, tenentur habere licentiam Episcopi, quam declarationem refert, Hieron. Capuccin. in Compend. priuileg. in verb. prædicatores. Verum eadem sacra Congregatio censuit, quòd Regulares, qui absque licentia Episcopi prædicauerint in Ecclesijs, quæ non sunt suorum Ordinum, tametsi decreto Concilij sess.5. cap.2. contrafecerint, non posse tamen puniri ab Episcopo, sed tantùm à suis Superioribus Regularibus, vt refert Quarant. in summ. Bull. in verb. Priuilegia Regularium, sed vide infra Bullam Gregorij XV. vbi disponitur, quòd puniantur ab Episcopis.

Tertiò tenentur Regulares antequam prædicare incipiant cum licentia suorum Superiorum se præsentare coram Episcopo, & ab eo petere benedictionem, Concil. Trid. sess.5. cap.2. de refor. nec sufficit per nuntium, & per litteras; quia personaliter debent illam petere, vt habetur ibi expressis verbis, glos. in Clem. dudum, de sepultur.

4 Quartò possunt Episcopi compellere Regulares ad emittendam professionem fidei, antequam prædicationis munus incipiant, si ita videbitur ipsi Episcopo ex declaratione Sacræ Congregationis Concilij.

5 Quintò si Regulares prædicatores errores, aut scandala prædicando disseminauerint in populum, etiam si in Monasterijs suorum Ordinum, vel alterius prædicauerint, Episcopus eis prædicationem interdicere potest; & si hæreses prædicauerint contra eos iuxta iuris dispositionem, tāquam sedis Apostolicæ Delegatus procedere potest, Concil. Trident. sess.5. cap.2. §. si verò, de reform. etiam si prædicator ipse generali, vel speciali priuilegio se exemptum esse prætenderet.

6 Sextò Regulares si habent Ecclesias cum cura animarum sæcularium

rium habito respectu ad ipsam curam, sub iurisdictione Episcopi sunt, & visitatione; quia Episcopus quoad ipsam curam eandem iurisdictionem habet in eos, quam in sęculares clericos, cap. vnic. de capell. Monach. lib. 6. & Concil. Trid. sess. 25. cap. 11. de regul. idcircò visitare eos, & corrigere potest; & qui præferuntur huiusmodi curæ ab Ordinario, vel eius Vicario examinati, & probati esse debent, ita enim disponitur in d. cap. 11. Concilij; & ideò iuxta dispositionem Concilij Trid. sess. 5. cap. 2. per se, vel per alios exempti diebus Dominicis saltē, & festis diebus solemnibus prædicare debent, alioquin ad id per Episcopum cogi possūnt, & de prædictis vide infra Constitutionem Gregorij XV. exceptis Monasterijs, seu locis, in quibus Abbates Generales, aut Capita Ordinum sedem Ordinariam principalem habent, vt in d. cap. 11. Concilij etiam si ibi personæ sęculares exerceant curam animarum, vt declarauit sacra Congregatio Concilij his verbis: In Monasterio in quo Generalis alicuius Religionis Regularium sedem ordinariam principalem habet, licet personæ sęculares sint in eodem Monasterio, curam animarum exercentes, quantum ad curam ipsam, & administrationem sacramentorum spectat, nullam visitationis suæ iurisdictionem habent Episcopi Ordinarij Dięcesis illius, in qua Monasterium est fundatum.

7 Septimò Episcopus eandem iurisdictionem habet visitandi loca, & personas militiæ, & Hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani, in quibus exercetur cura animarum per Constitutionem Pij V. quæ incipit, *Exposcit pastoralis*, sub die 22. Septembris 1571. vbi disponit Episcopos tamquam Apostolicæ Sedis Delegatos posse visitare, & corrigere loca, & personas exercentes curam animarum tantum in Ecclesijs dicti Hospitalis, quam confirmauit Gregorius XIII. per Constitutionem, quæ incipit, *Consueuit sedes*, die 7. Ianuarij 1584. vbi pręcipit, quòd Ordinarij non se intromittant in visitatione, & correctione Militum, nisi in concernentibus curam animarum, & sacram administrationem, quas Constitutiones confirmauit etiam Clemens VIII. in confirmatione priuilegiorum Religionis Sancti Ioannis Hierosolymitani per suam Constitutionem, quæ incipit, *Pastoris æterni*, die 27. Iunij 1592. vbi inquit: Volumus autem, quòd Felic. recordat. Pij V. die 22. Septembris anno sexto, ac Gregorij XIII. prædecessorum nostrorum litteris sub annulo Piscatoris 25. Nouembris, anno nono suorum Pontificatuum expeditis in suo robore, & efficacia permanentibus, pręsentes litterę nō comprehendant, neq; Ecclesias, neq; personas in his, quæ ad curam animarum pertinent, in quibus decreta Concilij Trid. huiusmodi omninò obseruari debeant. Hęc ibi.

8 Quartò Ordinarius loci potest Regulares, etiam exemptos, & Monacos compellere, vt ad processiones publicas accedant, ijs tamen exceptis, qui in strictiori clausura perpetuò viuunt, Concil. Trident. sess. 25. cap. 13. de Regul. & per Constitutionem Pij V. quæ incipit, *Etsi Mendicantium*, 27. calend. Iunij 1567. quæ excipit illos Conuentus in quibus fratres sub arctiori clausura degunt; ita vt nec in choro cantant, nec ad mortuos accedunt, sed tantum studijs, & lectionibus vacant; alij tamen Regulares non possunt compelli si distarent à Ciuitate vltra medium miliare, vt decreuit sacra Congregatio Concilij, teste Quarant. in summ. Bullar. in verb. Priuilegia Regularium. Tenentur, etiam, & compelli possunt per Ordinarios accedere ad publicas processiones Sacerdotes inseruientes Ecclesijs Religionis Equitum Hierosolymitanorum, per decretum sacræ Congregationis Concilij his verbis: Nullæ immunitates Religioni Hierosolymitanæ concessæ obstant, quo minus eius Sacerdotes inseruientes Ecclesijs vacari debent ad processiones, ac nisi accedant, etiam compelli. Et publicæ processiones intelliguntur esse non solùm, quæ fiunt in festo Corporis Christi, in Litanijs maioribus, Sancti Marci, & in minoribus Rogationum, & aliæ consuetuę, sed etiam illæ, quæ indicuntur pro bono publico, vt imminente peste, alioq; flagello, quæ Episcopo videbuntur, & quę fieri debent à Capitulis, & Cleris sede vacante pro impetrando bono Pastore, Conc. Tr. sess. 24. c. 1. de reform.

10 Sextò Regulares sunt subiecti Episcopis in obseruantia festorum, quæ in eorum Diœcesi seruari præceperint, Concil. Trident. sess. 25. cap. 12. de Regul. sed non quoad Ritus celebrandi missas, & diuina officia suorum Ordinum, nisi quoad conciones, & lectiones, quas ad populum habent; quia in eis se conformare debent ad Epistolas, & Euangelia, quibus clerus sęcularis vtitur illis festis diebus; ita sacra Congregatio censuit super dicto cap. 12. Concilij, vt refert Quarant. in summ. Bullar. in verb. Priuilegia Regularium, ac tenentur ipsi Regulares obseruare censuras, & interdicta, nedum à Sede Apostolica promulgata, sed etiam ab ipsis Ordinarijs, cap. de ijs, dist. 12. Concil. Trident. d. cap. 12.

11 Septimò Episcopus potest compellere etiam per censuras Ecclesiasticas Regulares ad restituendum, quæ habuerunt à Nouitio, qui noluit facere professionem, Concil. Trident. sess. 25. cap. 16. in fin. de Regul. idem si propter infirmitatem egrediatur à Monasterio, & moriatur ante professionem, & bona data non sunt acquisita Monasterio, Nauar. cons. fin. de success. ab intest. & in comment. 2. de regul. super cap. non dicatis 12. q. 2. num. 49. & sequen.

12 Octauò

12 Octauò Episcopi possunt compellere opportunis remedijs tamquam Apostolicæ sedis delegati, Abbates, vt in eorum Monasterijs, vbi id fieri commodè potest, lectio sacræ scripturæ habeatur, & si Abbates in hoc negligentes fuerint, Concil Trident. sess. 5. cap. 1. §. in hoc negligentes fuerint, Concil. Trident. sess. 5. cap. 1. §. in Monasterijs.

13 Nonò Episcopus ratione contractus habet iurisdictionem in Regulares; quia si quis post ingressum in aliquam Religionem renuntiauerit aliquibus suis iuribus, vel bona sua donauerit, vel alio modo alienauerit sine licentia Episcopi, vel eius Vicarij, intra duos menses proximos ante professionem, renuntiatio, donatio, vel alienatio non valet; nam intra duos menses antequam professionem fecerit, cum licentia vnius prædictorum fieri debet, Concil. Trident. sess. 25. cap. 16. de Regular. Verùm si antequam ingrediatur Religionem, de rebus suis disponit, Nauar. cons. 82. de Regul. tenet etiam non valere dispositionem factam; contrarium tamen declarauit Sacra Congregatio Concilij, vt refert Additio ad dictum cons. 82. Nauarri in fine, & Quaranc. in summ. Bullar. in verb. Monasteria, & Conuentus Regularium, fol. mihi 330. vbi dicit, quòd donatio, seu renuntiatio bonorum facta ab existente adhuc in sęculo prætextu, & intuitu ingressus Religionis, an valeat vel nè, Illustrissimi DD. Cardinales Concilij Trid. interpretes definierunt in hunc modum, videlicet: Congregatio Concilij Trident. cap. 16. sess. 25. de Regular. censuit non habere locum in renuntiatione facta ante susceptionem habitus, quam declarationem refert Menoch. in addit. ad lib. 2. de arbitr. iudic. cas. 436. sub num. 3. & ideò opinio Nauarr. in dicto cons. 82. de Regular. & Molin. de iustit. disputat. 139. vers. ambiget rursus non est tenenda, idque meritò; nam Concilium Trident. eo loco loquitur de iam ingresso in Religionem, & sic de eo, qui habitum non suscepit, Bartholom. Vgolin. in tract. de offic. & potestat. Episcop. part. 1. cap. 19. §. 7. num. 1. & 2.

14 Decimò Episcopus potest controuersias omnes de præcedentia componere, quæ cum maximo scandalo oriuntur inter Regulares, & etiam sęculares, & personas Ecclesiasticas tum in processionibus, tum in ijs quæ fiunt in tumulandis corporibus Defunctorum, & his similibus, Concil. Trident. sess. 25. cap. 13. de Regul. quæ compositio est facienda summariè, de plano sine strepitu, & figura iudicij amota omni appellatione quoad effectum suspensiuum secus deuolutiuum, ex sententia Sacræ Congregationis Concilij, quæ etiam censuit controuersias omnes pendentes dirimere Episcopus hodie po-

test, finitas autem innouare non potest, ex Bulla Pij V. in fauorem Regularium edita, vide cap. de præcedentia.

15 Vndecimò tàm Regulares, quàm Clerici sęculares etiam Apostolicæ Sedis priuilegio muniti die Sabbati Sancti maioris hebdomadæ antequam campanæ Cathedralis, vel Maioris Ecclesiæ pulsentur, campanas in eorum Ecclesijs pulsare non possunt; & contrafacientes incurrunt pęnam ducatorum centum, ex Constitutione Concilij Lateranensis sub Leone X. anno 1516. incip. *Sacro approbante*, §. & vt debitus; idem statuit Congregatio Sacrorum Rituum die 21. Martij 1609. neque possunt pulsari in Dięcesi ante Parochialis signum, eadem Sacra Congregatio die 9. Februarij 1608.

16 Duodecimò, quia Regulares à suis Conuentibus recedere non possunt, etiam prætextu accedendi ad suos Superiores, nisi ab eis missi, vel vocati fuerint; ideò qui sine licentia in scriptis obtenta reperti fuerint, ab Ordinarijs locorum, tamquam desertores sui instituti possunt puniri, Concil. Trident. sess. 25. cap. 4. de regular.

17 Decimotertiò non possunt Regulares sine licentia suorum Superiorum prædicationis, vel lectionis, aut cuiusuis operis prætextu se subiacere obsequio alicuius Prælati, Principis, aut Vniuersitatis, seu Communitatis, aut alterius cuiuscumque personę, vel loci, neque eis aliquod priuilegium, aut facultas ab alijs superijs obtenta suffragatur, & si contrafecerint, tamquam inobedientes arbitrio suorum Superiorum sunt puniendi, Concil. Trid. sess. 25. cap. 4. de Regular. & locorum Ordinarij eorundem Superiorum negligentiam supplere possunt, cap. quanto, de offic. Ordin.

18 Decimoquartò Regulares cuiuscumque Ordinis, & Religionis tenentur attollere baldachinum, quando in eorum Ecclesijs Episcopi Pontificalia exercere voluerint, aut Pontificalibus paramentis induti cum Mitra, vel etiam cum sola cappa interesse; ijs autem facere negligentibus, aut volentibus licitum est Episcopis ipsis illud asportari facere, & supra Episcopale solium seu Pontificale faldistorium erigi facere, atq; sub eo sedere, & stare, prout in proprijs, & Cathedralibus Ecclesijs stare, & sedere solent, ac inobedientes, & contumaces ab ipsis per censuras compelli possunt, vt plenius constat ex decreto Clementis VIII. sub die 10. Iunij 1603. quod incipit, *Decet*.

19 Decimoquintò Regulares vtriusque sexus non possunt ædificare noua Monasteria, loca, Conuentus, & domos absq; licentia Ordinarij Dięcesis, Concil. Trid. sess. 25. c. 3. de Regul. in fin. & hodie vltra dictam licentiam debent vocari, & audiri Superiores aliorum Monasteriorum aliorum Ordinum, & locorum in eisdem Ciuitatibus,

& locis

& locis existentibus per Constitutionem Clementis VIII. Romæ apud Sanctum Marcum sub annulo Piscatoris die 23. Iulij 1603. Põtificatus sui anno duodecimo; in qua disponitur locorum Ordinarios non posse licentiam concedere ad nouos Conuentus cuiuscumque etiam Mendicantium Ordinis in Ciuitatibus, & locis eorum ordinariæ iurisdictioni subiectis erigendos, nisi vocatis, & auditis aliorum in eisdem Ciuitatibus, & locis existentium Conuentuum Prioribus, seu procuratoribus, & alijs interesse habentibus, & causa seruata seruandis cognita, constiterit, in eisdem Ciuitatibus, & locis nouos huiusmodi erigendos Conuentus, sine aliorum detrimento commodè substentari posse. Si verò ab eorum in huiusmodi causis, & sententijs ad Sedem Apostolicam appellari contingerit, ipsos Ordinarios tandiu erectio nouorum Conuentuum supersedere debere, quousq; à dicta Sede Apostolica in eadem causa pronuntiatum fuerit irritum, & inane decernens quicquid contingerit attentari.

Nec etiam id sufficit, sed necesse est ad ędificationem nouorum Conuentuum, vt in singulis huiusmodi Conuentibus, & Monasterijs de nouo ædificandis, duodecim saltem Fratres possint ex redditibus competenter substentari; ita Sacra Congregatio Concilij Trident. decreuit inter cętera decreta Sanctissimi D. N. Vrbani Papæ VIII. authoritate eidem Sacræ Congregationi specialiter tributa, Romæ die 21. Iunij 1625. & publicata die 22. Septembris eiusdem anni: cuius decreti tenor talis est.

20 Deinceps verò Monasterium Conuentus, Domus Congregatio, vel Societas Religiosorum, seu Regularium nullibi recipiantur, nisi pręter alia ad id requisita in singulis eiusmodi locis duodecim saltem Fratres, aut Monachi, seu Religiosi degere, & ex redditibus, & consuetis eleemosynis detractis omnibus, vt supra detrahendis competenter substentari valeant ad præscriptum decreti felic. record. Gregorij XV. hac de re editi, alioquin Monasteria, & loca huiusmodi post hac recipienda, in quibus duodecim Religiosi, vt supra substentari, atque inhabitare non poterunt, & actu non habitauerint Ordinarij visitationi, correctioni, atque omnimodæ iurisdictioni esse intelligantur. Romæ die 21. Iunij 1627. Cosmus Card. de Torres. Prosper Fagnanus Sacr. Congregat. Secret.

21 Decimosextò, Regulares extra Monasteria degentes delinquendo eorum Ordinum priuilegiorum prætextu tuti esse non possunt, quò minus ab Ordinarijs locorum, tamquam super hoc à Sede Apostolica delegatis secundùm canonicas sanctiones visitari, puniri, & corrigi valeats vt habetur in Concilio Trident. sess. 6. cap. 3. de reformat.

format. Sed fuit dubitatum, vtrum existentes in aliqua domo ad erectionem Monasterij destinatam comprehendantur in supradicto decreto Concilij? Et per sacram Congregationem eiusdem Concilij fuit resolutum sub die 24. Maij 1588. quòd licet ibi existerent, de licentia suorum Superiorum, tamen si non haberent in dicta domo Priorem, seu Guardianum, & non viuerent iuxta institutum Regulæ illius Religionis, comprehenduntur in dicto decreto, & ab Ordinario puniri possunt, non posse autem si in ea domo sub Superiore conuentualiter viuunt.

22 Verùm regulares intra claustra degentes, & extra ea, ita notoriè delinquentes, vt populo scandalo sit Episcopo instante à suo Superiore intra tempus ab Episcopo præfigendum seuerè sunt puniendi, ac de punitione Episcopus est certiorandus, alioquin à suo maiori Superiore est officio priuandus, & delinquens ab eodem Episcopo puniri potest Concil. Trident. sess. 25. cap. 14. de regular. facit tex. in cap. fin. §. si verò, & ibi Abb. num. 1. de stat. monac. Sed quoniam in exequutione dicti decreti Concilij nimis remissè procedebatur, imò Superior Regularem delinquentem non solùm non puniebat, sed ad alia loca extra Diœcesim transmittebat, Clemens VIII. per suam Constitutionem, quæ incipit, *Suscepti muneris* publicatam Romæ, septimo calend. Martij 1595. mandat omnibus, & singulis cuiuscumque Ordinis etiam Mendicantium Superioribus sub pęna priuationis dignitatis, & officiorum eo ipso incurrendis, vt iuxta prædictum Concilij Trident. decretum prouideant, & exequantur, quòd si Superior in Regularem delinquentem non animaduertent, quinimò si illum impunitum ad alia suorum Ordinum loca extra Episcopi Diœcesim transmiserit, statuit, vt instante Episcopo intra terminum ab eodem Episcopo præfigendum, & sub eisdem priuationis dignitatum, & officiorum obtentorum, & inhabilitatis ad illa, & alia in posterum obtinenda priuationis actiuæ, & passiuæ vocis, ad quas à nemine præterquam à Romano Pontifice pro tempore existente restitui possit, ipso facto similiter incurrendis pęnis ipsum Regularem delinquentem à loco, ad quem transmissus fuerit reuocare, & ad illum, in quo deliquit statuere, siue sistere teneri voluit, quòd si hoc etiam facere prætermiserit; Ordinarius loci, ad quem Regularis delinquens transmissus fuerit, super præmissis fuerit ab Episcopo Ordinario loci, in quo delinquit, similiter requisitus, vel de illius delicto informatus, tamquam Apostolicæ sedis Delegatus prædicti Concilij Trident. decretum omninò exequi, & in Regularem delinquentem seuerè animaduertere possit, & debeat, vt hæc, & alia plenius in

dicta

dicta Constitutione continentur.

21 Sed an Regularis, si notoriè ita deliquerit, vt populo scandalo sit, possit per Curiam Episcopalem carcerari, & interim informatione pendente capienda detineri, nec remitti ad suum Superiorem? Resp. affirmatiuè secundum prax. Archiep. Cur. Neap. cap. 59. numer. 3. Verum Curia debet quam primum informationem capere, sed statim eodem die, quo fuerit captus, vel sequenti ad summum ad Superiorem suum cum copia processus remittere; & ita per sacram Congregationem Concilij fuit decisum his verbis: Quando extra claustra Regularis delinquit notoriè, dubitatum fuit an detinendus sit in carceribus Episcopi, donec processus in Curia Episcopali conficiatur, eoque compilato instante Superiore remittendus sit vnà cum processu puniendus, an potius non expectata compilatione processus statim remittendus sit ad Superiorem vnà cum his probationibus, quæ habentur? Congregatio respondit, statim remittendum esse, etiam posito, quòd Superior nullam instantiam faceret. Si autem Episcopus differet capere informationem, & Regularem petentem remitti, vt ipsum carceribus vexaret; dicta Prax. Archiep. loco citato tenet, quòd detinens non euitaret excommunicationem per glos. in Clem. frequens in verb. capiunt, de excessib. Prælat. & ibi hoc notat Abb. & hodie stante dicta decisione sacræ Congregationis magis procedere credo, quæ vult, quod statim remittendus est ad Superiorem.

24 Decimoseptimò, Regulares degentes extra claustra, quomodolibet exempti in causis ciuilibus mercedum, & miserabilium personarum conueniuntur coram Ordinario loci, tamquam ab Apostolica Sede delegato, etiam si certum Iudicem ab ipsa Sede deputatum in partibus habeant, Concil. Trident. sess. 7. cap. 14. de reformat. cuius authoritate in dictis causis Ordinarius potest procedere, causasque cognoscere, & ipsos ad soluendum debitum cogere non obstantibus priuilegijs, & exemptionibus, cap. 1. de priuileg. lib. 6. Si verò Regulares degunt intra claustra, essent conueniendi coram suo Superiore, Abb. in cap. cum contingat, de for. compet. Sed Gregorius XIII. concessit omnibus Regularibus Italiæ, vt sibi Conseruatores eligerent, coram quibus conuenirentur, vt plenius diximus supra in cap. de Conseruatoribus.

25 Sed dubitari contingit, an Episcopus possit denuntiare Regulares incidisse in excommunicationem à iure, vel Apostolicis Constitutionibus inflictam? Resp. quòd Card. in Clem. 1. de priuileg. & ibi Abb. dicunt, quod potest, & per tex. in cap. curæ sit, 11. q. 3. vbi Honorius Pontifex mandat omnibus Episcopis, vt excommunicatos vicinis

Episcopis indicente idem tenet Io. Bapt. Confect. in collat. priuileg. Ord. mendic. tit. 5. cap. 2. ex quo Episcopus nil aliud facit, nisi quòd denuntiat, vt euitentur. Sed contrarium puto, de iure esse verius; quia exemptio Regularium est concessa personis ratione delicti; etiã in loco non exempto; & ideò in quocumque loco delinquunt, sunt exempti à iurisdictione Ordinariorum, Clem. 2. §. fin. vers. sibi subiectos, de pęn. & cum Regulares sint notoriè exempti; & clarum est Episcopum non esse Iudicem competentem; nam antequam quis denuntiatur excommunicatus, oportet, quòd constet per informationem de delicto contra Regularem, quam Episcopus capere non potest, & si poterit, tamquam commissum extra claustra, oportet eum citari, & per citationem inducitur violatio exemptionis, Abb. in d. Clem. 1. de pęn. num. 22. quia Regularis citatus si comparet coram Episcopo ad dicendum, & allegandum causam, quare non debeat declarari excõmunicatus, subijcitur eius iurisdictioni, à qua est exemptus, nec obstat d. Clem. 1. de priuileg. quia est specialis in illis casibus, de quibus loquitur Hieronym. Capuccin. in compend. priuileg. in verb. exemptio, nec obstat tex. in l. hæredes palam, ff. de testam. vbi disponitur, quod qui declarat, nihil noui facit; quia hoc est verum, & procedit quando fit à Iudice competenti, qui non est Episcopus in hoc casu, ita tenet etiam Nauar. cons. 2. de sent. excommun. vbi dicit dato, quòd Regulares incurrissent in excommunicationem, non tamen ab Episcopo, vel ab alio mandari potest, aut debet declarari, vt euitentur, donec citati, & auditi à suo Iudice competenti declarentur excommunicati iux. extrauag. *Ad euitanda*, & in hoc casu succedit dispositio Concilij Trident. sess. 25. cap. 14. de Regul. & Constitutionis prædictæ Clementis VIII. circa animaduersionem Regularium delinquentium extra claustra, & recurritur ad suos Superiores iuxta formam dicti decreti Concilij, & constitutionis prædictę quicquid dicat Prax. cur. Archiep. Neap. cap. 59. num. 1.

26 Sed maior dubitatio est, an Regulares, qui in casibus, in quibus subsunt iurisdictioni Episcoporum, & locorum Ordinariorum, possint compelli per ipsos per censuras Ecclesiasticas, & sic interdici, suspendi, & excommunicari? Resp. quòd Concilium Trident. in aliquibus locis, & casibus tribuit eis potestatem, vt possint contra Regulares procedere compellendo per censuras Ecclesiasticas, vt sess. 22. in decreto, de obseruandis, & euitandis in celebratione Missę in Oratorio priuato, aut debitis horis, vbi in fine decreti prædicti mandat Ordinarijs, vt ea faciant obseruare censuris Ecclesiasticis, & alijs. Et sess. 25. cap. 5. de Regul. mandat Episcopis, vt clausuram Monia-

libus

libus imponant, & inobedientes, & contractores per censuras Ecclesiasticas compescant. Similiter eadem sess. 25. cap. 16. de Regul. conceditur Episcopis potestas, vt per censuras Ecclesiasticas cogant exemptos restituere bona Nouitijs resipiscentibus. In quibusdam alijs locis, & casibus non datur prædicta potestas procedendi per censuras Ecclesiasticas, vt sess. 25. cap. 13. de Regular. vbi datur facultas Episcopis, vt possint compellere Regulares accedere ad publicas processiones, non tamen dicit per censuras Ecclesiasticas, similiter eadem sess. 25. cap. 15. de Regular. vbi Regularis degens in Monasterio, si extra illud delinquit, & non punitur à suo Superiore, quòd possit puniri ab Episcopo, sed non adiecit per censuras Ecclesiasticas, & demum eadem sess. 25. cap. 17. de Regul. quoad explorandam voluntatem puellæ professuræ dicit, quòd si præfecta certiorem Episcopum non fecerit, possit ipsam ab officio suspendere; vnde dicendum est, quòd Episcopi possunt procedere contra Regulares per censuras Ecclesiasticas in casibus, in quibus datur per Concilium dicta potestas tantum, & non in alijs, in quibus non adiecit, vt possint compellere per censuras; quia noluit eam iurisdictionem tribuere, sed per alias pęnas poterunt procedere, glos. in cap. 1. §. in eos in verb. quantum de priuileg. lib. 6. nam Regulares habent priuilegium à Sede Apostolica, ne possint interdici, suspendi, nec excommunicari, d. c. 1. §. in eos, & per multa priuilegia ipsis concessa, vt refert Capuccin. in compend. priuileg. Regul. in verb. excommunicatio; in illis ergo casibus, in quibus expressè tribuitur facultas à Concilio Episcopis, poterunt Regulares compelli per censuras, in alijs verò per alias pęnas, Quarant. in summ. Bullar. in verb. præcedentia, vers. an in casu, qui allegat Gambar. in tract. de potest. legat. à later. lib. 8. cap. fin. numer. 77. Henriq. in summ. lib. 7. de indulgent. cap. 25. sub §. 7. Sanch. de Matrimon. lib. 7. disputat. 33. num. 23. Nec obstat decretum Concilij Trident. sess. 25. cap. fin. de Regul. quatenus mandet obseruari omnia decreta de Regularibus non obstantibus priuilegijs, & deputet exequutores Episcopos, nec Bulla Pij IV. per quam reuocantur omnia priuilegia contraria Concilio Trident. quia non sunt contraria; immo conformia Concilio, nempè, quòd in illis decretis, in quibus datur facultas procedendi per censuras, quòd possint; in alijs autem, in quibus non datur talis potestas, quòd abstineant, salua tamen determinatione, & declaratione Sacræ Congregationis Concilij Trident.

27 Sed quid dicemus de Eremitis, an sint sub iurisdictione Episcopi? Respond. breuiter, quòd cum non sint de illis Eremitis, quorum Re-

gula

gula est approbata à Summo Pontifice, prout Ordo Eremitarum Sancti Augustini, vel Congregationis Sancti Hieronymi de Pisa, aut Congregationis Sancti Hieronymi Hispaniarum, qui fruuntur priuilegijs, quibus Fratres Mendicantium; sed illi Eremitæ, quorum viuendi ratio ab Apostolica Sede non est approbata; sed accedunt ad solitudines, & ibi Deo seruiunt nullo ordine suscepto, nullaque professione Religionis facta, qui habito respectu ad nomen Eremitæ; quod est Græcum, & Latinè solitarium sonat, propriè solitarij sunt, & Episcoporum iurisdictioni non subiecti; cum non sint personæ Ecclesiasticæ, sed sub laica potestate, quoad temporalia, & quoad spiritualia Episcopis sicut omnes Christiani, Card. in Clem. 2. vers. si verò, de præben. Abb. in cap. nullus, de for. compet. Vgolin. de offic. & potest Episcop. p. 1. cap. 20. num. 8. 12. per totum.

Quatenus autem supra, num. 3. dixi Regulares non posse prædicare contradicente Episcopo, & num. 6. quòd ipsi Regulares habentes curam animarum in eorum Ecclesijs, & Monasterijs subsunt visitationi, & correctioni Episcopi, quoad administrationem Sacramentorum; post hæc scripta est publicata Constitutio Gregorij XV. de
28 exemptorum priuilegijs circa curam animarum, & Sacramentorum administrationem, Sanctimonialium Monasteria, & prædicationem verbi Dei tenoris sequentis, Gregorius Episcopus, seruus seruorum Dei. Inscrutabili Dei prouidentia vniuersalis Ecclesię regimini meritis licet imparibus præsidentes, Pastoralis nostræ sollicitudinis partes esse dignoscimus, in eam curam præcipuè incumbere, vt à dignis, & probatis tantùm Sacerdotibus sanctè administrentur Ecclesiastica Sacramenta, atque vt Virginum Deo Sacrarum Monasteria diligentissimè custodiantur, & viri assumantur idonei ad prædicationis officium salubriter exequendum. Sanè Tridentinæ Synodi decretis prouidè cautum est, nullum Presbyterum, etiam Regularem posse confessiones Secularium, etiam Sacerdotum audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut Parochiale beneficium habeat, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut alias idoneus iudicetur, & approbationem, quæ gratis detur, obtineat. Nec non, vt in Monasterijs, seu domibus virorum, seu mulierum, quibus imminet cura animarum personarum secularium. Præter eas, quæ sunt de illorum Monasteriorum, seu locorum familia personæ, tàm Regulares, quàm Seculares eiusmodi curam exercentes subsint immediatè in ijs, quæ ad dictam curam, & Sacramentorum administrationem pertinent, iurisdictioni, visitationi, & correctioni Episcopi, in cuius Diœcesi sua sunt; itemque vt Episcopi vniuersi, sub obtestatione

tione diuini iudicij; & interminatione maledictionis ęternæ in omnibus sibi subiectis ordinaria: in alijs vero Sedis Apostolicæ authoritate clausuram Sanctimonialium, vbi violata fuerit, diligenter restitui, & vbi inuiolata est, conseruari maximè procurent; inobedientes, atque contradictores per censuras Ecclesiasticas, aliasque pęnas, quacumq; appellatione postposita compescentes. Atq; vt Regulares in Ecclesijs suorum Ordinum prædicare volentes, se coram Episcopis præsentare, & ab eis benedictionem petere teneantur; in Ecclesijs, quæ suorum ordinum non sunt nullo modo prædicare possint sine Episcopi licentia, contradicente autem Episcopo, nulli etiam in suorum ordinum Ecclesijs prædicare præsumant. Verùm quia experientia compertum est Ecclesiastici regiminis rationes postulare, vt decretis eiusmodi aliquid adiungatur, matura deliberatione nostra, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, hac generali, ac perpetuo valitura Constitutione decernimus, statuimus, & declaramus; vt deinceps tàm Regulares, quàm sęculares quomodolibet exempti siue animarum curam personarum sęcularium, Monasterijs, siue domibus Regularibus, aut quibusuis alijs Ecclesijs, vel beneficijs, siue regularibus, siue sęcularibus incumbentem, exercent, siue alias Ecclesiastica Sacramenta, aut vnum ex illis ministrent, pręuia Episcopi licentia, & approbatione, siue quoquomodo in dictæ curæ exercitio, aut eorundem Sacramentorum, vel alicuius ex illis administratione de facto absque vlla authoritate se ingerant in his quæ eiusmodi curam, seu administrationem concernunt omnimodę iurisdictioni, visitationi, & correctioni Diœcesani Episcopi, tamquam Sedis Apostolicę delegati plenè in omnibus subijciantur. Ad hæc tàm Regulares, quàm Sęculares huiusmodi nullis priuilegijs, aut exemptionibus tueri se possint, quo minus si deliquerint circa personas intra septa degentes, aut circa clausuram, vel circa bonorum administrationem Monasteriorum Monialium, etiam Regularibus subiectarum, ab Episcopo loci, similiter tamquam ad hoc Sedis Apostolicæ delegato, quoties, & quando opus fuerit puniri, & corrigi valeant. Confessores verò, siue Regulares siue Sęculares quomodocumque exempti tàm Ordinarij, quàm extraordinarij ad confessiones Monialium etiam Regularibus subiectarum audiendas nullatenus deputari valeant, nisi prius ab Episcopo Diœcesano idonei iudicentur, & approbationem, quæ gratis concedatur, obtineant. Sed, & administrantes bona ad eiusmodi Monasteria Sanctimonialium, vt præfertur, etiam Regularibus subiectarum pertinentia, siue Regulares extiterint, siue Sęculares quomodolibet Episcopo loci adhibitis etiam

Supe-

Superioribus Regularibus, singulis annis rationes administrationis, gratis tamen exigendas reddere teneantur, ad idq; iuris remedijs cogi, & compelli queant; liceatq; Episcopo ex rationabili causa Superiores Regulares monere, vt huiusmodi Confessores, & administratores, amoueant, ijsque Superioribus id facere detractantibus, aut negantibus, habeat Episcopus facultatem prædictos Confessores, & administratores amouendi quoties, & quando opus esse iudicauerit. Ac similiter possit Episcopus vnà cum Superioribus Regularibus quarumcumq; Abbatissarum, Priorissarum, Præfectarum, vel Præpositarum eorumdem Monasteriorum quocumq; nomine appellentur electionibus per se, vel per alium interesse, ac præsidere, absque vlla tamen ipsorum Monasteriorum impensa. Ac demum habeat Episcopus tamquam Sedis Apostolicæ delegatus authoritatem coercendi, ac puniendi quoscumque exemptos tàm Seculares, quàm Regulares, qui in alienis Ecclesijs, aut quæ suorum Ordinum non sunt absq; licentia Episcopi, & in Ecclesijs suis, aut suorum Ordinum non petita illius benedictione, aut ipso contradicente prædicare præsumpserint; ita vt Episcopi in supradictis casibus, & in prænominatas personas in præmissis omnibus, & singulis, aut circa ea quomodocumque delinquentes quoties, & quando opus fuerit, etiam extra visitationem per censuras Ecclesiasticas, aliasque pœnas, vti eiusdem Sedis Delegati procedere, omnemq; iurisdictionem exercere liberè, & licitè valeant. Decernentes sic per quoscumq; Iudices quauis authoritate fungentes, etiam Sacri Palatij Auditores, nec non Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, sublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & authoritate iudicari, & definiri debere. Irritum quoq; & inane si secus super his à quoquam quauis authoritate scienter, vel ignoranter contingerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis in fauorem quarumcumq; personarum, atque Ordinum, etiam Mendicantium, quam non Mendicantium, Militiarum, etiam Sancti Ioannis Hierosolymitani, &c. Cōfirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, &c. priuilegijs, &c. etiam Mari magno, seu Bulla aurea, aut aliàs nuncupatis, Conseruatorum deputationibus, quibus Episcopi deferre minimè teneantur, & quibusuis alijs, &c. Nulli ergo homini liceat, &c. Datum Romę apud Sanctum Petrum anno incarnationis Dominicę 1622. nonis Februarij, Pontificatus nostri anno secundo, V. D. Publicata die 8. mensis Februarij 1623.

Et quoniam nonnullæ dubitationes ortæ erant super dicta Constitu-

stitutione, ideò Sacra Congregatio Concilij.

Posita Constitutione Sanctissimi D. N. de exemptorum priuilegijs, &c. Dubitatur. Primò an liceat Episcopis visitare Altaria Regularium Ecclesiarum, quibus cura animarum personarum sęcularium non incumbit, aut loca, vbi in ijsdem Ecclesijs asseruatur Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, vel vbi audiuntur Confessiones personarum sęcularium?

Secundò, An Episcopi possint Regularibus præscribere, vt certis tantum in locis, ac temporibus, aut certarum personarum Confessiones audiant, vel aliàs illorum priuilegia restringere, ac moderari in Sacramentis administrandis?

Tertiò, An facultas Episcopis per Constitutionem attributa in exemptos tàm Sęculares quàm Regulares, intelligatur etiam tributa in personas nullius Dięcesis?

Quartò, An eadem facultas competat inferioribus Prælatis proprium territorium, ac iurisdictionem quasi Episcopalem habentibus?

Vltimò, An per eandem Constitutionem in illis verbis: Possit Episcopus vnà cum Superioribus Regularibus quarumcumque Abbatissarum, &c. Electionibus per se, vel per alium interesse, ac præsidere, ius Abbatissas confirmandi; Episcopis attributum censeatur?

Sacra Congregatio Cardinalium Concilij Trid. interpretum censuit, Constitutionem Sanctissimi D. N. de exemptorum priuilegijs, nequaquam subijcere Regulares exemptos, quibus cura animarum personarum sęcularium non incumbit Episcoporum iurisdictioni in his, quæ Sacramentorum administrationem concernunt, nisi cum in Sacramentis personis sęcularibus administrandis delinquunt: Ac propterea.

Ad primum dubium respondit Episcopis non licere in vim eiusdem Constitutionis visitare altaria Ecclesiarum Regularium, quibus non incumbit cura animarum personarum sęcularium, nec loca, vbi in ijsdem Ecclesijs asseruatur Sanctissimum Sacramentum, vel vbi Confessiones personarum sęcularium audiuntur.

Ad secundum, hac in parte Constitutionem Sanctissimi nihil noui iuris induxisse, nec vllam nouam authoritatem Episcopis in Regulares attribuisse; Ideòque in vim ipsius Constitutionis non posse Episcopos Regularibus præscribere, vt certis tantum in locis, ac temporibus, aut certarum personarum Confessiones audiant, vel aliàs illorum priuilegia in Sacramentis administrandis restringere, aut moderari.

Ad tertium censuit eiusmodi facultatem intelligi tributam Episcopis in personas nullius Diœcesis.

Ad quartum non competere.

Ad vltimum ius confirmandi Abbatissas minimè fuisse Episcopis per Constitutionem attributum.

Quæ cum Sanctissimo Domino Nostro relata fuissent, eius Sanctitas Sacræ Congregationis sententiam in omnibus approbauit.

R. Card. Vbaldinus. Prosper Fagnanus S. Congr. Secret.

29 Demùm post hæc scripta fuit publicata quędam Constitutio Sanctissimi D. N. Vrbani Papæ VIII. per quam fuit innouatus Motus proprius felic. recordat. Pij V. contra Monetarios, eiusdemque ad quascumque personas Ecclesiasticas, sęculares, ac cuiuscumque ordinis, etiam Militiarum Regulares ampliatio, & extensio tenoris sequentis.

Vrbanus Episcopus seruus seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. In suprema Pastorali specula meritis, licet imparibus à Domino constituti, vt noxia ab eius grege arcentes eiusdem salutari regimini prospiciamus, non sine magno animi mœrore videmus, eo nostri temporis iniquitates esse progressas, vt ij, quibus onus incumberet pacem euangelizandi, & charitate proximum prosequendi, suæ vocationis immemores à cupiditatum vertice abrepti, adulterinę monetę crimen perpetrare, siue perpetrantibus opem præstare non erubescant, nec reformident. Quare Prædecessorum nostrorum Constitutiones desuper editas innouantes, extendentes, & ampliantes, huiusmodi perditorum hominum, quos suæ æstimationis consideratio in officio non continet, condigna pęnarum seueritate temerarios, & nefarios ausus intendimus coercere. Cum itaque felic. record. Pius Papa V. Prædecessor attendens, quòd licet monetarum aurearum tonsoribus de iure vltimi supplicij esset inflicta pęna; argenteas tamen monetas tondentibus satis minor erat imposita omnes eos, qui argenteas tonderent vltimi supplicij, & eadem, qua aurearum tonsores eatenus puniti fuerant, & de iure puniri debeant pœna puniendos esse statuerit, prout in cedula Motus proprij manu eiusdem Pij prædecessoris subscripta plenius continetur. Nos motu proprio, ac ex certa scientia, meraque deliberatione nostris, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, hac nostra perpetuo valitura Constitutione, statutum, voluntatem, & mandatum Pij prædecessoris præfati tenore præsentium approbamus, confirmamus, & innouamus, ac ad omnes, & singulas personas Ecclesiasticas, etiam quomodolibet exemptas, tam sęculares, quàm cuiusuis ordinis, Congregationis,

socie

societatis, & instituti, etiam de necessitate exprimendi nec non Militiarum quarumcumque etiam Hospitali Sancti Ioannis Hierosolymitani Regulares, non solum in statu Ecclesiastico mediatè, vel immediatè nobis, & Sedi Apostolicę subiecto, sed etiam in omnibus, & singulis Prouincijs, Regnis, Ciuitatibus, Terris, Oppidis, Castris, & locis in Italia dumtaxat existentibus, qui aureas, vel argenteas monetas tondere, fabricare, colorare, vel alias adulterare, seu etiam quomodolibet adulteratas scienter erogare, aut exponere præsumpserint extendimus, & ampliamus, volentes, vt culpabiles in præmissis reperti præuia degradatione Curię sęculari puniendi tradantur; pecunias verò sic vt præfertur adulteratas scienter detinentibus, seu de loco, ad locum transferentibus, aut materiam, instrumenta, siue opem ad pręmissa præstantibus pœna triremium per decennium imponimus, & cognitionem causarum huiusmodi quoad personas Ecclesiasticas præfatas, tam sęculares, quàm Regulares in Prouincijs nobis, & Sedi præfatæ subiectis ad Sanctæ Romanæ Ecclesię Cardinalis in eisdem Prouincijs de latere Legatos, & Prolegatos pro tempore existentes; in alijs verò omnibus, & singulis Prouincijs, Regnis, Ciuitatibus, Oppidis, Castris, & locis, tam sub nostræ, & dictæ Sedis, quàm cuiusuis alterius Principis ditione in Italia tantùm comprehensis priuatiuè quoad omnes etiam Superiores Religiosorum, ipsisque Superioribus penitus exclusis, ad Ordinarios locorum spectare, etiam volumus. Mandantes propterea venerabilibus Fratribus nostris Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis singulis, videlicet, In suis Ciuitatibus, & Dięcesibus quoad loca intra fines alicuius Dięcesis, non tamen de Dięcesi existentia ipsarum Dięcesarum, intra quarum fines eadem loca extiterint; quo verò ad ea, quæ extra fines alicuius Dięcesis consistunt vicinioribus eorundem locorum Ordinarijs, quatenus ad instantiam cuiusuis fisci, vel etiam cuiusuis denuntiatoris, causarum huiusmodi cognitiones suscipientes, præuia etiam auocatione à quibusuis alijs, in causis ipsis modo præmisso procedant, omnibus iuris, & facti remedijs opportunis, inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit brachij sęcularis auxilio. Inhibentes insuper tam Decanis, & Capitulis Ecclesiarum Cathedralium, Metropolitanarum, & Patriarchalium, nec non quorumuis Ordinum, & locorum, Regularium, Societatum, & Institutorum, ac etiam Hospitalis præfatorum Superioribus, Conuentibus, & Fratribus quantumuis exemptis ne sub priuationis beneficiorum, & officiorum per eos respectiuè obtentorum, ac inhabilitatis ad alia in futurum obtinenda, vocisque actiuæ, & passiuæ, nec non excommunicationis latæ sententiæ eo ipso incurrendis

rendis pęnis, Legatos, & Prolegatos, ac Ordinarios locorum, vt præfertur procedentes quoquomodo impedire, molestare, aut turbare audeant, vel præsumant, ac etiam mandantes, vt quoties ad id fuerint requisiti Religiosos ipsos, etiam si Superiores alicuius loci Regularis actu fuerint, ipsis Legatis, Prolegatis, & Ordinarijs, vel alijs, quibus ijdem Legati, Prolegati, & Ordinarij mandauerint, consignent cum scripturis, & si actis, si quæ facta fuisse reperiantur, sicque, & non aliter in pręmissis per quoscumque Iudices Ordinarios, Delegatos, & Commissarios, & etiam Cameræ prædictæ clericos, Præsidentes, nec non causarum Palatij Apostolici, & Curiæ eiusdem Cameræ generalem, Auditorem, ac Sanctę Romanę Ecclesiæ Camerarium, & alios Cardinales, etiam de latere Legatos, nec non Vicecamerarium iudicari, & definiri, ac interpretari debere, sublata eis, & eorum cuilibet quauis authoritate aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & authoritate, ac irritum, & inane quicquid secus super his à quoquam quauis authoritate scienter, vel ignoranter contingerit attentari, decernimus. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non Prouinciarum, Regnorum, Ciuitatum, Terrarum, Oppidorum, locorum, Ecclesiarum, Monasteriorum, Militiarum, Hospitalium, etiam Sancti Ioannis præfatorum, & aliorum Religiosorum, ac piorum locorum, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis, consuetudinibus, priuilegijs quoque indultis, & literis Apostolicis eisdem Prouincijs, Regnis, Ciuitatibus, Terris Oppidis, Locis, Ecclesijs, Monasterijs, Hospitalibus, & Militijs etiam Sancti Ioannis, vt præfertur, & alijs Religiosis, & pijs locis, Vniuersitatibus, Capitulis, Superioribus, & personis in contrarium quomodolibet concessis, ac etiam pluries, & iteratis vicibus approbatis, confirmatis, & innouatis, quibus omnibus, & singulis, etiam si de illis, eorumque totis tenoribus specialis specifica, expressa, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quæuis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret, eorum omnium tenores, ac si de verbo ad verbum inserentur præsentibus pro expressis habentes illis aliàs in suo robore permansuris ad effectum præsentium dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, contrarijs quibuscumque. Volumus autem, quod præsentes in valuis Ecclesiæ Lateranen. & Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe, nec non Cancellariæ Apostolicę, & in acie campi Floræ publicentur, & affigantur; quæ postquam sic affixæ, & publicatæ fuerint post duos menses à die publicationis huiusmodi computandos,

tandos, quoscumque tàm in statu nostro, quàm extra eum vbique locorum; in Italia tamen existentes perinde arctent, & afficiant, ac si vnicuique nominatim, & personaliter intimatæ fuissent, quodque earum exemplis etiam impressis, manu Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ ijsdem præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Nulli ergo hominum, &c. Datum Romæ apud Sanctam Mariam maiorem anno incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo vigesimo septimo, idibus Nouembris, Pontificatus nostri anno quinto. E. Dat. Ioseph Anselmus, visa de curia. A. Hurandus. G. Montanus, Publicata die 28. Ianuarij 1628.

CAPVT XLIII.

De iurisdictione Iudicis laici.

SVMMARIVM.

1 *Clericus ratione feudi conuenitur coram Iudice laico.*
2 *Clericus ratione feudi non potest personaliter astringi per Dominum feudi.*
3 *Iudex Ecclesiasticus cognoscit laicum pro feudo, quod habet ab Ecclesia.*
4 *Laicus delegatus Iudex à Papa Clericos cognoscit.*
5 *Papa in omnibus causis Ecclesiasticis habet plenitudinem potestatis.*
6 *Episcopi non possunt delegare causas criminales clericorum laicis.*
7 *Clericus reconuentus coram Iudice laico, etiam si desistit, potest procedi in causa.*
8 *Clericus etiam si renuntiat conuentioni, non potest euitare reconuentionem.*
9 *Executio contra clericum reconuentum, & condemnatum à Iudice laico, est facienda per Iudicem Ecclesiasticum.*
10 *Clericus depositarius ex decreto Iudicis laici an possit coram eodem Iudice conueniri pro restitutione depositi.*
11 *Clericus neque principaliter, neque incidenter potest subijci Iudici laico.*
12 *Clericus laudatus in authorem in Curia seculari an remittendus sit Iudic Ecclesiastico.*
13 *Venditor, cui ex priuilegio competit declinatoria fori, an possit vti priuilegio, si vocatur in iudicio ad defendendum.*
14 *Vidua, pupillus, & alij priuilegiati in authores laudati an possint opponere declinatoriam fori.*
15 *Laicus si conuenitur pro re, quam possidet nomine clerici, clericus aduocat*

 indi-

iudicium coram Iudice Ecclesiastico.

16 *Clericus si nominatur in iudicio vti possessor, & dominus à primo conuentu, iudicium coram Iudice Ecclesiastico est agitandum.*

17 *Clericus citatus generaliter à Iudice laico, si suum putauerit interesse, an comparere teneatur.*

18 *Clericus si fuerit repertus in fragranti crimine, potest capi à familia Iudicis laici.*

19 *Clericus incedens de nocte potest capi à familia Iudicis laici.*

20 *Episcopus non potest concedere licentiam clericis ferendi arma.*

21 *Iudex Ecclesiasticus an teneatur stare processui compilato à Iudice laico.*

22 *Iudex laicus cum ignominia remittens clericum incidit in excommunicationem.*

23 *Clericus expressè renuntians clericatui non est amplius ad eum admittendus.*

24 *Clericus propter crimen assassinij an possit puniri à Iudice laico.*

25 *Qualitas, quæ tribuit iurisdictionem ante omnia, est probanda.*

26 *Clericus incorrigibilis an efficiatur de foro Iudici laici.*

27 *Clericus exercens officium sęculare, si in eo delinquit, à quo est puniendus.*

28 *Clericus tutor, seu administrator laici coram quo Iudice est conueniendus.*

29 *Clericus hæres laici in lite cępta contra defunctum in Curia laicali, an teneatur dictam litem coram eodem Iudice prosequi.*

30 *Iudicium vbi cęptum, ibi finiendum est.*

31 *Laicus si lite pendente efficitur clericus, in quo foro lis est terminanda.*

32 *Clericus si est offensus à laico, à quo iudice est puniendus.*

33 *Iudex laicus in casibus, in quibus potest contra clericum procedere non tangit eius personam.*

34 *Clerici an teneantur vendere frumentum pretio imposito à regia Pragmatica.*

35 *Statuta principum sęcularium an sint seruanda à clericis.*

36 *Statuta sęcularia facientia mentionem de clericis, quamuis ad fauorem eorum non valent.*

37 *Clerici an teneantur contribuere in refectione murorum Ciuitatis.*

1 SVpra de potestate, & iurisdictione iudicis Ecclesiastici aliqua diximus, restat modò, vt nonnulla dicamus de casibus, in quibus Iudex laicus potest in clericos procedere. Et primò in causa feudali, propter feudum, quòd clericus habet, & tenet à laico, conuenitur coram Iudice laico pro causis ad feudum spectantibus, quia isto casu cessat priuilegium fori, cap. cæterum, de iudic. Soc. regul. 56. fallent. 2. Andr. Gaill. obseruat. 37. num. 3. lib. 1. & hanc esse communem, & magis communem Canonistarum, & Legistarum opinionem affirmat Clar. in §. feudum, quæst. 90. num. 8. Scac. de caus. ciuil. & crimin. cap. 11. n. 97. Farinac. tit. de Inquisit. q. 9. nu. 21. vers. limita

limita primò, Felin. in cap. verum, n.3. de for. compet. Dec. in dicto cap. cęterum, de iudic. Archid. in cap. vnico, de cler. coniugat. lib.6. quia ratione feudi, quod clericus habet à laico, ei iuramentum fidelitatis præstare tenetur, Abb. per illum tex. in cap. nimis, de iureiur.
2 Verumtamen licèt clericus ratione feudi cogatur litigare coram Domino feudi, non tamen potest astringi personaliter, vel de aliquo delicto cognosci, & condemnari ab ipso Domino feudi, Abb. in dicto cap. verum, de for. compet. & ibi Innoc. & alij, & pręcipuè Io. Andr. eò quod vbi agitur de delicto siue criminaliter, siue ciuiliter, tunc solus Iudex Ecclesiasticus cognoscit, Foller. in addit. ad Marant. p.4. dist. 11. num.71. Scacc. in dicto cap. 11. num.97. Andr. Gaill. obseruat.37. num.3. & in tract. de pace public. cap.8. num.22. nisi
3 ageretur de feudo Ecclesiastico, quia tunc ob eandem rationem cognitio spectat ad Iudicem Ecclesiasticum, etiam si ageretur inter merè laicos, d. cap. verum, de for. comp. & ibi Abb. & alij Marant. p.4. d.11. n.7.
4 Secundò si laicus esset delegatus in causis clericorum à Papa, qui potest mero laico causas etiam criminales clericorum committere,
5 glos. in cap. benè quidem, in verb. præter Romanum, dist.96. Couar. pract. quæst. cap.31. Clar. quæst.41. n.7. habet enim Papa in omni-
6 bus causis Ecclesiasticis absolutam plenitudinem potestatis, Clar. & Couarr. locis citatis. Sed Episcopi non possunt causas criminales clericorum laico delegare secundum communem opinionem, de qua testatur Rip. in cap. decernimus, n.34. de iudic. Dec. in dicto cap. decernimus, n.5. quem refert Roland. cons.4. n.4. lib.1. Clar. loc. cit. immò nec clerico coniugato, vt respondit Rip. loc. cit. clericus enim coniugatus reputatur tamquam merus laicus, Clar. dict. q.41. num.6.
7 Tertiò in causa reconuentionis ciuilis, quia clericus conueniens laicum coram Iudice laico, potest coram eodem reconueniri, glos. in cap. 1. in verb. super suis, de mut. petit. & in cap. at si clerici, in verb. non tenet, de iudic. & in cap. multi, in verb. sęculari 2.q.1. & in cap. in summa 11.q.1. & in cap. deniq; in glos. fin. dist.96. Bart. in auth. & consequenter, C. de sent. & interlocut. omn. iudic. Bal. in auth. clericus, C. de Episcop. & cleric. vbi etiam Salycer. & Fulgos. Archid. in cap. in summa 11.q.1. Lap. allegat. 118. licet Abb. in cap. at si clerici, n.21. de iudic. Card. in Clem. sancimus, de elect. & alij, quos refert Abb. in dicto cap. at si clerici teneant contrarium, quod clericus non possit reconueniri coram Iudice laico; tamen communis opinio est, vt possit reconueniri, Felin. in dicto cap. at si clerici, n.9. & ibi Dec. n.30. Duen. regul. 102. & ita in foro obseruari affirmat Marant. p.4. dist.6. n.53. qui attestatur de magis communi opinione, & de obseruantia

8 Farinac. tit. de Inquisitione, q.8. n.99. Afflict. decis. 123.n.3. Scacc. c.11. n.93. quod procedit etiam si clericus reconuentus vellet desistere à conuentione per ipsum factam in pręiuditium reconuentionis, Scacc. loc. cit. n.93. Afflict. dicta decis. 173. Vinc. de Franch. decis. 193. n.13. Et etiam expresse renuntiando conuentioni non potest euitare reconuentionem, Afflict. d. decis. 173. quod est verum, quando clericus ante renuntiationem est reconuentus, secus si ante renuntiationem cesserit liti per eum motæ, & post cessionem fuerit reconuentus re integra, Bal. in auth. & consequenter, C. de sent. & ibi Salycet. qui tenent, quod re integra, antequam quis per reconuentionem sit præuentus, potest desistere, & impedire processum ad vlteriora in causa, Marant. loco citato, n.55. Carauit. super Rit. 67. Afflict. dicta decis. 173. & Vinc. de Franch. decis. 349. & est aduertendum,

9 quòd si clericus reconuentus, fuerit condemnatus per Iudicem laicum, non tamen potest exequi sententiam contra clericum latam, nec in bonis, nec in persona, sed executio est facienda à Iudice Ecclesiastico, Abb. & Imol. in cap. postulasti, de for. compet. Salycet. in l. Episcopali, C. de Episcop. & cler. facit tex. in cap. sęculares, de for. compet. Lap. d. allegat. 118. Vrsill. ad d. decis. Afflict. 173. n.2. Viu. decis. 46. quia hoc casu Iudex sęcularis habet solum causæ cognitionem, Anchar. in cap. 1. de cler. coniugat. lib. 6. Felin. in d. cap. at si clerici, de iudic. Farinac. tit. de Inquisitione, q.8. num. 103.

10 Quartò si clericus est depositarius ex decreto Curiæ sęcularis, & promiserit restituere depositum potest cogi officio Iudicis laici restituere depositum; quia proceditur contra eum non per modum iudicij, sed ratione suscepti officij, & istius opinionis fuerunt Bal. in l. acceptam, n.4. C. de vsur. & in l. si fideiussor, §. si satisdatum, n.4. ff. qui satisdare cogan. Afflict. d. 24. n.3. & ibi Vrsill. Marant. p.4. dist. 11. n.62. sed contrarium tenet, & defendit Surd. cons. 396. n.33. lib.3. qui dicit non inueniri aliquem ex Canonists, qui dictam opinionem se-

11 quatur, sed ad probandum eam allegant iura ciuilia, & non canonica; & ratio est, quia clerici neq; principaliter, neq; incidenter possunt subijci iurisdictioni Iudicis sęcularis, vt post Abb. & alios confirmet Dec. cons. 241. & laicus est semper incapax iurisdictionis Ecclesiasticæ respectu clericorum, Abb. & Felin. in cap. causam, de præscript. sed pro concordia videatur, Carol. de Grass. d. effect. 1. n. 855. & 856. vbi censuit realiter tamen conueniri posse, notum probatur.

12 Quintò cum sępè contingat clericos vendere bona sua, vel alio titulo in laicos alienare, qui clerici de iure tenentur de euictione, tum virtute pacti adiecti in instrumento, tum ex natura contractus, l. non dubi-

dubitatur, C. de euict. l.venditor, ff. eod. & tenetur litem motam super bonis per eos venditis defendere, l.si plus,§. motu,ff.de euict. cũque similiter contingat laicum conueniri iudicialiter in foro sęculari vti possessorem, qui denuntiando clerico,à quo causam habuit,litem sibi motam, ipsum laudat in authorem, dubitatur, an dictus clericus opponendo fori declinatoriam possit remitti ad Iudicem Ecclesiasticum? Resp. quòd super dicta quæstione fuerunt diuersæ opiniones Doctorum; nam dicunt nonnulli clericum esse remittendum suo Iudici Ecclesiastico per tex. in cap. si diligenti, de for. compet. glos. in cap. clericum nullus, in verb. sęcularem, 11.q.1.& in specie, Socin. iun.consf.40. lib.1. Paul.de Castro in l. si venditor,ff.de iudic. Arnon. singul.96. Angel.Aret.in §.actionem,n.19. instit.de act. Alij fuerunt in contraria opinione, quòd clericus teneatur defendere emptorem laicum in curia sęculari; quæ opinio satis clarè probatur in dicta l. si venditor,ff.de iudic. Natt.consf.99.n.7.lib.1. Dec.consf.700.Anchar. in cap.ea, n.21. de regul.iur.lib.6. & in cap. significasti, n.25. de for. compet.Bal.in dicta l.si venditor, Marant. p.4. dist.11.n.79. & p.6. memb.5.n.5. & hæc opinio secundum Bal.in dicta l.si venditor, quæ tamquam verior ab omnibus est recepta per tex. clarum in d.l.si ven-
13 ditor, vbi dicitur, quod si venditor, cui ex priuilegio competit declinatoriam fori, veniens in iudicium ad defendendum alium, non potest allegare suum priuilegium. Et hinc est,quòd vidua, pupillus, &
14 alij priuilegiati laudati in authores, non audiuntur, si vellent declinare forum, sed tenentur suscipere onus iudicij in Curia, in qua fuerunt laudati, Bernard. Muscatell. in praxi Sacri Regij Concilij, p.3. glos. nominet, n.4.& sequen.nam iudicium instituitur contra laicum emptorem, & non priuilegiatum, & clericus venditor,seu priuilegiatus venit in iudicium solum ad assistendum, l.1. C. vbi in rem act. & hoc propter connexitatem iudicij, vt dicit Marant. loco citato, nec obstat, quòd clericus habet suum Iudicem proprium, & est exemptus à iurisdictione laicali; quia hoc procedit, quando clericus principaliter conuenitur,& iudicium super eius persona substantiatur, vt si con-
15 ueniretur laicus in foro sęculari ad relaxandum rem, quam possidet nomine clerici; quia tunc vtiq; posset declinatoriam opponere fori, & auocare iudicium, coram suo Iudice Ecclesiastico, cum principaliter iudicium hoc casu fundaretur in persona, cuius est res, qui est clericus, quæ petitur relaxari, Bart. in dicta l.si venditor, & Bal. post glos. in cap. quoniam frequenter,§.fin. n.28. vt lit.non contest.sed in casu nostro, quo clericus laudatur in authorem, iudicium substantiatur in persona laici possidentis rem ab eo emptam, Viu. decis.49.n.8.

Sed in Regno Sacrum Consilium obseruat remittere clericum laudatum in authorem suo Iudici Ecclesiastico, & procedit contra laicum à clerico causam habentem, Capyc. decis. 197. num. 7. Vrsill. ad decis. 38. Afflict. num. 8. vbi dicit, quando clericus citatur, vt author laudatus, & petit causam remitti ad suum Iudicem Ecclesiasticum, Sacrum Consilium remittit causam, sed procedit cum laico principaliter conuento, remisso clerico, Gram. decis. 21. vbi ait, quod quidam presbyter fuit laudatus in authorem in Sacro Consilio à quodam laico, qui presbyter petijt remitti causam suo Iudici Ecclesiastico, sed non fuit aliter processum contra clericum, sed contra laicum; verum in sententia, per quam fuit dictus laicus condemnatus, fuit re-
16 seruatum ius dicto laico contra dictum clericum, Vinc. de Ann. singul. 45. Veruntamen quandocumque Clericus non est laudatus in authorem, sed tantum nominatus in iudicio tamquam dominus, & possessor à primo conuento; tunc vtique nullam habet difficultatem, quod iudicium in eum transferatur, & nouus debet offerri libellus, ac iudicium tractari coram Iudice nominati, qui est cle. 'c. is per tex. in l. 2. C. vbi in rem act. vbi Doctores omnes, & cap. quoniam frequenter, §. quòd si super rebus, vt lit. non contest. vbi Innoc. Abb. & alij communiter Viu. decis. 8. vers. sed vbicumque Thorum in 2. p. compend. verb. remissio, Carol. de Grass. de effect. Cleric. effect. 1. numer. 273.
17 Sextò si est facta citatio generalis per Iudicem sęcularem contra interesse prætendentes, si clericus comparet dicunt aliqui, quod tunc illius iudicio, & sententiæ stare tenetur, Bal. in l. testamenta, C. de testam. Marant. part. 4. dist. 7. n. 67. quia tunc non est reus necessarius, sed actor voluntarius Sigisin. Scacc. cap. 11. n. 100. Afflict. decis. 24. n. 7. & 8. Farinac. tit. de Inquisit. q. 8. n. 87. & inferunt, quòd in confectione inuentarij, in quo sunt citandi legatarij, & creditores, si ex illis aliqui sunt clerici, poterunt, & ipsi quoque coram Iudice laico citari si sua putauerint interesse, Farinac. loco citato, Vrsill. ad Afflict. decis. 380. num. 6. sed melius est distinguere, aut clericus comparet, & opponit declinatoriam fori; & tunc Iudex laicus non est cōpetens, & non potest procedere contra clericum in causa, Afflict. decis. prædicta 380. & ibi Vrsill. idem Afflict. in Constitut. Regni de burgensaticis, vers. septimò quæro. Aut non comparet, & tunc acta, & sententia contra ipsum facta, & lata non afficiunt, cum citatus si sua putauerit interesse non comparendo, non dicatur contumax, Bal. in l. præscriptione, C. si contr. ius, vel publ. vtil. & in cap. fin. de fid. instrum. Aretin. in §. quatrupli. Instit. de act. Alex. in l. de pupillo, §. 1. ff. de

ff. de nou. oper. nuntiat. & in l. libertatis, ff. de in ius vocand. Viu. decis. 30. latè Carol. de Grass. d. effect. 1. num. 485.

18 Septimò si clericus fuerit repertus in fragranti crimine, potest capi non solum à familia Iudicis laici, Abb. in cap. cum non ab homine, de iudic. Bart. in l. si quis in seruitute, n. 2. ff. de furt. & in l. similes, C. de exhiben. reis, Bal. in l. si qua per calumniam, C. de Episcop. & Cler. & in auth. statuimus, eod. tit. Lap. allegat. 126. n. 4. Io. And. in cap. vt famæ, de sent. excomm. Card. in Clem. 1. de offic. delegat. Felin. in cap. si verò, n. 2. de sent. excomm. Clar. q. 28. n. 6. Marant. in specul. p. 4. dist. 11. n. 69. sed etiam à quolibet priuato laico, etiam quòd non sit famulus Curiæ; tunc enim dicitur habere mandatum à lege capiendi malefactorem, Angel. de malefic. in verb. fama publica, n. 65. Bart. in d. l. si quis in seruitute, Clar. loco citato, Felin. loco citato, Farinac. tit. de inquisit. q. 8. n. 122. Viu. commun. opin. in verb. Iudex laicus, non autem, vt puniatur, sed vt tradatur Iudici Ecclesiastico; nam publicè interest, vt delinquens capiatur, ne crimen remaneat impunitum, Sayr. de censur. lib. 3. cap. 27. n. 27. Nauar. in Manual. cap. 27. n. 82. & tunc dicitur in fragranti crimine, quando reperitur in ipso actu delinquendi, vel quando nullus est locus inficionis, vt quia crimen est notorium de facto, cap. fin. de cohabit. cler. & mulier. cap. euidentia, de accusat. glos. 1. in cap. ex literarum de eo, qui dux in matrim. quam polluer. per adulter. glos. 1. in cap. cum non ab homine, de iudic. & ibi Doctores, Carol. de Grass. de effect.

19 cler. effect. 1. nu. 544. item clericus illicitè incedens de nocte potest capi à familia potestatis, vt illum præsentet suo Iudici, Abb. in d. cap. cum non ab homine, num. 15. de iud. Hinc est, quòd cum non liceat clericis arma ferre, cap. clerici, il 1. de vit. & honest. cleric. arma enim clericorum sunt lachrymę, & orationes, cap. conuenior 23. q. 8. cap. porrò, vbi glos. 16. q. 4. si clericus fuerit inuentus cum armis prohibitis potest capi à familia Iudicis laici, & statim duci ad Iudicem Ecclesiasticum, Abb. in d. cap. cum non ab homine, Felin. in d. cap. si verò, Viu. loco citato, Couar. variar. resolut. cap. 2. in fin. & practicar. quæst. cap. 33. n. 7. Farinac. loco citato, Bart. in l. capite quinto, ff. ad leg. iul. de adulter. Clar. q. 36. n. 22. sed arma, quibus spoliati sunt clerici, de nocte reperti secundũ Prax. Cur. Archiep. Neap. sunt consignanda Curiæ Ecclesiasticæ in cap. 74. n. 6. contrarium te-

20 net Couarr. pract. quæst. cap. 33. Clar. cap. 36. n. 22. Et nota, quòd Episcopus non potest concedere licentiam clericis ferendi arma; quia cum ipsis sit prohibitus vsus armorum per canones, cap. clerici il 1. de vit. & honest. cler. cap. cleric. 23. q. vltim. Episcopus non potest

contra ipsos dispensare, Archid. in cap. licet canon, de elect. lib. 6. Abb. in cap. cum dilecti, num. 10. de elect. Doctores communiter, in cap. at si clerici, §. fin. de iudic.

21 Nonò notandum est, quòd si clericus vti laicus fuerit inquisitus de aliquo crimine à Iudice laico, carceratus, & postea remissus ad Curiam Ecclesiasticam vnà cum processu, quod Iudex Ecclesiasticus non tenetur stare processui compilato à Iudice laico contra ipsum clericum, sed ad hoc vt possit condemnare, opus est nouo processu, l. fin. C. si non à compet. Iudic. Guid. Pap. decis. 202. n. 6. & decis. 419. n. 1. Dec. in cap. at si clerici, de iudic. Viu. lib. 1. commun. opin. in verb. Iudex laicus, Sbroz. de Vic. Episcop. lib. 2. cap. 129. n. 4. vbi asserit de communi opinione Gram. cons. 42. n. 1. in crim. Clar. q. 36. vers. vltimò quæro, vbi Baiard. in addit. n. 57. Farinac. qui testatur, de communi q. 7. num. 43. nisi processus fuisset formatus contra clericum, qui dimiserat habitum, & tonsuram, Host. in summ. tit. de iudic. §. 3. Calderin. cons. 12. in tit. de for. compet. quia valeret processus, Carol. de Grass. de effect. cleric. effect. 1. n. 234. item esset validus processus, si probationes, & testes de nouo recipi non possent, vt quia testes absentes essent, vel mortui; tunc enim probabit contra clericum, Abb. in cap. at si clerici, n. 14. de iudic. & Felin. n. 13. Ca-
22 pell. Tolosan. decis. 198. Thom. Triuis. decis. 8. n. 6. lib. 2. sed Iudex laicus quando remittit clericum captum ab ipso ad Curiam Ecclesiasticam, debet vti modestia, & vrbanitate, aliàs si remitteret cum ignominia, & verecundia, vt puta sine pallio cum manibus ligatis, vel cum tubis, vel capite detecto, vel simili modo in eius opprobrium, diceretur lędere iurisdictionem Ecclesiasticam, & per consequens incideret in canon. si quis suadente Diabolo 17. q. 4. & cap. nuper, de sent. excomm. Carauit. in Rit. Magn. Cur. Vicar. 235. numer. 6. Sbroz. de Vicar. Episcop. lib. 2. q. 192. num. 30. Clar. q. 36. num. 43. Carol. de Grass. de effect. cleric. effect. 1. num. 1282.

23 Decimò notandum est, quòd constitutus in minoribus ordinibus si expresè renuntiauerit clericatui, non debet vlterius ad clericatum admitti, Maiol. de irregul. lib. 1. cap. 24. num. 3. ratio est, quia nemo est audiendus contra id, quod viua voce approbauit, l. generaliter, C. de non num. pecun. l. sicut, de act. & obligat. cum alijs allegatis per Decian. cons. 2. n. 151. lib. 1. & non datur amplius regressus ad ius, ad quos quis renuntiauit, l. quæritur, §. si venditor, ff. de edil. edict. l. Herenius, ff. de euict. cap. eos Sacerdotes, cap. si illic, & cap. quam periculosum, vbi glos. 23. quæst. 4. glos. in cap. Ecclesia vestra il 2. in verb. adicere, de elect. Dec. cons. 389. num. 10.

Carol.

Carol. de Grass. effect. cler. in præludio, num.398.

24 Duodecimò clericus incorrigibilis potest etiam non præcedente degradatione à iure sęculari puniri, cap. cum non ab homine, de iudic. vt intellexerunt, Io. And. Card. Imol. & Boss. in tit. de for. compet. Foller. in pract. crim. in verb. Audiantur excusatores, num.40. Clar. q. 36. n. 32. Couar. pract. quæst. cap. 32. n. 6. qui dicit, quòd ille dicitur incorrigibilis, si contra eum est seruata forma dicti cap. cũ non ab homine, videlicet. quod clericus primò sit depositus propter aliquod crimen; secundò quod propter incorrigibilitatem sit excommunicatus; tertiò anathemizatus, & si adhuc perseuerauerit in contumacia absq; alia degradatione efficitur de foro sęculari Farinac. tit. de Inquisit. q.8. n.51. quicquid dicat, Boss. loc. citato, n.133. quatenus velit parum esse in practica depositionem, de qua in dicto cap. cũ non ab homine; quia dum Doctores simpliciter dicunt incorrigibilem esse à sęculari iudice puniendum, intelligi debet, seruata forma eiusdem capit. Farinac. loco citato, num.52. vers. Item adde.

25 Tertiodecimò si clericus exerceat officium sęculare sibi commissum à Principe, & in eo delinquit, potest Princeps eum tali officio priuare, & non aliter contra eum procedere, Couarr. pract. quæst. cap.33. n.6. & cap.36. n.21. nec eum punire, glos. Abb. & cęteri in cap. clerici, de iudic. Rot. Roman. decis.839 in antiquis, Roland. consf.4. n.11. Abb. in cap. Sacerdotibus ne cler. vel Monach. vbi ait, quòd licet Pontifex in dicto cap. Sacerdotibus prohibeat clericis, ne sint ministri laicorum, nec in rebus eorum procuratores, sed prohibet clericis, ne officia sęcularia exerceant; & post modum subdit, quòd [illegible]s facere præsumpserint, indignum est eis ab Ecclesia subueniri, per quos constat in Ecclesia scandalum generari; sed vide pro concordia, Carol. de Grass. d. effect. 1. à num.484. vsque ad n.854.

26 Sed quid si clericus esset administrator, tutor, vel procurator laici, coram quo Iudice esset conueniendus? Resp. quod Benedict. in repetit. cap. Raynutius, in verb. vxorem nomine Adelasiam, n.155. de testam. dicit, quòd conueniendus est coram Iudice laico, idem tenet Socin. in rubric. de for. compet. n.1. & 15. Gaill. obseruat.37. vbi dicit, quod sicut laicus ratione administrationis rei Ecclesiasticæ sortitur forum coram Iudice Ecclesiastico; ita è contra clericus ratione administrationis, tutelæ laici, conuenitur coram Iudice laico per notat. in cap. iudicatum, dist.89. & ibi glos. in verb. vt in subditis; quia non attenditur persona, quæ conuenitur, sed eorum, quorum nomine conuenitur, vt notat Socc. loco citato: sed vide Thorum in

comp.

compend. decis. Regni, par. 2. verbo Remissio causæ.

27 Duodecimò, an clericus succedens in instantia, lite cępta contra defunct. in foro sęculari sit conueniendus coram suo Iudice Eccles. vel coram Iudice laico, coram quo est cępta lis? Doctores variant, vt est videre apud Felin. in cap. quia, de iudic. vbi Abb. & alij dicunt, æquiorem opinionem esse debere conueniri coram Iudice laico, & ibi prosequi litem iam cęptam, maximè si in ea est lis contestata,
28 cum in iudicio, sit quasi contractum cum defuncto, & iudicium vbi cęptum, ibi finiendum est, l. vbi cęptum, ff. de iudic. & certi iuris est instantiam ad hæredes transire, Soc. regul. 181. Boer. decis. 69. Ias. in auth. quas actiones, numer. 39. C. de Sacros. Eccles. Gaill. obseruat. 37. per tex. in l. hæres absens, ff. de iudic. & l. si cum hominem, ff. de fideiussor. Abb. & Felin. in cap. quia, de iudic. sed alij tenent contrarium in dicto cap. quia, Marant. in specul. part. 5. num. 13. vbi dicit hanc esse magis communem opinionem, Andr. Molfes. in comment. super consuetud. Neap. part. 2. quæst. 8. per tot. vbi ad partes disputat hanc quæst. & concludit hanc vltimam opinionem esse veriorem, quod clericus succedens in lite cum defuncto cępta, debet conueniri coram Iudice Ecclesiastico; ita fuit etiam decisum Romæ die 10. Iunij 1591. vt testatur Seraph. Oliuar. decis. 957. num. 7. Carol. de Grass. d. effect. 1. num. 278. cum seq.

20 Decimoquintò si laicus conuenitur coram Iudice laico, & post cęptam litem contra ipsum, efficiatur clericus, causa agitanda est coram eodem Iudice, & ibi continuari, l. cum quædam puella, ff. de iurisd. omn. l. si quis postea, vbi Bal. ff. de iudic. idem Bal. in l. Offitiales, ff. de Episcop. & Cleric. Cardinal. Alban. in lucubrat. ad tit. in dicta l. si quis postea, num. 1. Paul. de Castr. in l. fin. num. 3. ff. si ex noxal. caus. agat. Abb. in cap. 1. num. 4. de obligat. ad ratioc. Felin. in cap. fin. de constit. & in cap. proposuisti, de for. compet. Specul. in tit. de reo, §. 1. vers. quid si, Anchar. in cap. ea quæ, de regul. iur. lib. 6. Lancilot. de attentat part. 2. cap. 4. limit. 20. num. 16. quia priuilegium superueniens lite pendente non impedit litem in præiuditium alterius, Innoc. in cap. dudum, numer. 13. de elect. Lancilot.
† loco citato, num. 20. De Marinis quotid. resol. cap. 54. num. 4. cum seq. fol. 83. Rouit. super pragm. de Instantia causę nu. 13. cum seqq. in rubr. fol. 355. nisi instantia esset perempta, & etiam si per Principem postea esset iusufflatus spiritus vitæ; tunc enim clericus est remittendus ad Iudicem Ecclesiasticum, si iterum conueniretur super eadem lite; quia instantia perempta perit citatio, & litis contestatio, & quando

& quando reuiuiscit, est noua instantia. Ann. singular. 129. per dicta per Bart. in l. cum lite mortua, ff. iudic. solu. & per Dec. in cap. quid num. 11. ff. de iud. Cagnol. in l. 2. numer. 149. C. de pact. inter empt. & vendit.

30 Decimosextò si clericus fuerit offensus à laico, licet Guid. Pap. decis. 562. num. 4. dicat locum esse præuentioni inter Iudicem Ecclesiasticum, & sęcularem; tamen veritas est, quòd vterque Iudex potest procedere, scilicet Ecclesiasticus ad pęnas spirituales, & laicus ad tẽporales, Scac. de iudic. caus. ciuil. & crim. cap. 12. numer. 13. Clar. q. 36. num. 42. Amad. de Sindic. num. 171.

Decimoseptimò notandum est, quòd in omnibus casibus, in quibus Iudex sęcularis habet cognitionem super rebus clericorum, non potest pro exequutione suæ iurisdictionis ponere manus in personas clericorum, eos carcerando, sed exequutio est facienda per Iudicem Ecclesiasticum, Archid. in cap. 1. de cler. coniug. lib. 6. quem allegat Foller. in addit. ad Marant. dist. 11. num. 59. vers. sexto limita Farinac. q. 8. num. 103. Carol. de Grass. de effect. cler. effect. 1. numer. 773. & 789.

31 Decimooctauò est videndum, si per statutum laicale fuerit impositum, & taxatum pretium rebus venalibus, vt puta frumento, ordeo, oleo, & huiusmodi, an clerici, & personæ Ecclesiasticæ teneantur ad obseruantiam dicti statuti, vel pragmaticæ sanctionis? Et videtur dicendum non teneri ad vendendum frumentum, ordeum, & huiusmodi pro pretio taxato à dicto statuto, sed possunt vendere maiori, & cariori pretio, quàm taxatum est à pragmatica. Et primo adducitur illud S. Thomæ 1. 2. q. 96. art. 4. vbi dicit, quòd leges Principum sęcularium ligant in conscientia, dummodò sint iustæ, ad quarum iustitiam requiritur principaliter, vt sint conditæ ab habente potestatem, sed laici nullam habent potestatem disponendi, de clericis, & eorum bonis, cap. Ecclesia S. Mariæ, de constit. cap. bonè quidem dist. 96. ergo talia statuta, & leges non obligant in conscientia, & hinc est, quòd leges imperiales disponentes de clericis: Ecclesijs, & rebus eorum in tit. C. de Episcop. & cleric. etiam quod fuerunt latæ ad fauorem publicum, & bonum regimen status ciuilis sunt nullæ, & non obligant clericos ex defectu potestatis, vt per omnes in dicto cap. Ecclesia S. Mariæ.

Secundò adducitur, quòd in concernentibus communem vtilitatem, & necessitatem clerici non tenentur stare deliberationi laicorum sine deliberatione Episcopi, vel Papæ, cap. non minus, & cap. aduersus, de immunit. Eccles. per quos textus cessat ratio boni publici;

ci; cum illud relinquatur considerandum superioribus ipsorum clericorum.

His tamen non obstantibus, vera, & communis opinio est clericos esse obnoxios ad obseruantiam pretij taxati per regiam pragmaticam.

32 Primò, quia statuta Principum sęcularium, quæ non repugnat sacris canonibus, vel officio clericali, & quæ ad bonum statutum Reipublicæ sunt vtilia, ab ipsis clericis sunt seruanda, Abb. in dicto cap. Ecclesia S. Mariæ, num. 13. Sot. de iust. & iur. q. 6. art. 7. conclus. 1. Angel. in verb. lex, num. 5. Syluest. in verb. lex. q. 15. Nauar. in Manual. cap. 23. n. 88. Cosm. Philiarch. de offic. Sacerd. p. 2. lib. 3. cap. 2. Molin. de contract. disputat. 364. num. 14. Sayr. in clau. regia lib. 3. cap. 4. numer. 16. & 17. vbi testatur hanc esse communem omnium Doctorum sententiam.

Secundò, quia clerici sunt ciues, & membra Reipublicæ politicæ, & statutum prædictum consulit bono publico, & non repugnat vllo modo statui, & libertati Ecclesiasticæ, sed prouidet necessitati omnium, & maximè pauperum; & si clerici venderent carius suas res quàm laici, magna confusio, & perturbatio in Republica sequeretur, immò scandalum; cum repugnet charitati, quam magis clerici præ oculis habere debent, quàm laici, Graff. lib. 2. cap. 16. num. 12.

Tertiò, quia vendere rem iusto pretio est de iure diuino, & naturali, à quo nulla ratione clerici sunt exempti, Sayr. loco citato, n. 17. & pretium iustum est duplex naturale, & legitimum; naturale est illud, quod communiter currit secundum locorum, & temporum consuetudinem, legitimum est illud, quod declaratur à Lege, Republica, vel ab alio non recognoscente superiorem, Molin. de contract. disputat. 347. & 364. & nemo potest vendere rem suam nisi iusto pretio, & tempore publicatæ regię Pragmaticæ; iustum pretium est illud taxatum à pragmatica, & à dicto iusto pretio clerici non sunt exempti, Molin. & Sayr. locis citatis, vbi testantur de communi omnium Doctorum sententia, & vterque adducit illud Diui Pauli 1. ad Thessalonicenses 4. *Ne quis supergrediatur, nec circumueniat fratrem suum, quoniam iudex est Dominus de his omnibus*, quæ verba Sanctus Anselmus interpetrans dicit: ille supergreditur in negotio fratrem suum, qui maiori vendit, quod minoris est pretij, vel emit minori, quod maioris est; nam omnis venditio, in qua pretium maius notabiliter iusto accipitur, procldubio iniusta capit. 1. & 2. de empt. & vendit. Nauar. cons. 6. de empt. & vendit. etiam dato, quod lex non liget clericos, ratio tamen naturalis ligat,

Arg.

Arg. cap. pastoralis, de fid. instrum. Afflict. in prælud. Constitut. Regn. q.7. numer. 2. Ignat. Lopez in addition. ad pract. crim. Diaz cap. 55. vers. non tamen.

Quartò vẽdere res vltra pretium taxatum à statuto Principis adeò crimen graue est; quod Franc. de Ponte Doctor eximius in tract. de potest. Proreg. tit. 2. §. 5. dicit, quod vendentes alimenta carius, quàm statutum est tempore caristiæ sunt puniendi tamquam violatores pacis, vbi allegat Auendan. de exequend. mandat. Reg. lib. 1. n. 19. Concludo ergo cum communi, & vera Doctorum opinione, quod clericus vendens frumentum, & alias res vltra pretium taxatum à pragmatica, quatenus facit contra iustitiam, tenetur ad restitutionem, & quatenus contra legem diuinam peccat mortaliter, & hæc est communis sententia, quam etiam probauit Andr. Molfes. in tract. de contract. tit. 3. de domin. iurisdit. Regi competen. q. 5. art. 3. n. 35. & in Comment. ad consuetud. Neap. part. 2. tit. 1. q. 7. n. 45. Vinc. de Franch. decis. 9. Viu. decis. 28. Nauar. in Manual. cap. 23. n. 88. Sot. in 4. sentent. dist. 25. q. 2. conclus. 4. benè tamen verum est, quia Ecclesiastici sunt extra laicorum iurisdictionem, non tenentur ad pœnas dictæ pragmaticæ, Surd. cons. 301. num. 39. vol. 3. Viu. dicta decis. 28. & alij per Molfes. loco citato allegati.

Nec obstat in contrarium adducta, & quoad primum Respond. quod verum est, statutum factum à principe sæculari non arrestare clericos, & personas Ecclesiasticas, nam statutum seu lex ciuilis sumit
33 vires à potestate statuentium, cap. à nobis il 1. de sentent. excommun. cap. vt animarum, de constit. lib. 6. l. fin. ff. de iurisdict. omn. iudic. sed intelligitur, & procedit, quando statutum, vel lex ciuilis statuendo loquitur expressè de clericis, & de eis mentionem faciens disponit. Abb. in cap. Ecclesia S. Mariæ, de constitut. n. 12. & ibi Dec. & ob id dictæ leges Imperiales in tit. C. de sacrosanct. Eccles. & de Episcop. & cleric. sunt nullæ quia in ipsis expressè, de clericis, Ecclesijs, & eorum bonis disponunt, Abb. in d. cap. Ecclesia S. Mariæ, n. 10. & ibi omnes, Innoc. in cap. 1. de reb. Eccl. non alien. lib. 6. hinc est, quòd tunc exigentes gabellas à clericis etiam sponte dantibus, incidunt in excommunicationem, quando in impositione gabellæ fuerit imposita etiam clericis: ita quod expressa mentio fiat de eis; secus est, quando fuerit imposita generaliter nulla facta mentione de clericis, quia tunc exigentes à clericis sponte dantibus, non sunt excommunicati, Sayr. in thesaur. consc. lib. 3. cap. 22. num. 10. sed quando statutum, vel lex ciuilis generaliter disponit, & est fauorabilis, & cui canones non contradicunt, habet locum etiam in clericis, Dec. in l. generaliter.

ter, §.cum autem, ff. de instit. & substit. Abb. in d.cap. Ecclesia Sanctæ Mariæ, vt patet de legibus, quæ loquuntur de contractibus, de tutelis, de legatis, fideicommissis, de rei vendicatione, & alijs, quæ de clericis non faciunt mentionem, & canonibus non contradicunt, seruantur etiam à clericis, & personis Ecclesiasticis, Dec. in d. cap. Ecclesia S. Mariæ, n.104. & ratio est, quia leges generaliter promulgatæ, & quæ canonibus non contradicunt, videntur approbatę ab Ecclesia, cap.1. de oper. noui nuntiat. vbi Papa determinat secundum determinationem iuris ciuilis, & materia fauorabilis dicitur, eo quod ad fauorem hominum leges conditę sunt, Arg. l. si quis nec causam, ff. si cert. petat. & ideò, quæ de contractibus, de tutela, de successionibus, de hęreditate, & de alijs, quia principaliter ad fauorem hominum, & gubernationem Reipublicæ factæ sunt, habent locum etiam in clericis, Dec. in d.cap. Ecclesia Sanctę Marię, num. 109.

Nec obstat secundum, quia cap. non minus, & cap. aduersus, de immunit. Eccles. habent locum in casu, de quo loquuntur, & non in alijs casibus, Abb. in dicto cap. non minus, n.4. vbi dicit nota casum, in quo licitè clerici, & Ecclesiæ soluunt collectas, seu contribuunt vna cum laicis in rebus publicis, licet ad hoc non teneantur, & sic ait ibi esse casum specialem, in quo clerici si vellent subuenire necessitatibus laicorum, debent consulere Summum Pontificem.

Sed non facit in casu nostro, in quo Princeps sęcularis potest pro bono publico taxare, seu declarare iustum pretium rebus venalibus, vt supra dictum est, & in hoc libertas Ecclesiastica non lęditur; quia hoc statutum habet in se naturalem, & ciuilem ęquitatem, Bal. in cap.1. de alien. feud. sed vide Carol. de Grass. de effect.1. n.266.

34 Est etiam notandum, quod quamuis muri Ciuitatis, fontes, portus, & huiusmodi debeant refici per ciues, pro qua refectione singuli ciues contribuere teneantur iuxta eorum facultates, l. ne splendidissimè, l. omnes, l. turres, C. de oper. public. tamen ad dictam contributionem tenentur etiam contribuere Ecclesiastici; quia hæc contributio, seu collecta imponitur pro communi vtilitate, & necessitate; cum prosit omnibus tàm laicis, quàm clericis, Anchar. cons.96. Specul. tit. de cler. coniugat. Decian. cons.14. num.20. Rolan. cons.2. num.1. Menoch. cons.8. num.3. & sequen. Natt. cons.180. n.6. lib.5. Viu. commun. opin.42. qui alios allegat, dũmodò facultates laicorum non sint sufficientes ad supportanda onera, Bal. cons.406. lib.5. Natt. cons.525. num.5. lib.4. Bero. cons.31. num.14. lib.1. Carol. de Grass. de effect. cleric. effect.3. num.227.

Sed requiritur, quòd clerici faciant hanc contributionem consul-

to prius Romano Pontifice, cap. non minus, & cap. aduersus, de immunit. Eccles. & ibi Abb. n. 18. vbi dicit, quòd si clerici se subijciunt contributionibus inscio Romano Pontifice imprudenter agunt, nisi periculum esset in mora propter imminentem necessitatẽ; tunc enim sufficit solus consensus Episcoporum, cum clero, Carol. de Grass. loco citato, num. 232. cum sequen.

CAPVT XLIV.

De potestate Capituli sede vacante, & de Vicario deputando.

SVMMARIVM.

1 *Capitulum Sede vacante succedit in iurisdictionem Episcopalem.*
2 *Canonici tantum faciunt Capitulum.*
3 *Cappellani, Portionarij, & alij de Clero non possunt interuenire in electione Vicarij Sede vacante.*
4 *Vicarius Capitularis habet eandem potestatem, quam Vicarius generalis Episcopi.*
5 *Vicarius Capitularis non potest conferre beneficium.*
6 *Iurisdictio delegata, an transeat in Capitulum Sede vacante.*
7 *Commissiones, & rescripta Apostolica non committuntur Vicarijs Capitularibus.*
8 *Iurisdictio feudalis non transit in Capitulum Sede vacante.*
9 *Vicarius Capitularis an possit dispensare super irregularitatibus virtute Concilij Trident.*
10 *Delictum quando dicitur occultum, & quando deductum ad forum contentiosum.*
11 *Capitulum habet ius visitandi, & corrigendi.*
12 *Capitulum Sede vacante habet ius instituendi præsentans in iure patronatus.*
13 *Emolumenta iurisdictionis Sede vacante reseruantur Episcopo successori.*
14 *Vicarius Capitularis debet habere salarium de bonis Ecclesiæ vacantis.*
15 *Vicarius Capitularis debet esse Doctor.*
16 *Capitulum Sede vacante potest condere statuta super statu Ecclesiæ, & etiam Sede plena.*
17 *Vicarius capitularis an possit alium substituere.*
18 *Parochus non potest esse Vicarius Capitularis.*
19 *Vicarius Capitularis, an teneatur stare sindicatui.*
20 *Vicarius Capitularis quando potest concedere literas dimissoriales ad ordines.*
21 *Vicarius Capitularis potest approbare de vita, & moribus.*
22 *Capitulum Sede vacante, an possit concedere indulgentias.*

23 *Capi-*

23 *Capitulum an possit amouere, & reuocare Vicarium ab ipso deputatum Sede vacante.*

24 *Literæ Sacræ Congregationis quibus prohibetur amoueri Vicarium à Capitulo deputatum Sede vacante.*

25 *Capitulum an teneatur eligere in Vicarium personam de gremio ipsius Capituli.*

26 *Capitulum Sede vacante an possit facere gratias.*

27 *Capitulum Sede vacante an possit remittere interstitia.*

28 *Capitulum potest deputare Vicarium ad tempus, aliqua sibi reseruare, & cum conditionibus, & limitationibus, vt placuerit ei.*

29 *Vicarius Capitularis si allegaretur suspectus, quid faciendum.*

30 *Iurisdictio ad quem pertinet infra illos octo dies, quibus Capitulum tenetur deputare Vicarium.*

31 *Nullitas opposita contra deputationem Vicarij factam à Capitulo est proponenda coram superiore, & non coram eodem Capitulo.*

32 *Vicarij Capitularis potestas, & iurisdictio quando expirat.*

1 Capitulum sede Episcopali vacante in iurisdictionem Episcopi succedit, cap. his, quæ, cap. cum olim, de maior. & obedient. & ibi glos. cap. si Episcopos, & ibi glos. in verb. spiritualium, de suppl. neglig. Prælat. cap. vnic. de maior. & obed. Panuin. de potest. Capitul. sede vacant. part. 1. q. 1. num. 3. Nauar. cons. 34. de temp. ordinat. & quamuis de iure communi non tenebatur deputare Vicarium sede vacante; sed de per se poterat iurisdictionem exercere, 2 Abb. in cap. irrefragabili, num. 2. de offic. Ordin. Felin. in dicto cap. cum olim, Sbroz. de Vicar. Episcop. lib. 1. quæst. 16. numer. 9. Quarant. in summ. Bullar. in verb. Capitulum sede vacante, num. 1. hodie tamen tenetur infra octo dies Vicarium deputare, vel existentem confirmare, aliàs illius deputatio deuoluitur ad Metropolitanam: & si sedes Metropolitana vacauerit ad suffraganeam antiquiorem, & si Ecclesia fuerit exempta ad Episcopum viciniorem, Concil. Trid. sess. 24. cap. 16. de reformat.

2 Et est notandum, quòd cum Canonici tantum faciant capitulum, & non alij, qui sunt Portionarij, Beneficiati, Capellani, vel quocum-

3 que nomine nuncupentur in cap. prædicto 16. Concilij Trident. cõprehenduntur, nec alij de clero debent interuenire, & habere vocem in electione Vicarij Capitularis, etiamsi dicti Capellani, seu Portionarij de consuetudine haberent vocem in Capitulo cum Canonicis; quia adhuc non dicuntur de Capitulo; nam soli Canonici faciunt Capitulum, Innoc. in cap. 2. de instit. Abb. & Felin. in cap. cum olim, de sent. & re iudic. quia non sequitur, habent vocem in Capitulo, ergo

ergo sunt de Capitulo, Gemin. in cap. fin. de præben. lib.6. & ideò in dispositionibus pertinentibus ad Capitulum, veniunt Canonici soli, & non alij, qui de consuetudine habent vocem in capitulo, Franc. Felin. in dicto cap. cum olim.

4 Vicarius igitur à Capitulo sede vacante deputatus habet eandem iurisdictionem, quam Vicarius generalis Episcopi, & potest vocari generalis, sicut Vicarius Episcopi; quia mortuo Episcopo, vel ad aliam Ecclesiam translato, Capitulum succedit in iurisdictionem spiritualem, & temporalem, cap. vnico, de maior. & obed. lib.6. sed differt in aliquibus.

5 Primò in collatione beneficiorum, quæ Vicarius Capitularis conferre non potest, Abb. in dicto cap. cum olim, de maior. & obed. quia eorum collatio est reseruata Episcopo, cap. vnic. §. cum verò, ne sede vac. lib.6. sed hodie est reseruata Sedi Apostolicæ à die mortis Episcopi vsque ad diem adeptæ pacificæ possessionis Episcopatus per Bullam Pij V. quæ incipit, *Sanctissimus in Christo*. 1567. anno eius tertio publicatam Romæ die 9. Martij, & per Regul. 3. Cancellariæ Apostolicæ Gregorij XV.

6 Secundò in cognitione causarum Vicario Episcopi delegatarum, quas Capitulum exequi non potest, Abb. in dicto cap. cum olim, n.2. Dec. in cap. quoniam Abbas, de offic. delegat. Marant. p.4. dist. 5. n.71. nisi in commissione exprimeretur nomen Diœcesis tantum, verbi gratia Vicario Montispilusij; quia dum sedes vacat Vicarius est officialis illius Diœcesis, nam licet, Clem. 2. de rescript. disponat Vicarios generales Episcoporum esse capaces delegationis Apostolicæ, quæ tantum constitutis in dignitate committi solet, cap. statutum, de rescript. lib.6. tamen idem dicendum est de Vicarijs Capitularibus, qui habent iurisdictionem Episcopalem, glos. in dicta Clem. 2. in verb. Episcopo, & ibi Card. n.15. & Anchar. n.1. & Imol. n.20. Felin. in cap. eam te, de rescript. Sed maior difficultas est, si in commissione diceretur in Vicario Episcopi, Felin. in dicto cap. eam te dicit non posse; quia Vicarius Capituli non est verè Vicarius Episcopi; item, quia Capitulum non potest de ea cognoscere: ergo à fortiori, nec eius Vicarius; nemo enim potest plus iuris transferre in alium, quam ipse habet, cap. nemo potest, de regul. iur. lib.6. quæ ratio non placet; quia nec Episcopus potest cognoscere, & exequi causam commissam eius Vicario, vt supra diximus cap. 21. num. 48. videtur dicendum, quod possit; quia Capitulum non succedit Vicario Episcopi, sed ipsimet Episcopo, & Vicarius Capituli succedit in dignitate Vicarij Episcopi, vt tradit Cardin. in dicta Clem. 2. num. 13.

cum in dicta Clem. dicatur Vicarios Episcoporum esse capaces commissionum Apostolicarum; idem est dicendum de Vicarijs Capituli, quasi verè Vicarij Episcopi, idest habentis iurisdictionem Episcopalem. Veruntamen Felin. in d. cap. eam te sequutus est opinionem glos. in dicta Clem. & si principalis, in verb. Episcopis de rescript. quæ tenet contrarium, vbi idem dicit Imol. Pāuin. de potest. Cap. sede vac. p.2. q.10. n.2. Lambert. de iure patr. lib.2. p.3. art.7. 1.q. nu.3. Sbroz. de Vicar. Episc. lib.1. q.16. num.6. & sequen. Quicquid dicat Thom. Sanchez de matrim. lib.8. disput.27. num.32. & 33. nam in praxi in vtroque casu superius proposito Vicarij Capitulares non
7 exequuntur commissiones Apostolicas. Hinc est, quod dispensationes matrimoniales, delegationes beneficiorum, & aliarum gratiarum, quæ à Sede Apostolica emanant, non cōmittuntur Vicarijs Capitularibus; nam solent committi Episcopis, & eorum Vicarijs vicinioribus, Abb. in dicto cap. cum olim, num.2. nec commissiones causarum, cap. statutum, de rescrip. lib.6.

8 Tertiò in iurisdictione feudali, in quo Capitulum Sede vacante non succedit, glos. in cap. verum, in verb. quæstio mota, & ibi Abb. num.3. & 9. de for. compet.

9 Quartò in dispensatione irregularitatum, & suspensionum, circa omnes casus occultos ad forum contentiosum non deductos excepta irregularitate, ex homicidio voluntario, Concil. Trident. sess.24. c.6. de reformat. super quibus Episcopi possunt dispensare; nam secundum Suarez in tract. de censur. disput.41. sect.2. pag.748. Vicarius Capitularis super dictis irregularitatibus non potest dispensare; quia hæc est potestas, quæ competit Episcopis iure speciali, Concilij Trident. non iure ordinario, & ea, quæ de iure speciali competunt Episcopis non transeunt in Capitulum, vt communiter tradunt Doctores, & præsertim Innoc. in cap. cum in cunctis, n.7. de elect. Abb. in cap. verum, n.9. de for. competen. Sed aliter est dicendum, quia id verum est de ijs, quæ competunt iure speciali delegato; secus si de iure ordinario speciali, vt tradunt Abb. in dicto cap. verum, n.9. & Felin. in cap. eam te, n.17. de rescript. Sed hæc potestas competit Episcopis iure ordinario speciali; potestas enim competens non personę, sed dignitati perpetuo, vel officio, est ordinaria, maximè quia in eo decreto 6. Concilium non dicit, vt id competat Episcopis tamquam Apostolicæ Sedis delegatis, quo casu licet potestas competens dignitati, vel officio in perpetuum sit delegata, vt communiter dicunt Doctores per glos. fin. in cap. ad abolendum, de hæretic. & ibi Abb. n.15. & non transeat in Capitulum tamquam delegata; tamen si alias

iure

iure ordinario competeret Episcopis transibit in Capitulum non quatenus delegata, sed vt ordinaria, sicut in Concilio Trident. sess. 22. cap. 8. de reformat. disponitur, vt Episcopi tamquam Apostolicę Sedis delegati compellãtur exequi testamenta; & tamen quia id poterant iure ordinario ante Concilium, per tex. in cap. 3. de testam. transit ea potestas in Capitulum, poterit ergo Capitulum Sede vacante exercere, & exequi, quæ in dicto cap. 6. Concilij Trident. competunt Episcopis, Henriq. in summ. cap. 16. §. 1. Garz. de benefic. p. 5. cap. 7. num. 41. Sayr. decis. 31. de temp. ordinat. quem refert Ricc. in collect. decis. 3. collect. 721. vers. tertiò dubitatur, Sanch. de matrim. lib. 8. disp. 2. num. 10. verumtamen Vicarius constitutus à Capitulo non potest dispensare sine speciali mandato, Panuin. de potest. Capit. Sede vacant. p. 2. q. 10. n. 7. Et cum in dicto cap. 6. Concilij dicatur, quod liceat Episcopis dispensare in irregularitatibus occultis, & non deductis ad forum contentiosum, notandum est, quod de-
10 lictum occultum est illud, quod non est publicum, etiam si ab aliquibus sciatur, Nauar. in Manual. cap. 27. num. 250. Maiol. de irregular. lib. 5. cap. 51. num. 4. Tolet. in summ. lib. 1. cap. 89. n. 5. Viual. in Candelab. aureo tit. de irregularit. nu. 315. Sanch. de matrim. lib. 2. disp. 37. n. 11. & lib. 8. disp. 34. n. 55. alij dicunt occultum illud dici, quod non potest probari; quia ita censuit Sacra Congregatio, vt dicit Garz. de benefic. p. 7. cap. 11. n. 46. Graff. lib. 1. decis. cap. 13. n. 45. Et delictum deductum ad forum contentiosum est, quando reus fuit citatus, Alex. Paul. & Ias. in l. postquam liti, C. de pact. vbi dicunt, quod iudicium à citatione incipit, vide Prax. Cur. Archiep. Neap. cap. 67. n. 5. vbi ait non sufficere solam informationem captam per Curiam, si Curia non procedit contra inquisitum, nec ipsum citat.

11 Quintò in visitatione, quia licet Capitulum Episcopali Sede vacante succedit in iure visitandi, Abb. in dicto cap. cum olim, de maior. & obedient. (sed non quando de proximo speratur aduentus successoris, secundum Felin. in dicto cap. cum olim) cum visitatio competat iure ordinario Clem. attendentes, de stat. monach. tamen non habet potestatem visitandi Monasteria, & loca exempta, quæ visitat Episcopus, & eius Vicarius authoritate Apostolica, Concil. Trident. sess. 7. cap. 8. de reformat. & sess. 24. cap. 9. de reformat. Clem. 2. de stat. monach. & Abb. in dicto cap. cum olim, & sic in correctione, in qua quamuis habeat iurisdictionem procedendi, tamen illam habet iure ordinario, sed Vicarius Episcopi procedit omni appellatione remota, & tamquam Apostolicę Sedis delegatus, Concil. Trident. sess. 24. cap. 10. de reformat.

12 Sextò Capitulum Sede vacante succedit in iurisdictionibus Episcopo iure ordinario competentibus, non autem de iure speciali, vt supra dictum est, Abb. in cap. verum, de for. compet. Felin. in dicto. cap. cum olim; & licet etiam non transeat in capitulum ius conferendi beneficia, vt supra, tamen transit in ipsum ius instituendi præsentatos ad beneficia de iure patronatus dicto cap. cum olim, & Abb. in cap. authoritate, num. 8. de institut.
13 Septimò, & si Capitulum Sede vacante habeat iurisdictionem Episcopalem; non tamen emolumenta ex ipsa iurisdictione prouenientia, sed reseruantur Episcopo successori, Clem. statutum de elect. sed in Regno Camera Apostolica sibi appropriat durante Sede vacante, & emolumenta, intelliguntur etiam compositiones, & pęnæ pecuniariæ, Felin. in cap. irrefragabili, de offic. ordin. Sed hodie huiusmodi mulctæ assignantur locis pijs, Concil. Trident. sess. 25. cap. 3. §. in causis verò iudicialibus, de reform. cuius decreti authoritate Vicarius Capitularis id statim exequi potest; & ex dictis emolumentis deducendæ sunt expensæ rationabiles, & necessariæ pro carta, cera, Ministris Curię, & similibus, & salarium Vicarij, vt infra, glos. in dicta Clem. statutum, in verb. expensæ.
14 Octauò Vicarius Capitularis debet habere salarium ex bonis Ecclesiæ vacantis, glos. in dicta Clem. statutum, in verb. expensę; quia nemo tenetur suis stipendijs militare, cap. iam nunc 28. q. 1. cap. cum ex officijs, de præscript. etiam si Vicarius sit Canonicus, vel alias de gremio ipsius Ecclesiæ, quia illud salarium est pro labore, quem exercet, vt expressè firmat Cardinal. in dicta Clem. statutum, Iacob. Sbroz. de Vic. Episcop. lib. 1. q. 55. numer. 7. Panuin. de potest. cap. Sede vac. p. 2. q. 10. n. 5. & ita declarauit Sacra Congregatio Concilij his verbis: Congregatio Concilij censuit emolumenta tempore vacationis Sedis Episcopalis obuenientia ex iurisdictione, & sigillo, aut alias vndecumq; quæ ad Episcopum Ecclesiæ non vacante pertinuissent, ad Capitulum minimè spectare, nisi Apostolico priuilegio illi concessa fuissent, sed debere futuro Episcopo reseruari; ex his tamen emolumentis deducendum esse rationabile salarium Vicario constituendum, & persoluendum, quòd si ex priuilegio Apostolico Capitulo competerent, non posse Canonicos, si Regulares sint, eo quod tria vota emiserint inter se diuidere.
15 Nonò Vicarius Episcopi potest esse non Doctor, secus Vicarius Capitularis, qui debet deputari Doctor, & aliàs deputatio erit nulla, & si Episcopus demortuus reliquit Vicarium non Doctorem, Capitulum non debet illum confirmare, sed alium, qui sit
Doctor

Doctor eligere, Concil. Trident. sess. 24. cap. 16. de reformat. sed si in Capitulo non extat Doctor, potest deputare alium qui sit idoneus: ita declarauit sacra Congregatio Concilij, his verbis: Congregatio Concilij censuit, existentibus Doctoribus in Capitulo, necessariò vnum ex illis esse eligendum, alioquin deputationem ad Metropolitanum deuolui, sed in casu, quo Vicarius non sit Doctor, potest Capitulum in ipso actu deputationis dare ei consultorem Doctorem sibi benè visum: alioquin poterit ipse Vicarius eligere Doctorem consultorem partibus non suspectum in casibus, in quibus eo opus erit, Quarant. in summ. Bullar. in verb. Capitulum sede vacante, num. 3. vers. in casu verò.

16 Decimò Capitulum tàm sede vacante, quàm plena potest condere statuta super statu Ecclesiæ, & super rebus pertinentibus ad ipsum Capitulum, etiam sine consensu Episcopi, puta qualiter Capitulum debeat congregari, vel distributiones diuidi, quæ quotidianæ dicuntur, vel massa grossa, seu communis, Innoc. in cap. consuetudinis, & ibi Abb. de consuetud. Sbroz. de Vicar. Episcop. lib. 2. q. 158. n. 6.

17 Vndecimò Vicarius Capitularis non potest alium substituere, nisi ad modicum tempus, & ex vrgenti, & magna causa, ac non nimis frequenter, Host. in cap. clericos, de offic. Vicar. Card. in Clem. vnic. eod. quæst. 19. vel nisi haberet mandatum speciale à Capitulo, vt possit alium substituere cum clausula, quem ex nunc prout ex tunc nos substituimus. Et si Vicarius infirmitate detentus esset, vel alio legitimo impedimento occupatus, posset de consensu tamen ipsius Capituli causas tunc pendentes alteri delegare, Pauin. de potest. Capit. sede vac. p. 2. q. 10. sed si Capitulum vellet durante infirmitate alium Vicarium deputare; posset vtique facere, Quarant. in verb. Capitulum sede vacante, num. 10.

18 Duodecimò ille, qui est Parochus, & habet curam animarum non potest esse Vicarius Capituli Episcopali sede vacante; nam ita sacra Cõgregatio super negotijs Episcoporum deputata rescripsit Archiepiscopo Surrentino. vt refert Quarant. in verb. Capitulum sede vacante, num. 15. vers. Item est obseruandum circa finem.

19 Decimotertiò Vicarius Capitularis tenetur stare sindicatui, & reddere rationem suæ administrationis Episcopo successori, etiam si illam reddidisset Capitulo, & ab eo, vel ab eius deputatis obtinuisset absolutionem; aut liberationem, Concil. Trident. sess. 24. cap. 16. de refor. In Vicario autem Episcopi consuetudo est in contrarium, vt statuit, & mandauit Gregorius XIII. obseruari pro Vicario Tarentino in litteris Apostolicis in forma Breuis incip. *Quoniam in Ecclesia Dei*,

sub data Romæ sub annulo Piscatoris die 2. Maij 1579. vbi leguntur hæc verba: Statuimus, & mandamus, quòd de cętero Vicarij, & officiales, siue generales, siue particulares, etiam foranei nuncupati per eundem Arch episcopum, siue eius pro tempore successores in dicta Ecclesia Tarentina, siue eius Diœcesi deputati, vel deputandi ad aliquem sindicatum nullo modo teneantur, aut sub quouis respectu sint obnoxij, &c. Et licet in hoc casu Summus Pontifex statuat pro Ecclesia Tarentina, tamen lex communis est; quia Papa siue alius Princeps, quando ad consultationem alicuius respondet, quamuis dirigat verba ad casum consulentis, tamen censetur condere ius commune, glos. in cap. ex tua in verb. consultationem, de fil. presbyt. & glos. fin. in cap. consultationi, de temp. ordin. quas approbat Cardin. in Clem. fin. de præbend. Abb. in cap. venerabili, de iudic. & in cap. fin. de iuram. calumn. & in cap. pastoralis, de except. & in cap. si diligenti, de for. compet. & in cap. cum simus, de regular. Felin. in cap. 1. num. 17. de constit. & est tex. in cap. ex multa, de voț. & vot. redempt. & in hoc Papa se confirmauit generali consuetudini, quòd Vicarij non dant sindicatum; quia de iure aliter esset dicendum; quicumque enim suscipit administrationem alicuius muneris, tenetur regulariter reddere rationem iuxta illud Euangelij, redde rationem villicationis tuæ, cap. qualiter, & quando, de accusat. Panuin. de potest. Capit. Sed. vacant. p. 2. q. 8. Iacob. Sbroz. de Vicar. Episcop. lib. 3. q. 52. tenent de iure Vicarios Episcoporum esse obnoxios ad reddendam rationem officij.

21 Decimoquartò Capit. Sede vacante de iure ante Concilium Trid. poterat concedere litteras dimissorias ad ordines suscipiendos, cap. cum nullus, de temp. ordin. lib. 6. sed hodie, Concilium Trid. sess. 7. cap. 10. & sess. 23. n. 10. de refor. prohibet per annum à die vacationis Sedis Episcopalis sub pęna interdicti quoad Capitulum, & quoad ordinatos, si in minoribus ordinibus constituti fuerint nullo priuilegio clericali præsertim in criminalibus gaudere possint; in maioribus autem ab exequutione ordinum ad beneplacitum futuri Pręlati, sint ipso iure suspensi; & sic etiam sunt suspensi per annum ab officio, qui succedunt loco Capituli, si dictas litteras concedunt, dicto cap. 10. sess. 23. Nauar. cons. 28. de tempor. Ordin. quod intelligitur etiam in litteris concessis ad primam tonsuram per glos. in cap. 1. in verb. clericum, de temp. ordin. lib. 6. Maiol. de irregular. lib. 4. capit. 2. Quarant. in verb. Capitulum sede vacante, vers. decimò quæro, nisi occasione beneficij recepti, vel recipiendi ordinem requirentis dicto cap. 10. sess. 7. Quarant. loco citato in fine. Verum si quis haberet

con-

concessionem à Sede Apostolica recipiendi ordines à quocumque Episcopo, potest Vicarius Capitularis approbare, de vita, mor. & doctrina, Nauar. cons. 27. de temp. ordin.

22 Decimoquintò Capitulum sede vacante potest concedere indulgentias secundum Calderin. id latè probantem in cap. nostro, de pœnit. & remiss. ea ratione, quia indulgentiarum concessio est iurisdictionis, in quam transit Capitulum; cum non ad ordines, sed ad iurisdictionem pertineat, Nauar. de indulgent. notab. 31. num. 6. sed hęc opinio redditur dubia; quia quamuis concessio indulgentiarum sit potius iurisdictionis, quàm ordinis; tamen hæc iurisdictio est concessa dignitati Episcopali per tex. in cap. accedentibus, de excess. prælat. & ita communiter tenent Doctores Quarant. in verb. Cap. sede vac. vers. duodecimò, & ita obseruatur, & de isto articulo ad quem spectat concedere indulgentias vide S. Thom. in quæstionibus additis ad 3. part. quæst. 26. per totam, & Sot. lib. 4. sentent. dist. 21. qu. 1. art. 4.

23 Sed quæro, an Capitulum possit amouere Vicarium per ipsum sede vacante deputatum? Resp. secundum S. Anton. part. 3. tit. 19. §. 2. in fin. quod potest, vbi dicit ipsum ita consuluisse Paduæ, idem tenet Panuin. de potest. Capit. sede vacant. p. 2. q. 10. num. 7.

Sed hodie aliter fuit determinatum, & dispositum per Sacram Congregationem super negotijs Episcoporum præpositam, & plurimis Capitulis rescriptum, vt nequeant amouere Vicarium sine causa approbanda ab ipsa Sacra Congregatione, quæ in tali casu certiorari debet, alioquin reuocatio, & amotio est nulla, Quarant. in verb. Capitulum Sede vacante, num. 3. in fin. & ita in facti contingentia dicta Sacra Congregatio rescripsit Capitulo Acheruntino, per quod fuerat amotus Vicarius per ipsum electus Archiepiscopali Sede vacante, quarum literarum tenor est sequens.

24 *Alli Reuerendi Signori D. Lelio Potenza Vicario Capitulare, e Canonici, e Capitolo di Cerenza. Appresso à quanto vi è stato vltimamente scritto intorno l'elettione, ch'era seguita in persona di voi D. Lelio per il Vicariato, & sopra l'alteratione, & noua elettione, ch'era seguita in persona di D. Fuluio. La Santità di N. S. alla presenza del quale s'è trattato in Congregatione, che la sodetta prima elettione fatta in persona di voi D. Lelio Potenza debba restar ferma, & valida; e che non sia stato lecito al Capitolo di rimouerui senza causa, & hà commandato, che non si lasci innouare per l'auenire in questa materia del Vicariato nissun altra cosa senza licenza di questi miei Illustrissimi Signori, & così voi come il Capitolo douete esequire senza replica, & state sani. Di Roma 24. d'Agosto 1603. Al piacer vostro. Il Cardinal. di Firenze.*

25 Item quæro, an Capitulum teneatur eligere personam de gremio ipsiusmet Capituli in Vicarium? Resp. non teneri de necessitate, sed si adesset idoneus cæteris paribus esset præferendus ille, qui est de gremio Capituli; ita censuit Sacra Cougregatio Concilij, Quarant. in verb. Capitulum Sede vacante, num. 6.

26 Item quæro, an Capitulum Sede vacante possit facere gratias, & etiam remittere pęnas condemnatis per Episcopum præmortuum? Respond. affirmatiuè; ratio est, quia Capitulum succedit in omnibus, quæ sunt contentiosæ, & voluntariæ iurisdictionis, Abb. in cap. cum olim, de maior. & obedient. Ricc. in prax. decis. 357. licet aliqui dicant, quòd Episcopus non potest facere gratias, Diaz. in pract. crimin. Canon. cap. 137. n. 2. Foller. in prax. Canon. crimin. in verb. & si confessi, vel conuicti, n. 122. nam veritas est, quòd potest facere gratias, & indistinctè Episcopi faciunt gratias de omnibus delictis non solùm de consuetudine, sed etiam de iure, Abb. in cap. nisi specialis, in fin. de offic. legat. Prax. Cur. Archiepisc. Neapol. cap. 57. in addit. si ergo potest Episcopus, item, & Capitulum, Ricc. in dicta decis. 357. vbi dicit, quòd Capitulum Neapolitanum vacante Sede Archiepiscopali ob mortem Cardinalis de Acquauiua aggratiauit multos pro varijs delictis condemnatos.

27 Item quæro, an Capitulum possit remittere interstitia ordinandis, & super eis dispensare, sicut Episcopus virtute Concilij Trident. sess. 23. cap. 11. de reformat. Resp. affirmatiuè, quia Sacra Congregatio eiusdem Concilij respondit his verbis: Sacra Congregatio censuit facultatem remittendi interstitia Episcopo competentem ex causis compræhensis in cap. 11. 13. & 14. sess. 23. de reformat. transire ad Capitulum Sede vacante.

28 Et notandum est, quòd cum iurisdictio Vicarij Capitularis dependeat ab ipso Capitulo, potest Capitulum illam limitare, & ampliare, ex quo ipsa iurisdictio residet principaliter pęnes Capitulum, & non transfertur in Vicarium, nisi exercitium iurisdictionis tantum; hinc sequitur, quòd potest Capitulum in deputatione Vicarij aliqua sibi reseruare, & potest limitatè deputare Vicarium ad certum tempus, vt puta ad quatuor, vel quinque menses, vt sibi placuerit, Panuin. part. 2. quæst. 10. num. 6. Quarant. in verb. Capitulum sede vacante, num. 9. vbi dicit, ita fuisse declaratum per Sacram Congregationem Concilij pro Capitulo Salerni.

29 Est etiam notandum, quòd si Vicarius Capitularis fuerit ab aliquo allegatus suspectus, Capitulum debet eligere arbitros ad cognoscendum de suspicione, qua cognita, & militante, causam à Vicario

auser-

auferre, & alteri committere, Quarant. loco citato, num.5. qui dicit Sacram Congregationem ita censuisse; vel ipsummet Capitulum cognoscere potest, sicut Episcopus potest cognoscere causas suspicionis sui Vicarij, absque electione arbitrum, cap. si contra, vbi Anchar. de offic. delegat. lib.6. Host. in cap. legitima, de appellat. Gemin. in cap. non putamus, num.7. de consuetud. Ias. in l. apertissimi, C. de iudic. Redoan. de reb. Eccles. non alien. q.22. cap.3. num.27. Bal. in l.1. in fin. C. si quęcumque præd. dig. & alij allegati per Sbroz. de Vicar. Episcop. lib.3. q.16. num.1.

30 Notandum est quoque quòd licèt in verb. Capitulum sede vacante, Quarant. n.2. putet, vt interim quòd à Capitulo sede vacante, de Vicarij electione facienda infra illos octo dies à Concilio concessos, Capitulum debere administrare iurisdictionem; tamen contrarium credo esse verum, & quod ad Archidiaconum spectet dicta iurisdictio, cum ipse sit ipso iure Vicarius, cap. 1. & cap. ad hæc, de offic. Archid. & de iure habet iurisdictionem ordinariam, glos. in cap. perlectis, in verb. iurgia, dist.25. nec obstant, quòd dicta iura loquantur sede plena; quia per mortem Episcopi, ea, quæ Archidiacono de iure competunt, ei non auferuntur, Sbroz. de Vicar. Episcop. lib.1. q.61. Abb. in cap. dilecto, nu.7. de offic. Archid. Foller. in Constitut. Regni incip. *Ad audientiam nostram*, n.75. vbi dicit, ita seruatum fuisse Salerni per Capitulum tempore sedis vacantis ob mortem Cardinalis Seripandi Archiepiscopi, quòd Archidiaconus exercuit iurisdictionem, donec à Capitulo fuit Vicarius deputatus; & hoc non sine maxima ratione; cum experientia visum sit, quòd in principio sedis vacantis multi improbi, audaciores fiunt, & absque Dei, & iustitiæ timore, confisi quòd non sit, qui carceribus, & alijs legitimis prouisionibus eorum audaciam coerceat, & refrenet; cum Capitulum non possit statim se congregare, & malo occurrere, multa scelera, & crimina perpetrare non verentur; & exinde perturbationes multę oriuntur, & scandala, quibus omnino obuiandum est, Clem. 1. de offic. Ordin. etiam si leuia, & pusilla sint, cap.2. de nou. oper. nunt. & ad euitanda scandala à iure recedi potest, cap. non potest 23. q.4. & Clem. 1. de pęn. Ad obuiandum ergo insolentijs, quæ euenire solent, antequam per Capitulum Vicarius deputetur Archidiaconus, qui primam dignitatem, & locum primum in capitulo obtinet, potest legitime iurisdictionem exercere, salua tamen decisione Sacræ Concilij Congregationis.

31 Si autem aliquis dixerit, de nullitate deputationis Vicarij Capitularis, vt quia obijcerit, quòd non omnes Canonici fuerunt vocati,

nec

nec audiri, vel aliquid aliud, nullitas non potest proponi coram eodem Capitulo, sed coram Superiore Capituli, per quem si electio fuerit declarata nulla, & irrita, potest Capitulum iterum se congregare, & deuenire ad Vicarij deputationem: ita Sacra Congregatio super causis Episcoporum præfecta scripsit Archiepiscopo Surrentino, refert Quarant. in dicto verb. Capitulum sede vacante in fine.

32 Demum notandum est, quòd potestas, & iurisdictio Capituli expirat, statim quòd sedes cessat esse vacans; & est tunc, quando nouus Episcopus adeptus est possessionem Episcopatus, Panuin. p. 2. quæst. 10. num. 19. Hostien. in cap. cum olim il 1. de restitut. spoliat. & non sufficit, quòd Episcopus sit electus; quia Episcopo nominato non licet Vicarium mittere, Abb. in cap. qualiter, de elect. & vt Capituli cesset potestas, necesse est, quòd capiatur possessio Episcopatus cum Bullarum ostensione, Quarant. loco citato, num. 13. quia sedes Episcopalis intelligitur semper vacare, donec litteræ Apostolicę Prælati præsentatæ fuerint Capitulo extrauag. iniunctæ, de electio. & potest Vicarius Capitularis continuare exercitium iurisdictionis, donec nouus Pręlatus adeptus fuerit possessionem. Nec obstat, quòd Paris. in tract. de resignat. lib. 7. q. 23. teneat, cessare vacationem per prouisionem factam, de nouo Prælato, & literis expeditis; & testatur ita fuisse resolutum in Rota Romana die 28. Iunij 1583. quia à dicta decisione fuit recessum, de mense Iulij eiusdem anni 1583. in eadem causa, vt refert Gonzalez super Regula octaua Cancellariæ, glos. 15. §. 2. n. 88. & ita communiter obseruatur.

CAPVT XLV.

De Bigamis.

SVMMARIVM.

1 *Bigamus est irregularis.*
2 *Bigamus quis propriè dicatur.*
3 *Bigamia quid est.*
4 *Bigami quare non debent promoueri ad ordines.*
5 *Bigamia est triplex.*
6 *Bigami patiuntur nonnullas pœnas.*
7 *Bigamus non potest esse Vicarius Episcopi in spiritualibus.*
8 *Dispensare quis potest cum bigamis.*
9 *Episcopi in qua bigamia possunt dispensare.*
10 *Episcopi an possint dispensare ad ordines minores cum bigamis.*

11 Fama

11 *Pœna Episcoporum dispensantium cum bigamis.*
12 *Irregularitas prouenient ex bigamia, & ex defectu natalium non tollitur per baptismum.*

1 BIgami cum sint irregulares non possunt ad ordines Ecclesiasticos ascendere, tot. tit. de bigam. & cap. vnic. eod. tit. lib.6. cap. acutius: & ibi glos. in verb. bigamos, dist.26.& bigamus dicitur
2 à bis, & gamos grçcè, quod latinè dicitur vxor; & sic ille, qui habuit duas vxores, est bigamus, glos. in cap. vna tantum, in verb. bigamus,
3 dist.26. & bigamia est defectus ex secundis nuptijs prouenienς, siue secundum Nauar. in Manual. cap.27. num.199. est status coniugati cum duabus coniugibus, siue ante, siue post baptismum ductis.
4 Bigami non possunt ordines Ecclesiasticos suscipere; Primò, quia coniugatus non aptè significat vnionem Christi cum Ecclesia vnica sponsa, Nauar. loco citato, D. Anton. p.3. tit.28. cap.3. Syluest. in verb. bigamia. Tabien. eod. Secundò, quia excellentia Sacramenti Ordinis hoc meretur, Nauar. vbi supra. Tertiò, quia est signum incontinentiæ, ex quo mortua vxore aliam ducit, cap. proposuisti, dist.82. Quartò, quia committit authoritatem persuadendi alijs castitatem; non enim potest esse hortator continentię, qui coniugia frequentat, dicto cap. vna tantum, dist.26.
5 Est autem bigamia triplex, vera, interpretatiua, & similitudinaria, glos. in cap.2. de bigam. non ordin. Nauar. in Manual. cap.27. n.195. & consil.1. de bigam. Specul. tit. de dispensat. §. iuxta num.6. Vera est eius, qui habuit duas vxores virgines, cap. debitum, de bigam. quamuis vtramq; vel alteram, antequam esset Christianus, habuisset, cap. deinde, & cap. acutius, dist.26. Interpretatiua est eius, qui contraxit cum vidua, vel corrupta, & eam cognouit, vel cum virgine ab alio corrupta, etiam si bona fide credebat eam fuisse virginē, Doctores in cap. curandum, dist.34. Cardin. in Clem. cum ex eo de sentent. excomm. D. Anton. p.3. tit.29. de irregular. Angel. in verb. bigamia, Maiol. lib.1. de irregular. c.33. n.4. & expresè glos. in cap. nemo ad Sacrum, in verb. virgo, cuius ratio est, quia irregularitas nō est pęna inflicta pro culpa, sed propter defectum significationis Sacramenti; & ideò etiam præter voluntatem contrahi potest, Sayr. de censur. lib.6. cap.4. num.11. vel si contraxit cum vna validè, & cum alia inualidè, vel cum duabus inualidè, Nauar. loco citato. Similitudinaria est eius, qui Sacris ordinibus initiatus, vel solemni voto astrictus contraxit cum vnica, & consumauit, licet sit virgo, cap. quotquot 27. q.1. & cap. fin. de bigam. non ordin.

6 Licet

6 Licet autem bigamia aliquando contrahatur absque peccato, tamen si clericus in minoribus ordinibus constitutus efficiatur bigamus patitur nonnullas pęnas; & primò priuatur omni priuilegio clericali, cap. vnic. de bigam. lib.6. ita vt nec cap. si quis suadente Diabolo 17. q.4. nec fori priuilegio gaudere potest, cap.2. de for. compet. lib.6. Secundò priuatur tonsura, & habitu clericali, dicto cap. vnic. vbi sub pęna excommunicationis bigamus prohibetur deferre habitum, & tonsuram clericalem. Tertiò est incapax beneficij Ecclesiastici, Alfons. Viual. de irregular. bigam. n.28. Sayr. de censur. lib.6. cap.5. n.9. nec etiam si contraxit cum vnica, & virgine admittitur ad beneficium obtinendum, cap.1. & 2. de cler. coniugat. & si antea possidebat beneficia Ecclesiastica, illa statim perdit etiam simplicia, c.1. & ibi glos. in verb. relinquenda, & Abb. n.4. & c. cum decorem, vbi glos. in verb. dimissis, & Abb. de cleric. coniugat. Nauar. in Manual. cap.25. num.120. vers. vndecimò, vbi testatur de communi Diaz in pract. canon. crimin. cap.74. Sed constitutus in sacris contrahens matrimonium per verba de præsenti, non admittit beneficium ipso facto: sed necesse est, quod priuetur per sententiam, glos. in cap.1. in verb. dimittere, de cler. coniugat. communiter recepta, Nauar. in Manual. cap.25. num.120. quia bigamus similitudinarius cum reperiatur in statu, & ordine, quem dimittere non potest, priuatur executione ordinum dicto cap. vnico, de bigam. lib.6. & cap. quisquis, dist.84. sed percutiens bigamum similitudinarium excommunicatio-
7 nem incurrit, Sayr. de cens. lib. cap.5. num.3. item bigamus non potest esse Vicarius Episcopi in spiritualibus, Abb. in capit.2. de cler. coniugat. num.2. Felin. in cap. decernimus, num.6. de iudic. Sbroz. de Vicar. Episc. lib.1. q.31. num.5.

8 Quo verò ad dispensationem bigamiæ Papam dispensare posse ad omnes ordines, etiam Pontificales, non est dubitandum; quia ista irregularitas, sicut omnes aliæ, est de iure humano inducta, glos. in cap. lector, dist.34. in verb. fiat, Angel. in verb. bigamia, n.8. Tabien. verb. eodem, Nauar. in Manual. cap.27. n.197. vers. quintò dico. Diu. Anton. part.3. tit.29. cap.3. quamuis enim Papa facere non possit, de bigamo non bigamum, quia tamen bigamum non promoueri ad ordines, est ex statuto, & ordinatione Ecclesiæ: potest cum eo dispensare, reiecta opinione aliquorum, qui dicunt, quod bigamus sit irregularis de iure diuino, vt Socin. in cap. ad audientiam, de homicid. & alij, quos refert Innoc. in cap. nisi cum pridem, §. personæ verò, de renuntiat. & abducunt illud Diui Pauli ad Timoth.3. scilicet, vt presbyter sit vnius vxoris vir; quasi dicat, si vxoratus sit, saltem

rem non vxoratus cum duabus: tamen alij omnes dicunt solum esse de iure positiuo, Host. & Abb. in d. cap. nisi cum pridem, §. personæ verò, nu.19. Anchar. consl.123. D. Anton. part.3. tit.29. cap.3. in fin. Syluest. in verb. bigamia quæst.6. Tabien. verb. bigamia, numer.6. §. septimo, Nauar. in Manual. cap.27. num.197. vers. quintò dico, Maiol. lib.1. cap.3. num.14. ratio est, quia quamuis hæc constitutio ab Apostolis edita sit, non tamen sequitur, vt sit de iure diuino, dicit enim Sot. 4. dist.27. q.3. art.1. quod Apostoli non solum erant Apostoli, sed etiam Rectores Ecclesię, & Pastores, sicut modo sunt Summi Pontifices, vnde quatenus Apostoli vtebantur spiritu prophetico, quo Sacram Scripturam condebant, sed quatenus Pastores, & Ecclesiarum Rectores, & Prælati, statuebant aliquas leges, vt Act. cap.15. & dabant consilia, vt 1. ad Corinth. *Præceptum Domini non habeo, consilium autem do, & Episcopum debere esse hospitalem, pudicum, non vinolentum, &c.* non tamen hæc omnia sunt de iure diuino, & alia, pro vt est hoc, de quo agitur, vt scilicet minister Dei, & Sacramentorum vnius tantum vxoris vir esset; illa autem sunt de iure diuino, quæ à Christo instituta sunt, vel quæ ad fidem pertinent, vel ad necessitatem, & naturam sacramentorum, Sayr. de censur. lib.6. cap.3. num.20. & sequentibus.

9 Episcopi autem non possunt dispensare, nisi in bigamia similitudinaria, vt si existens in sacris contraxit cum virgine, & aliam vxorem ante in habitu laicali, aut in minoribus non habuerit, Episcopus potest dispensare tum vt in susceptis Ordinibus ministret, tum etiam, vt ad altiores promoueatur, glos. in cap. sanè il 2. in verb. ex indulgentia, & ibi Abb. num.1. & 3. de cler. coniugat. & glos. in cap. primum, in verb. dispensatiuè, & Abb. in c.2. n.5. Qui cleric. vel vouen. Angel. in verb. bigamia, n.9. Syluest. verb. eodem, q.7. in fin. Tabien. verb. eodem, n.6. §. septimò, Nauar. in Manual. c.27. n.197. vers. septimo, Sayr. de censur. lib.6. c.6. n.10. Verum si clericus in sacris contraxit cum corrupta, aut de iure contraxit cum vnicâ, antequam esset in sacris, & de facto cum alia post ordinationem, solus Papa dispensat arg. cap. nuper, de bigam. & est communis Doctorũ sentẽtia, Sayr. loc. cit.

10 Quoad ordines minores inter scribentes varia est opinio, an Episcopi possint dispensare cum bigamis ad ordines minores, nã S. Tho. in 4. dist.27. tenet posse dispensare cum ad exequendum, tum ad suscipiendum ordines minores, hanc opinionem affirmatiuam tenent etiam Host. in summ. tit. de bigam. non ordin. Summa Astensis, p.2. lib.6. tit.7. q.7. Syluest. in verb. bigamia, Tabien. eodem n.6. §. septimo, & multi alij, quos allegat Sayr. de censur. lib.6. cap.6. n.11. in

qua

qua opinione residet etiam Sayr. & alij fuerunt in contraria opinione, quòd non possit, Summ. Pisanella in verb. bigamia, §. penult. Angel. verb. eodem, n.8. Couar. in Clem. si furiosus, § 2. n.4. de homicid. Io. Andr. & Anchar. in cap. 1. de bigam. lib.6. vbi bonus tex. Nauar. in Manual. cap.27. n.197. vers. sextò dico, & hæc est magis communis opinio, vt Episcopus non possit dispensare super bigamia vera, & interpretatiua, etiam quoad ordines minores, Suarez de censur. disp.49. sect.6. Prax. Archiepisc. Curiæ Neapol. c.93. immò nec Episcopus potest dispensare quoad vsum, & exercitium ordinum minorum antea susceptorum, Concil. Trid. sess.23. cap.17. in fin. de reformat. & tempore Sixti V. fuit hæc quæstio decisa, cui fuit porrecta
11 supplicatio his verbis: An Episcopus sua authoritate ordinaria potuerit cum suo subdito viro bigamo, qui aliàs cum duabus virginibus, & successiuis temporibus, quæ modò defunctæ sunt, matrimonium legitimè contraxerat, & consumauerat dispensare, vt possit primam tonsuram, & beneficia simplicia accipere, neq; eidem conferre, prout contulit; & dato, quòd non potuerit, an aliquas, & quas censuras incurrit tam Episcopus, quàm qui fuit promotus? S. D. N. Sixtus V. ex sententia Congregationis respondit. Quoad primum non posse. Quoad secundum Episcopum esse suspensum à collatione ordinum, itemq; promotum ab ordinum exequutione, beneficiumq; amisisse, & fructus perceptos non fecisse suos, hanc decisionem refert Io. Francisc. de Leone in Thesaur. fori Ecclesiast. p.2. cap.18. num.36.

12 Et nota, quod irregularitas, quæ prouenit ex bigamia non tollitur per baptismum neque ea, quæ est ex defectu natalium; vnde tàm bigami, quàm illigitimi etiam postea baptizati remanent irregulares, Sayr. de censur. lib.7. cap.13. n.3. quia per baptismum tollitur omnis irregularitas proueniens ex delicto tantum, Syluest. in verb. Baptismus 6. q. 2. Tabien. in verb. Baptismus 8. §. octauo post glos. in cap. deinde, in verb. inter peccata, dist.26.

CAPVT XLVI.

De poenis.

SVMMARIVM.

1 *Statuta Prælatorum non debent conuerti ad quæstum pecuniæ.*
2 *Pœnas pecuniarias quando Episcopi imponere possunt.*
3 *Episcopi tenentur ad reparationem Ecclesiæ Cathedralis ex fructibus mensæ Episcopalis.*

4 Epi-

4 *Episcopi quando possunt appropriare pęnas pecuniarias.*
5 *Gioia Dragomannius Ecclesiam Montispilusij optimè gubernauit.*
6 *Pęnæ de iure canonico quæ sint.*
7 *Pęna mitræ, fustigationis, vel verberationis in clericos, an sit in vsu.*
8 *Pęna exilij tàm iure ciuili, quàm canonico est in vsu.*
9 *Iudex an possit relegare extra locum suæ iurisdictionis.*
10 *Clerici an, & quando possunt torqueri.*
11 *Inditia grauiora, & vrgentiora requiruntur tàm in clericis torquendis, quàm laicis.*
12 *Constitutus in dignitate minus punitur quàm alter.*
13 *Pęna mortis est duplex.*
14 *Iudex habet arbitrium mutandi pęnas à iure impositas.*
15 *Pęna contumaciæ quando debetur.*
16 *Contumacia est duplex.*
17 *Clericus non residens qua pęna, & quomodo punitur.*
18 *Pęna indignationis quæ sit.*
19 *Transgressio legis quam pęna meretur.*
20 *Episcopi an possint facere gratiam clericis subditis, & an Barones in Regno.*

1 QVamuis iura canonica videantur prohibere Episcopis imponere, & exigere pęnas pecuniarias; quia de radice cupiditatis, & auaritię prodire videntur, cap. irrefragabili, §. fin. de offic. ordin. vbi habetur, quòd Prælati non debent eorum statuta ad quæstum pecuniæ conuertere, tamen Abb. in cap. vt clericorum, n. 10. de vit. & honest. cleric. dicit communiter per Doctores teneri, posse ab Episcopis pęnas pecuniarias imponi, & exigi, & nouissimè per Concilium Trid. sess. 25. cap. 3. §. in causis verò, de reformat. id approbatum est, ibi per mulctas pecuniarias, quæ locis pijs ibi existentibus eo ipso quòd exactæ fuerint, assignantur. Verùm non ita passim poena pecuniaria imponenda est, sed quando Episcopi viderint alias pęnas
2 paruipendi, & pecuniariam timeri, Paul. Fusch. in familiar. singul. liter. E. n. 25. auaritia enim, vt idolorum seruitus ab Ecclesiasticis est fugienda, cap. auaritiæ, de præben. Concil. Trid. sess. 21. cap. 1. de reformat. & est latentium indagatrix lucrorum, manifestæ prędę vorago, quodq; peius est diuitiæ acquiruntur ab auaris cum labore, custodiuntur cum timore, & deficiunt cum dolore; itaq; Episcopi debent pęnas pecuniarias imponere, quando aliæ ad correctionem, & emendationem nihil proficerent, adhibita tamen cautela, ne in illa imponenda modum excedant, sed peccati qualitatem, & personarum conditionem attendere debent. Vnde si quis pro adulterio publico, vel notoria fornicatione, vel concubinatu dignus suspensione, ex-

com-

communicatione; interdicto, vel alia punitione offerret pecuniam; tunc non liceret Episcopo oblatam pecuniam recipere, quoniam censetur authoritatem præstare, vt possit in tali crimine perseuerare, ideò Prælati puniendi sunt, qui tales criminosos permiserint in suis iniquitatibus persistere spe pecuniæ, cap. prædicto, vt clericorum, §. Prælati verò, de vit. & honest. cler quia aliàs esset dare locum auaritiæ, & non formam correctioni; non enim pertimescit culpam, cum speret quis eam nummis redimere, cap. pauper, 11. q. 3. vbi dicit Isidorus: *Pauper dum non habet, quod offerat, non solum audiri contemnitur, sed etiam contra veritatem opprimitur, citò violatur auro iustitia, nullamque reus pertimescit culpam, quam redimere nummis existimat.* Vnde quando ex vrgenti causa pęnæ sunt imponendæ, illæ sunt applicandæ locis pijs, Concil. Trid. vbi supra, immò vt declarauit Sacra Congregatio Concilij, quod pęnæ fori Ecclesiastici pijs locis sunt applicandæ, nec valet consuetudo contraria, per quam pars pęnarum applicatur Vicario, vel Cameræ Episcopali, etiam in minima parte, nec in fabricam Ecclesiæ Cathedralis, Prax. Curiæ Archiep. Neap. cap.
3 69. n. 2. nam Episcopi tenentur ex eorum redditibus Ecclesiam Cathedralem reparare, cap. 1. de Eccles. ædific. cap. quatuor, cap. de redditibus. 12. q. 2. quia omnes redditus Episcopatus sunt diuidendi in tres portiones, quarum vna est Episcopi; secunda pauperum; tertia fabricæ Ecclesiæ applicanda est, d. cap. quatuor. Vnde si Episcopus omnes portiones sibi appropriat, dicitur furtum committere, glos. in d. cap. de redditibus, in verb. triennio. Nec Vniuersitas laicorum tenetur ad refectionem Ecclesiæ Cathedralis, prout nonnulli Episcopi prætendere solent, glos. in d. cap. quatuor, in verb. doceat, Andr. de Isern. in Constit. Regn. quanto, & ibi Afflict. Marant. cons. 58.
4 Verùm si Episcopus sit adeò pauper, vt notoriè egeat, aliud videretur dicendum, & eo casu est consulenda Sacra Congregatio, notificando ei redditus, & onera Episcopatus, Quarant. in summ. Bullar.
5 in verb. pęnæ pecuniariæ in fine, prout fecit Dominus Gioia Dragomannius Episcopus Pientiæ in Aetruria, & olim Montispelusij, qui dum nostræ Ecclesiæ præfuit, illam optimè gubernauit; & cum esset timoratæ conscientiæ, dubitauit, an pęnas pecuniarias, & prouentus conuertere potuisset in fabricam Palatij Episcopalis, consuluit Clementem VIII. à quo responsum habuit, non posse, sed ei gratiosè concessit dictas pęnas per aliquot annos posse applicare ad dictam fabricam; itaque pęnas pecuniarias si quando ab Episcopis iuxta rationem delicti, & delinquentium qualitatem imponi, & exigi contingit, in pios vsus, vel pro iustitiæ exequutione, & non ad priuatam eorum vtili-

vtilitatem conuertere, & applicare tenentur, & est deputandus ab eis depositarius, qui easdem pęnas recipere, earumque rationem reddere teneatur, Ignat. Lopez in addit. ad pract. crimin. Diaz cap. 145.

6 Sunt & aliæ pęnæ de iure canonico, vt pęna carceris perpetui, detrusionis in Monasterio, priuationis officiorum, beneficiorum, ac dignitatum, pęna depositionis, seu degradationis, quę duplex est actualis, & verbalis; actualis degradatio est, quando clericus, non solum per sententiam priuatur sed actualiter, & personaliter degradatur, exuitur, & spoliatur ordinibus Ecclesiasticis; verbalis est, quando Episcopus, vel eius Vicarius pronuntiat sententiam contra clericum, per quam illum priuat ordinibus clericalibus, cuius forma habetur in libro Pontificali, & habetur in Concilio Trident. sess. 13. cap. 4. de reformat. vbi statutum est, quod liceat Episcopo, seu eius Vicario procedere in actu degradationis, seu depositionis clerici, etiam sine numero Episcoporum à iure requisito, subrogatis tamen loco eorum totidem Abbatibus vsum mitræ, & baculi ex priuilegio Apostolico habentibus, si in Ciuitate, aut Dięcesi reperiri, & commodè interesse possunt, alioquin alijs personis in Ecclesiastica dignitate constitutis, quæ ętate graues, aut iuris scientia comendabiles existant, quæ pęna depositionis, seu degradationis est imponenda, prout qualitas, & grauitas criminum exigit, Diaz. in pract. crim. cap. 3. num. 7. Sed pęna triremium est etiam in vsu, quæ non sine maxima causa Sacerdotibus est imponenda, Clar. q. 70. n. 5. & hanc consuetudinem maximè damnat Diaz in pract. crim. 146. n. 3. in Sacerdotibus, dicens quod indecens est Sacerdotes Dei, quibus maior dignitas est collata, quàm Angelis, quantumcumque facinorosos, tam perpetuo, ac infimi punitionis generi tradi, licet in clericis non Sacerdotibus posset tolerari, dum excessus grauitas postulasset, postquam multum numerum, & temeritatem clericorum creuisse videmus, & Nauar. in cap. nullam, 18. q. 2. num. 52. disputat, an liceat iudicibus Ecclesiasticis condemnare subditos ad triremes, prout obseruatur in Italia, tandem videtur asserere non licere, quamuis dicat consuetudinem valere. Pę-
7 na verò mitræ fustigationis, seu verberationis à iure canonico videtur approbata secundum Diaz loco citato, num. 2. sed non est in vsu, & ab omnibus iudicibus Ecclesiasticis ab ea est abstinendum, Clar. quæst. 70. n. 2. & tex. in cap. præterea, de cleric. percuss. vbi imponi-
8 tur pœna Episcopis, qui faciunt aliquem fustigari. Pęna verò exilij tam de iure ciuili, quàm de iure canonico est in vsu, & frequenter obseruatur Clar. quæst. 71. n. 1. & est quando quis deijcitur à Ciuitate, vel interdicitur certi loci, vel certorum locorum habitatio, vel

Bb inter-

interdicuntur omnes loci præter vnum, vt habetur in l.exilium, ff. de interdict. & relegat. Bal. in l.data opera, versic.quatuor, C.de his, qui accusar. poss. & nota, quod licet de iure non possit fieri relegatio,
9 nisi in loca subdita iurisdictioni ipsius iudicis relegantis, l. relegatorum, §. interdicere, ff. de interd. & relegat. nihilominus de generali consuetudine, quæ vbiq; locorum viget, contrarium obseruatur, Bal. in l.exequutorem, n.33. C. de exequut.rei iud. quem refert, & sequitur Clar. in d. q.71. n.4. & nota etiam, quod tempus, quo quis detinetur in carcere, & est condemnatus in exilium computatur postea in tempore exilij, l.omnes, C.de pęn. & ibi Salic. Fulgos. & Bal. Vinc. de Franch. decis.317. n.1. quia non est iustum, vt condemnatus duas pęnas patiatur carceris, & exilij, ne reddatur afflictio afflicto, vt dicit glos. in d.l. omnes, nisi condemnatus fuerit detentus, ex iusta causa, Vinc. de Franch. d. decis.317.

10 Et notandum est, quod licet aliqui teneant clericos non posse torqueri, Angel. de malefic. in verb. quod fama publica, num. 102. vers. item clericus, Carrer. in pract. crimin. in 2. tract. de indit. & tortur. §. circa tertium, quæ personę torqueri possint, n.26. Duen. regul. 109. incip. *Decuriones*, Farinac. qui alios allegat tit. de indit. & tortur. q. 41. n.5. vbi alios allegat, sed alij tenent contrarium, Alciat. in cap 1. n.43. de offic. ordin. vbi latissimè hanc quæstionem examinat, & hãc opinionem defendit Boss. tit. de indit. & considerat. ante tortur. n. 103. Foller. in pract. canon. crimin. cap.31. in verb. tormentis mox subijciatur, n.6. Diaz. in pract. canon. crim. cap.117. n.1. Clar. q.64. n.23. & hanc esse communem opinionem dicit Abb. in cap. cum in contemplatione, de regul. iur. post n.6. Farinac. tit. de indit. & tort. dict. q.41. n.5. dicit hanc esse magis communem opinionem, & eodem loco, n.9. testatur ita seruari de consuetudine in Vrbe, & Statu Ecclesiastico; sed necesse est, quod vltra legitima inditia, quæ ad torturam requiruntur, sint etiam clerici diffamati, vel alias infames, vt idem Farinac. dicit loco citato, n.6. sed contrarium in practica obseruatur, quia clerici torquentur, etiam quod de delictis non sint diffamati, Boss. in d. tit. de indit. eodem, n.103. Paris. de Put. in tract. de sindic. cap.3. post num.7. Viu. de commun. opin. in verb. clerici non possunt, Clar. q.64. n.23. benè verum est, quod propter illam specia-
11 lem præsumptionem, bonitatis, quam habent clerici, & maximè Sacerdotes, & Religiosi, requiruntur in eis grauiora, & vrgentiora inditia, quàm ea, quæ requiruntur à iure in tortura laicorum; quia non ita de facili sunt torquendi, sicut laici, l. presbyteri la 1. C. de Episcop. & Cleric. Farinac. loco citato, num.9. & sic loco infamiæ, quæ
de

de iure requiritur in clericis, ſuccedunt iſta grauiora inditia, & fama ſuppletur per grauitatem inditiorum, Paril. de Put. in verb. inquiſitio, cap. 1. num. 9. Bal. in l. iubemus, num. 4. de probat. Duen. regul. 298. Farinac. loco citato, num. 10. & tortura non debet eſſe ſeuera: ita in clericis, ſicut laicis, & maximè Sacerdotibus propter periculum excommunicationis, ſi fortè modus excedatur; & etiam propter dignitatem Sacerdotij, cui ſemper, & vbiq; reuerentia debetur, Diaz. in prač. canon. crimin. cap. 117. num. 5. Viu. commun. opinion. in verb. clerici non poſſunt torqueri, Clar. q. 64. num. 23. nam haben-
12 da eſt ratio dignitatis; minus enim punitur in dignitate conſtitutus, quàm alter, cap. quiſquis ille eſt, 2. q. 8. ibi gloſ. in verb. dignitatis, & gloſ. in capitulo, qui contra, 24. q. 1. in verb. ignobiles.

13 Secundò notandum eſt, quod de iure canonico duplex eſt pęna mortis. Altera temporalis, quæ eſt ſeparatio animæ à corpore, ſed iſtam pęnam Eccleſia non infligit, cap. ſententiam ſanguinis, ne cler. vel monach. cap. clericus, eod. & cap. ex litteris, de exceſs. pręlat. Altera ſpiritualis, & eſt excommunicatio, per quam ſeparatur anima à gratia Dei, qui eſt vita animarum; ſed quia pęna mortis naturalis, & temporalis ab Eccleſia non infligitur, vt ſupra, meritò quando ius canonicum facit mentionem de morte, eſt intelligenda non de corporali, ſed de ſpirituali; & ſic de excommunicatione, tex. eſt in cap. per venerabilem, §. vltim. qui fil. ſint legitim. & ibi Abb. & in cap. 2. de maior. & obed. Foller. in prač. canon. crimin. in verb. Et ſi confeſſi, num. 54. Farinac. tit. de delictis, & pęnis q. 16. num. 12.

14 Tertiò eſt notandum, quòd vera, & communis opinio Doctorum eſt, quòd in imponendis pęnis Iudex habet à iure arbitrium illas iuxta delictorum qualitates, & circumſtantias minuendi, augendi, & mutandi, etiam à legibus, & à ſacris Canonibus impoſitas, & inflictas, vt apertè probat tex. in l. & ſi ſecurior, vbi gloſ. & Doctores, C. ex quib. cauſ. infam. irrogat. l. hodie, vbi Bart. & Doctores, ff. de pęn. l. in metallum, ff. eod. cap. quoniam frequenter, §. fin. vt lit. non conteſt. cap. fin. de tranſact. cap. at ſi clerici, §. de adulterijs, de iudic. Couar. var. reſol. lib. 2. cap. 9. num. 8. Viu. commun. opin. lib. 1. in verb. Iudex vbicumq; Gramat. vot. 23. num. 18. Dec. in cap. de cauſis, n. 18. de offic. delegat. Clar. q. 85. n. 10. quia cum delicta diuerſis circũſtantijs, & qualitatibus perpetrentur, ex quibus crimen fit quandoq; excuſabile, quandoq; magis atrox, cap. ſicut magis dignum, de homicid. l. graccus, C. ad leg. Iul. de adulter. & dictas circumſtantias, & qualitates lex ipſa exprimere non potuerit, ſed quaſdã tantum expreſſit; ideò dedit iudici hanc facultatem, & arbitrium, vt ſecundum

facti contingentiam pęnas ipsas arbitrio suo ex causa augeret, minueret, vel mutaret, Marant. part.4. num.65. & 82. Farinac. tit. de delictis, & pęnis, q.17. num.7. & 8.

15 Quartò notandum est, quòd pęna contumaciæ non debetur, licet Curia mediante decreto condemnet non comparentem ad pęnam in citatione contentam, nisi prius dato termino reo ad se defendendum; quia vltra terminum peremptorium in citatione positum ad informandum, vel ad personaliter comparendum, debet iterum citari ad allegandum, & dicendum causam, quare propter contumaciam, ob non comparitionem mulctari non debeat, Bart. in l.1. num.13. ff. si quis ius dicent. non obtemp. & in l.2. vbi Ias. de in ius vocan. Bal. in l.2. ff. si quis ius vocat. non ierit, & in cap.2. de test. cogend. Aretin. in §. fin. Instit. de satisd. tut. Alex. cons.212. lib.6. Hippol. de Marsil. in pract. crimin. §. examinanda, num.34. Abb. in cap. quoniam contra, de probat. etiam si in monitorio, vel citatione sit dictum, quòd reo non comparente procedetur contra eum ad condemnationem pęnæ, eo amplius non citato, adhuc debet denuò citari ad videndum se condemnari ad pęnam comminatam in citatione, aliàs hac citatione omissa condemnatio in contumacia est *nulla*, & iniqua Doctores in l. ad peremptorium, ff. de iudic. & in l. properandum, C. eod. Farinac. tit. de delict. & pœn. quæst.18. num.44. vbi attestatur, de communi, & quod ita seruatur Romæ, & statu Ecclesiastico.

16 Quintò notandum est, quòd duplex est contumacia vera, & ficta: vera est, quando reus est citatus personaliter, ficta, quando est citatus domi, Bart. in l. fin. ff. de integr. restitut. idem Bart. & Alex. in l. properandum, §. sin autem, C. de iudic. Vestr. in pract. lib.7. cap.3. n.22. & ibi Additio, n.52. Farinac. loc. cit. num.25. & vt contumax possit mulctari, & puniri ob contumaciam, debet esse verus contumax, vt scilicet citatus personaliter, & non domi, Bart. Alex. Ias. & alij in l.1. §. ff. si quis ius dicen. non obtemp. Bal. in l. & in mulctis, C. de appellat. Io. Andr. & alij in cap.1. de dol. & contumac. Marant. p.6. membr.2. num.9. vbi testatur de communi.

17 Sextò notandum est, quòd clericus obligatus ad residentiam ratione beneficij residentiam requirentis, si non residet citari debet per tria edicta affigenda in valuis Ecclesiæ sui beneficij, & si non venit ad residentiam, expectatur per sex menses, & postea priuatur beneficio, tex. est in cap. ex tuę, de cler. non resident. & ibi Abb. & Doctores Marant. p.6. num.91.

18 Se-

18 Septimò notandum est, quòd pęna indignationis est pęna arbitraria; nam omnis pęna inflicta à Principe non recognoscente superiorem est arbitraria, Bal. in l. cunctos populos, C. de Summ. Trinit. & fid. Cathol. & in l. fin. ff. de senat. Angel. in l. si vacantia, C. de bon.
19 vacan. lib. 10. quod etiam probatur, quia facere contra præceptum legis, est pęna arbitraria, glos. Bart. in l. nemo, C. de Sacros. Eccles. Alex. in l. hodie, ff. de pęn.
20 Octauò notandum est, quòd Barones in Regno non possunt remittere pęnas suis subditis, & facere gratiam condemnatis per sententiam, quia istud est ius regium facere gratiam post sententiam, l. 1. §. deinde, ff. de postulat. Innoc. in cap. cum te, de re iudic. Bal. in cap. at si clerici, de iudic. sed secundum Vinc. de Franch. decis. 370. remedium est, vt inquisiti, & condemnati appellent ad Iudicem secundarum causarum, & pendente appellatione possunt facere gratias; quia appellatio suspendit iudicatum, & reducit causam ad terminos litis contestatæ, l. item demum, C. de procurat. & propterea Barones possunt isto modo agratiare, & componere, Bart. in l. acta, §. 1. ff. de re iudic. Isern. in cap. 1. §. & bona committentium crimen. Quæ sint regal. nam ea, quæ possunt fieri lite pendente ante sententiam, possunt fieri post sententiam appellatione, l. postquam, ff. vt legat. nom. caueat, licet Vinc. de Ann. in repetit. rubric. & cap. 1. de vassall. decrepit. ætat. n. 134. teneat contrarium; nam per sacrum Concilium fuit decisum posse Barones facere gratias pendente appellatione, vt in decis. prędicta, Vinc. de Franch. Nihilominus Episcopi clericis condemnatis per sententiam ob aliquod crimen ad pęnam exilij, vel ad alias quascumq; pęnas faciunt gratias: quamuis Diaz. in pract. canon. crimin. cap. 137. n. 6. hoc eis de iure non esse permissum, teneat; nam de generali consuetudine indistinctè Episcopi faciunt gratias, & tantò magis, quando in sententia adest clausula salua moderatione, & gratia, &c. & dixit supra cap. 44. num. 26.

CAPVT XLVII.

De Illegitimis.

SVMMARIVM.

1 *Illegitimorum quatuor sunt species.*
2 *Naturales filij qui dicantur.*
3 *Nothi qui sint.*
4 *Spurij qui dicantur.*

5 *Manzeres qui sint.*
6 *Illegitimi an succedant in bonis paternis.*
7 *Bulla Pij V. circa successionem illegitimorum.*
8 *Laici an possint de bonis suis disponere in illegitimos.*
9 *Clerici an possint alere filios illegitimos, & filias dotare.*
10 *Bulla Pij V. non reuocat ea, quæ ad fauorem illegitimorum à iure communi statuta sunt.*
11 *Legitimationes obtentę pro illegitimis à Rege non tolluntur per Bullam Pij V.*
12 *Illegitimi quot modis possunt fieri habiles ad ordines, & ad beneficia.*
13 *Illegitimi repelluntur à susceptione ordinum, & beneficiorum.*
14 *Leges adaptantur ad ea, quæ frequentius accidunt.*
15 *Episcopi dispensant cum illegitimis ad primam tonsuram, ordines minores, & ad beneficia sine cura.*
16 *Canonicatus Ecclesiarum Cathedralium habent annexum ordinem subdiaconatus.*
17 *Capitulum Sede vacante an dispensare possit cũ illegitimo ad ordines, ad quos potest Episcopus.*
18 *Illegitimus ordinatus absque dispensatione an sit verè ordinatus.*
19 *Dispensatus ad omnes ordines, etiam maiores non est dispensatus ad beneficia.*
20 *Dispensatus ad Dignitates nõ censetur dispensatus ad primam dignitatem post pontificalem.*
21 *Illegitimus si obtinet dispensationem ad ordines, & ea non vtatur ducendo vxorem vnicam, & virginem, eaq; mortua an possit vti dicta dispensatione.*
22 *Clausula solita apponi in dispensatione illegitimi ad ordines, dummodo paternæ incontinentiæ imitator non sit, quid importat.*
23 *Papa censetur dispensare eo ipso, quod facit actum, qui sine dispensatione non valeret, secus Episcopus.*
24 *Papa dispensat cum illegitimis ad ordines, beneficia, & dignitates.*
25 *Illegitimus non potest habere beneficium, vel ministrare in Ecclesia, in qua eius pater habuit beneficium, vel ministrauit.*
26 *Nepos legitimus ex patre illegitimo an possit habere beneficium, vel ministrare in Ecclesia, in qua pater fuit beneficiatus.*
27 *Illegitimus dispensatus ad omnes ordines, etiam maiores, an censeatur dispensatus, vt possit habere beneficium, vel ministrare in Ecclesia, in qua pater fuit beneficiatus.*
28 *Pater an sit prohibitus habere beneficium in Ecclesia, in qua filius illegitimus ministrauit, vel habuit beneficium.*
29 *Illegitimi indigent speciali dispensatione ad obtinendum Episcopatum.*
30 *Illegitimus per subsequens matrimonium fit habilis ad ordines, ad dignitates, & etiam ad Episcopatum.*
31 *Illegitimus habilitatur ad ordines per ingressum ad Religionem.*
32 *Expositus, cuius parentes ignorantur, an possit promoueri ad ordines.*
33 *Infantes expositi à quo sunt alendi.*

1 Illegitimorum quatuor sunt species; nam alij dicuntur naturales, alij nothi, alij spurij, & alij manzeres. Naturales de iure ciuili di-
2 cuntur, qui ex viro soluto, & concubina domi retenta nascuntur, l. penult. & fin. ff. de concubin. & dicuntur naturales; quia sola natura illos genuit, non honestas coniugij, cap. fin. 32. q. 4. sed de iure canonico requiritur vlterius, vt naturalis filius quis dicatur, quòd sit natus ex ijs parentibus, qui tempore conceptionis, vel natiuitatis matrimonium contrahere poterant, Abb. in cap. per venerabilem, n. 31. qui fil. sunt legitim. vbi vult. tria requiri, vt filius propriè dicatur naturalis. Primò, vt sit natus ex soluto, & soluta; ita quòd potuisset esse matrimonium inter eos. Secundò ex concubina retenta domi, quasi verè vxore. Tertiò, quod sit vnica concubina, quia si quis habens plures concubinas, suscipit ex eis filios, isti non merentur dici naturales propter effrenatam parentum libidinem.

3 Nothi dicuntur, qui nati sunt ex viro coniugato, & fęmina soluta, & sic ex adulterio, glos. in cap. nisi cum pridem, §. personæ, in verb. manzeres, de renunt. & dicti sunt à nota idest infamia, quæ multum infamat hominem, Sayr. de censur. lib. 6. cap. 10. n. 8.

4 Spurij sunt, qui non habent certum patrem, quasi sparsim concepti, §. si aduersus Instit. de nupt. & patrem ostendere non possunt; vnde propter incertitudinem Romani quasi hieroglificè spurios duabus litteris significabant. S. P. idest sine patre, vel vt alij volunt, sunt qui nascuntur ex damnato coitu, vt ex sacrilegis, ex incestuosis, aut ex fęmina coniugata, Sayr. loco citato, num. 9.

5 Manzeres sunt, qui ex viro soluto, & meretrice, vel alia fęmina fornicaria nascuntur; meretrix autem dicitur propriè illa, quæ palam libidinem exercens, quæstum facit, eiusque turpitudo venalis est, cap. meretrices 32. q. 4. nec refert, an sit in lupanari, caupona, taberna, vel alio publico loco prostituta, de quibus omnibus habetur in dicto cap. nisi pridem, §. personæ verò, in glos. verb. manzeres, de renuntiat. vbi ponit quosdam versus.

6 His sic cognitis sciendum est primò, quòd illegitimi sunt inhabiles ad successionem bonorum paternorum, & ad ordines Ecclesiasticos, & beneficia. Quoad successionem naturales succedunt ab intestato in bonis paternis in duas vncias, si alij filij non extant, nec vxor legitima Auth. licet patri, C. de natural. liber. glos. in d. cap. nisi cum pridem, §. personæ in verb. manzeres, de renun. & in bonis maternis succedunt cum filijs legitimis, si mater non est illustris, l. si qua illustris, C. ad Senatus consult. Orfician. & succedunt etiam auiæ maternę, l. Modestinus, ff. vnd. cognat. Nothi non succedunt, glos. &

Abb. in dicto, §. personæ, & licet de iure ciuili pater non teneatur alere filium nothum, Auth. quib. mod. natural. effic. legitim. §. si quis verò, & Auth. ex complexu, C. de incest. nupt. tamen de æquitate iuris canonici secus est per tex. in cap. cum haberet in fine, & ibi glos.
7 & Abb. num. 10. De eo, qui dux. in vxor. quam polluer. per adulter.
† Vide Farinac. decis. 82. & Mastrill. decis. 144. Et hodie habemus extrauag. Pij V. *publicata Romæ* die 2. Martij 1571. quæ incipit, *Quæ ordini*, quæ extrauagans continent reuocationem indultorum testandi, & disponendi de acquisitis ex bonis Ecclesiasticis, ac de alijs rebus in fauorem illegitimorum, etiam legitimatorum; non tamen hospitalibus expositorum, & orphanorum, per quam aliquibus visum est statui, & disponi, vt nullus possit donare in vita, vel relinquere in morte, suo nec extraneo filio illegitimo, etiam legitimato aliquid de bonis, Ecclesiæ intuitu quæsitis nec etiam, de alijs per laborem, vel industriam quocumq; alio modo quæsitis, nec in totum, vel in partem hæredem instituere, & tamen in dicta extrauag. hoc non disponitur;
8 immò per ipsam non prohibetur laicum posse disponere in illegitimos de bonis merè patrimonialibus, & laicalibus nullam habentibus misturam cum bonis ab Ecclesia profectis, sed tantum compræhendit clericos disponentes, de bonis nedum quæsitis ex fructibus beneficiorum, sed etiam de bonis patrimonialibus; item, & laicos quando disponerent, de bonis ab Ecclesia profectis, vt sunt emphiteusis, & feuda Ecclesiastica, & bona, quæsita ex pensionibus, quas laici ex priuilegio aliquando obtinent; & ita fuisse resolutum in Rota Romana per Aldobrandinum Auditorem, & postea Summum Pontificem testatur Additio ad Quarant. in verb. illegitimi, & Nauar. de spolio cleric. notabiliter dicit hæc formalia verba: Nonò notò, & colligo ex tota extrauagan. Pij V. id, in quo multi audio decipi, quòd hæc extrauagans non reuocat iura canonica, per quæ illegitimi possunt habere aliqua de bonis parentum, etiam si sunt spurij iuxta æquitatem canonicam, cap. cum haberet de eo, dux. in matrim. & iuxta ea, quæ
9 Panormit. & alij ibidem notant, ex quo infertur clericos iustè posse, & debere non obstante hac extrauaganti alere filios illegitimos, etiã spurios nitendo iuri communi contento in dicto cap. cum haberet, quod seruandum esse in foro sęculari terrarum Imperij, & aliorum Regnorum, etiam non subiectorum Papæ, affirmat communis opinio post Panorm. in dicto cap. cum haberet, & Bart. in auth. ex comple-
† xu, C. de incest. nupt. Rouit. in decis. 25. num. 17. & 18. subinfertur etiam, quòd clerici possunt, & debent filias suas etiam spurias dotare, cum dos succedat loco alimentorum secundum communem opinionem,

nionem, præsertim Bart. qui in his terminis hoc dicit in l. vxorem, §. pater naturalis, ff. de legat. 3. quæ duo facere possunt etiam de redditibus Ecclesiasticis, arg. tex. cum glos. in cap. omninò, dist. 31. quatenus habet, quod propriam vxorem, & filios sustentare debet clericos de bonis Ecclesię; & licet loquatur de filijs ante clericatum habitis, idem tamen est in filijs habitis per illicitum coitum, quoad hoc, nam licet clericus malefecerit; tamen ex quo sunt geniti, non sunt perdendi, sed pascendi, & tamquam pauperes iuuandi, Arg. cap. pasce 56. dist. & cap. sicut hi, & dicto cap. cum haberet. hæc Nauar. lo-
10 co citato; & ratio est, quia Pontifex Pius V. in d. extrauag. nihil tollit; nec reuocat de dispositis à iure communi ad fauorem illegitimorum, sed tantum reuocat gratias, & facultates concessas particulariter ad disponendum, de quibuscumque bonis inter viuos per donationes, vel in morte per vltimas voluntates ad fauorem aliquorum cõcessas ab ipso Pio, & ab aliquot Põtificibus maximis prædecessoribus suis; & ideò proculdubio non obstante reuocatione dictarum facultatum, quæ sunt quædam priuilegia, possunt clerici sęculares, etiã in sacris constituti, vel obtinentes beneficia Ecclesiastica, & quilibet alij donare inter viuos, vel in vltima voluntate filijs illegitimis tàm suis, quàm alienis ea, & eo modo, quo iure communi possunt iuxta dictum cap. cum haberet, ac si dicta extrauag. Pij V. non esset edita,
11 Nauar. cons. 4. & 5. de testam. nec etiam dicta extrauagans tollit legitimationes obtentas ab Imperatore, vel Regibus cum facultate succedendi extra dominium temporale Papę concessas filijs clericorum, Nauar. d. cons. 5. num. 6. Et nota, quòd legitimatus per rescriptum Principis intelligitur habilitatus ad actus sęculares, non autem Ecclesiasticos; adeo quod promoueri nequeunt ad Ecclesiasticas dignitates, nisi legitimatus esset à Papa, vt notant omnes in cap. per venerabilem, qui fil. sint legitim. Molin. de iustit. & iur. disputat. 177. §. legitimare, Andr. Mossess. p. 2. q. 10. Et de hac Bulla Pij V. vide Carolum Marantam in responsione 31. vbi tenet opinionem in fauorem filiorum illegitimorum, quia voluntas Pij V. in sua dispositione aduersus illegitimos nõ fuit tollere, quæ sunt iuris naturalis, sed tantum fraudibus, & scandalis obuiare, vt testatur dict. Maranta loco citato num. 13.

12 Quò verò ad ordines illegitimi tribus modis possunt habilitari, & ad illos ascendere scilicet per dispensationem per subsequens matrimonium, & per ingressum Religionis; nati enim ex illegitimo thoro
13 à susceptione ordinum, & beneficiorum repelluntur; ex quo qui ordi-

dinantur, constituuntur in quadam dignitate, & eminenti statu, & ex honestate requiritur in eis quædam claritas non de necessitate Sacramenti, sed de necessitate præcepti, ob detestationem sceleris patris; quia vt plurimum illegitimi solent esse imitatores paternæ incontinentiæ, & esse moribus malè eruditi, eo quòd non ita sollicitè, & diligenter sicut legitimi instruuntur, & licet reperiantur multi adeò boni, quod antecellunt moribus, & virtute legitimos, cum fuerint quamplures, quos morum honestas, virtus, & doctrina effecit insignes, quorum aliqui Episcopi, & Cardinales fuerunt, immò multi ad summi Pontificatus apicem meruerunt ascendere, vt habetur in cap. Osius Papa, dist. 56. vbi Damasus Papa enumerat decem viros ille-
14 gitimè natos filios presbyterorum, & Episcoporum, qui fuerunt Summi Pontifices; tamen leges adaptantur ad ea, quæ frequentius accidunt, l. nam ad ea, ff. de legib. ideò illegitimi dispensatione indigent, si ad ordines ascendere volunt.

15 Et quoad primam tonsuram, & quatuor ordines minores, ac simplex beneficium Episcopi possunt cum illegitimis dispensare, cap. 1. de fil. presbyt. lib. 6. & licet Episcopi poterant ante Concilium Trident. dispensare cum illegitimis, etiam ad Canonicatus Ecclesiæ Cathedralis secundum Archid. in dicto cap. 1. ab omnibus receptum, vt testatur Nauar. cons. 4. num. 4. de fil. presbyt. tamen post dictum
16 Concilium non possunt; quia omnes Canonicatus Cathedralium Ecclesiarum habent annexum ordinem Subdiaconatus, Cõcil. Trid. sess. 24. cap. 12. de reformat. ideò sicut Episcopi non possunt dispensare cum illegitimis ad ordinem subdiaconatus, ita nec ad Canonicatum Ecclesiæ Cathedralis, benè possunt dispensare ad Canonicatum Ecclesiæ Collegiatæ, Henriq. lib. 14. cap. 18. §. 10. quia Concilium nihil innouauit circa Ecclesias Collegiatas, Sayr. de censur. lib. 6. cap. 11. num. 13.

17 Sed dubitatur, an Capitulum Sede vacante possit cum illegitimis dispensare, sicut possunt Episcopi; & videtur dicendum non posse; quia dispensare est iurisdictionis voluntariç, glos. in Clem. 1. § 1. in verb. capituli, de hæret. sed contrarium est verius, quod potest dispensare, Abb. in cap. cum olim, de maior. & obed. Panuin. de potest. Capit. Sede vacante cap. 7. part. 1. & part. 2. cap. 1. num. 3. Federic. de Sen. cons. 30. & 40. quia Capitulum succedit Episcopi regulariter in omnibus, quæ sunt iurisdictionis ordinariæ, præterquam in casibus expressè exceptis, Panuin. part. 1. cap. 1. num. 3. & dispensatio illegitimorum pertinet ad iurisdictionem ordinariam Episco-
pi,

pi, & quòd in nulla parte iuris iste casus excipitur ab illa regula, ergo standum est ei, Arg. glos. in l. omnis diffinitio, ff. de regul. iur. Nauar. cons. 7. de fil. presbyt.

18 Quia supra dictum est illegitimos non posse ordinari ad ordines maiores absque dispensatione Papali, & ad minores, & primam tonsuram absque dispensatione Episcopi, cap. 1. de fil. presbyt. lib. 6. & per tex. in cap. fin. vbi glos. & Abb. eod. tit. quæritur aliquis illegitimus ordinatur sine dispensatione, an sit verè ordinatus? Resp. affirmatiuè, quia ex collatione ordinum facta illegitimo, fuit impressus character, licet suspendatur ipsius ordinis recepti exequutio per tex. in cap. fin. dist. 56. Diaz in pract. canon. crimin. cap. 14. num. 3. sed si tales illegitimi ordinati ante obtentam dispensationem celebrarent, nouam irregularitatem non incurrerent, Abb. in cap. si celebrat de cleric. excommun. ministr. Couar. in Clem. si furiosus, §. 1. num. 3. de homicid. Nauar. in cap. si quando, de rescript. & notandum est Episcopis non esse permissum posse dispensare ad maiores ordines ob defectum natalium, etiam hodie authoritate Concilij Trid. sess. 24. cap. 6. de reformat. quia quamuis ibi detur potestas Episcopis dispensandi super omni irregularitate proueniente ex delicto occulto, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis alijs deductis ad forum contentiosum; in hac verò illegitimitatis irregularitate, quæ non ex delicto prouenit, dispensandi facultas non est concessa Episcopis, Nauar. in Manual. cap. 27. num. 194. Ignat. Lop. in addit. ad pract. Diaz cap. 14.

19 Et notandum est, quod dispensatus ad omnes ordines etiam maiores non est dispensatus ad beneficia, cum sint separabilia, & exequutio vnius possit stare sine altero, cap. 2. & ibi glos. de fil. presbyt. Sayr. de censur. lib. 6. cap. 11. num. 24. Abb. in cap. litteras, num. 6.

20 in fin. de fil. presbyter. Item dispensatus ad dignitates non intelligitur dispensatus ad primam, & maiorem dignitatem post pontificalem, Bellam. decis. 698. Barbos. de offic. & potest. Episcop. part. 2. allegat. 45. num. 14.

21 Sed quid si illegitimus impetret dispensationem à Papa, vt possit promoueri ad ordines maiores, eaque impetrata contraxit matrimonium, an illa dispensatio euanuerit; ita vt si mortua eius vxore vnica, & virgine non possit virtute dictæ dispensationis promoueri ad ordines sacros? Istam quæstionem mouet Philipp. Prob. in addit. ad Monac. in cap. vnic. de cleric. coniugat. lib. 6. & dicit dictam dispensationem extingui, rationem adducit; quia matrimonium extinguit omne ius, ad gratiam impetratam, sed contrarium puto verius, quod

virtute

virtute dictæ dispensationis poterit promoueri; quia per dispensationem nullum ius acquiritur nec in re, nec ad rem, sed tantum tollitur impedimentum, quod incapacem, & inhabilem ipsum reddebat; & sublato impedimento perpetuò manet capax, & habilis, vt idem Philip. Prob. fatetur in dicta additione, Sanchez de matrimon. lib. 7. disputat.42. num.8. & 9.

22 Secundò notandum est, quòd in dispensatione Apostolica cum illegitimo ad ordines, solet apponi clausula, *videlicet*; dummodò paternæ incontinentiæ imitator non sit, quæ clausula videtur inducere conditionem; tamen non est conditio, sed instructio, & eius defectus non vitiat dispensationem, Put. decis. Rot. lib. 1. decis.256. num. 1. Felin. in cap.2. num.2. de rescript. Mandos. de signatur. grat. tit. dispensationes super defectu natalium, vers. sed aduertendum est, Sanch. de matrimon. lib.8. disputat.33. num.27. in fin.

23 Tertiò notandum est; quòd Episcopi, qui possunt dispensare cum illegitimo ad primam tonsuram, quattuor ordines minores, & ad beneficium sine cura, cap. 1. de fil. presbyter. lib.6. debent expresse dicere in Bullis se dispensare, aliàs non intelligeretur facta dispensatio; quia quando Episcopus vult facere aliquid contra ius in casibus, in quibus potest dispensare, non videtur in eo dispensasse, nisi exprimat; & hæc est differentia inter Papam, & inferiores; quod Papa faciendo aliquid, quod valere non potest propter aliquod iuris impedimentum, nisi dispenset, videtur tacitè dispensare, non autem Episcopi, nisi dicant se dispensare, doctrina est Abbat. recepta in cap. diuersis fallacijs, de cleric. coniugat. Nauar. in cons.4. num.2. de simon.

24 Quo verò ad ordines maiores, beneficia, & Dignitates, Papa cum illegitimis dispensat, vt supra cap. per venerabilem, & ibi Abb. & Doctores, qui fil. sint legitim. Host. in summ. lib. 1. tit. de filijs presbyter. num.8. §. quis possit. dispensare, S. Anton. part.3. tit.29. cap.4. vers. secundo modo, Summ. Pisanella in verb. illegitimus, §. fin. Graff. lib.4. cap.27. num.57. Cosm. Philiarch. lib.4. cap. 8. Tolet. lib. 1. cap.25. & est communis opinio, quia legitimare non est aliud, nisi impedimentum iuris canonici amouere, & à pœnis canonum, quibus quis ligatus, & impeditus est, absoluere, cum ergo hoc impedimentum iuri canonico sit inductum, Papa illud auferre potest, Sayr. de censur. lib.6. cap.11. num.5.

25 Quartò notandum est, quòd illegitimus prohibetur habere beneficium in Ecclesia, in qua eius pater fuit beneficiatus, vel ministrauit, cap.2. & 3. de fil. presbyt. & per extrauagan. Clementis VII. & hodie per Concilium Trident. sess.25. cap.15. de reformat. & hoc vt

pater-

paternæ incontinentiæ memoria ab Ecclesijs arceatur, immò illegitimus non solùm prohibetur obtinere beneficium in Ecclesia, in qua eius pater fuit beneficiatus, vel ministrauit, sed nec quoquo modo in ea ministrare; vnde nec sacrum facere, aut Epistolam, vel Euangelium cantare, neq; Missam priuatim tamquam exterus, & peregrinus celebrare, nec potest esse Sacrista, neq; cantor, vt musicus; cum negari non possit aliqua prędictorum faciendo, ministrare aliquo mo-
26 do videatur, Nauar. cons. 1. n. 46. de const. Sed hæc prohibitio non extenditur ad nepotem, qui natus est ex legitimo matrimonio, qui potest habere beneficium, & ministrare in Ecclesia, in qua eius auus fuit beneficiatus, vel ministrauit, glos. in cap. presbyterorum, dist. 56. & in cap. Apostolica 8. q. 1. & ibi Archid. Io. Andr. in cap. ex transmissa, de filijs presbyt. Summ. Pisanell. in verb. illegitimus, Bal. in cap. 1. §. & quia, n. 3. de his, qui feud. dar. poss. Alex. cons. 32. n. 20. lib. 6. Dec. cons. 91. vers. ad hoc facit, Nauar. cons. 9. & cons. 10. de fil. presbyter. vbi dicit fuisse decisum Romæ per Rotam die 12. Februarij 1574. non compræhendi nepotem legitimum ex filio illegitimo, nisi esset viuus auus; nam eo viuente eius nepos comprehenditur in prohibitione Concilij. Ita refertur censuisse sacram Congregationem Concilij die 13. Martij 1586. vt arceatur memoria prioris incontinentiæ.

27 Et circa prædicta quæro, an illegitimus dispensatus à Papa ad omnes ordines, etiam maiores, & ad beneficia, an censeatur dispensatus, vt possit habere beneficium, vel ministrare in Ecclesia, in qua eius pater fuit beneficiatus, aut ministrauit? Respond. negatiuè per tex. in cap. 2. & cap. cum decorem, & ibi Abb. de fil. presbyter. & ratio est; quia in hoc concurrunt duo impedimenta distincta scilicet defectus natalium, & impedimentum, seu prohibitio obtinendi beneficium, vel ministrandi in Ecclesia, in qua pater fuit beneficiatus, & vno sublato per dispensationem, non censetur sublatum alterum distinctum, cap. ex tuarum, de authorit. & vsu pall. l. si domus, ff. de seruit. vrban. præd. vide Sayr. de censur. lib. 6. cap. 11. num. 30.

28 Sed è conuerso an intelligatur prohibitus pater, vt non possit habere beneficium in Ecclesia, in qua eius filius illegitimus habuit beneficium, vel ministrauit? Resp. negatiuè, quia verba Concilij Trid. in d. c. 15. sess. 25. de reformat. ita sunt concepta, quòd nullo modo possunt cõuenire parẽtibus; nec obstat, quod pater, & filius sunt correlatiua, & à correlatiuis valet argumentum, quod dispositum in vno videtur dispositum in alio, cap. translato, de constit. cap. inter cęteros, de rescript.

rescript.l. fin.C.de indict. viduit. tollen. quia dictum argumentum non procedit, vbi viget diuersa ratio, l.curatorem, C de interd. matr. & lex pęnalis non extenditur ad correlatiua, ita fuit resolutum in Rota Romana ad requisitionem Sacræ Congregationis Cõcilij Trident. vt refert Seraph. Oliuar. decis. 1442.

29 Quintò notandum est, quod ad obtinendum Episcopatus illegitimi indigent speciali dispensatione Papæ, cap. cum Vintonen. Ecclesia,de elect.glos. in cap.grandi in verb.legitimo,de supplend.neglig. Prælat.lib.6.c.1.de filijs presbyt.Conc. Trid.sess.7.c.1. de reformat.

30 Secundò habilitantur illegitimi per subsequens matrimonium, quando scilicet solutus generans filium cum soluta postmodum in facie Ecclesiæ cum ea contraxit matrimonium, quia tunc eo ipso absq; alia dispensatione illegitimus fit legitimus, & potest ad omnes ordines promoueri,glos.in cap.tanta in verb.legitimi,qui fil. sint legitim. & in cap.ex tenore, in verb. legitimum, & ibi Abb. n.8. Maiol. lib.1. de irregularit.cap.4.n.14. Henriq. lib.1. de Sacram. matrim. cap.20. §.2. Sayr. de censur. lib.6. c.10. n.13. immò potest promoueri non solùm ad ordines sacros, dignitates, & beneficia, sed etiam ad Episcopatum, glos.in cap.innotuit,in verb. coniugata,de elect. vbi dicit, quòd matrimonium sequens omnia præcedentia purgat. Host. in summ. lib.1. tit. de fil.presbyt.n.6. & in cap. ex tenore qui fil. sint legitim. Sylu. in verb. illegitimus, q.3. & hoc ne fauor matrimonij restringatur, Summ. Pisanel. in verb. illegitimus, §. quid si nato, licet Panorm. in cap. ad extirpandas, n.11. de fil. presbyt. quem sequitur Maiol. lib.1. cap.4. n.14. velit requiri dispensationem, sed requiritur, quod tempore conceptionis,parentes contrahere potuissent matrimonium, Panormit. in dicto cap. ad extirpandas, Host. in summ. lib.1. tit. de fil. presbyt. n.6. S. Anton. p.3. tit.29. cap.4. Angel. in verb. filius, Syluest. in verb.illegitimus,q.3. Tabien.in verb. filius, n.4.§. tertiò, Sayr.de censur.lib.6. cap.10. n.15. qui attestatur de communi Doctorum sententia,etiam si filius nascatur ex soluta, & clerico in minoribus ordinibus constituto, quamuis habuisset simplex beneficium Ecclesiasticum, Io. Andr. in cap. fine culpa, de irregul.iur.lib. 6.Maiol.lib.1.de irregul.cap.4. n.15. Syluest. in verb. legitimus q.8. quia clericus in minoribus constitutus est habilis ad matrimonium contrahendum, Sayr. loc. cit. n.17. in fin. Verumtamen si illegitimi essent nati ex incestuoso coitu, vt ex consanguinitate, vel affinitate scienter geniti, & postea Papa dispensat, per illam dispensationem parentes contrahant matrimonium, per dictum matrimonium subsequens non fiunt legitimi; quia tempore generationis parentes non

erant

erant apti ad legitimum matrimonium contrahendum, Abb. in cap tanta, num.14. qui fil. sint legitim. Syluest. in verb. legitimus, q.8. Sayr. de cens. lib.6. cap.10. num.27. vbi dicit, quod Papa potest facere, vt dispensatio habeat plenum effectum, etiam quoad præterita, & ita potest Papa tollere impedimenta, quæ erant tempore conceptionis, & filius legitimatus per subsequens matrimonium, licet fiat habilis ad omnes ordines, beneficia, dignitates, & ad Episcopatum, non tamen fit habilis ad dignitatem Cardinalatus, ad quam per subsequens matrimonium nullus legitimatur, & fit habilis per Constitutionem Sixti V. quæ incipit, *Postquam verus*, tertio nonas Decembris 1588.

31 Tertiò habilitantur illegitimi, quoad omnes ordines, etiam maiores per ingressum Religionis approbatæ, & post solemnem professionem emissam, glos. in cap. fin. in verb. Sedis Apostolicæ in fin. de fil. presbyt. S. Anton. part.3. tit.29. cap.4. Syluest. in verb. illegitimus, q.6. Angel. in verb. ordo, 3.n.13. Tabien. verb. ordo 4. Graff. lib.4. cap.27. n.54. Nauar. in Manual. cap.27. n.201. vers. decimò dico, Philiarch. lib.4. cap.8. Sayr. de censur. lib.6. cap.11. n.3. non tamen intelligitur legitimatus ad prælaturas obtinendas, vt colligitur ex d. cap.1. de fil. presbyt. & ibi Abb. n.6. Franch. in cap. indemnitatibus super glos. in verb. canonicam, & ibi Archid. de elect. lib.6. Cardin. in Clem. attendentes, de stat. monachor. Felin. in cap. meminimus, de accusat. & sic sicut illegitimus non potest esse Abbas, vel Prior, ita neque Monialis illegitima potest esse Abbatissa, vel Priorissa, Sayr. loc. cit. num.3. in fin. & licet Sixtus V. in Constitutione sua contra illegitimos, quæ incipit, *Cum de omnibus*, anno 1587. & in alio sequenti declaratiua illius, quæ incipit, *Ad Romanum spectat Pontificem*, anno 1588. prohibuerit illegitimos quosque admitti ad Religionem, aut admissos ad honores, & dignitates promoueri; tamen postea Gregorius XIV. anno 1590. moderando supradictas Sixti Constitutiones in alia sua Constitutione, quæ incipit, *Circum specta Romani Pontificis*, permisit, vt illegitimi omnes præsentes, & futuri tum ad professionem recipi, tum etiam ad honores, & dignitates, ac officia, cum quibusdam tamen conditionibus, videlicet. Vt præter ea, quæ exquirenda iussit Sixtus V. etiam in legitimè natis, ipsi ad quos spectat eorum receptio disquirere debeant diligenter eorum vitam, & mores, & ita demum recipiant, si bonam indolem, & virtutis specimen præseferant, ac tot eis merita suffragentur, vt natalium suppleant defectum, eorumque receptio Religionis commodo, & vtilitati profutura videatur, dummodo tamen filius illegitimus in Religione, in qua

pater,

pater, siue ante, siue post natiuitatem filij prædicti professus fuerit ipso patre viuente non admittatur, vide Sayr. de censur. lib. 6. cap. 11. nu. 4. & Hyeron. à Sorb. Capucc. in compendio priuilegior. in verb. Dispensatio.

32 Demum quæro, an expositus, cuius parentes ignorantur, & incertum est, an legitimis conceptus nuptijs, possit ad sacros ordines promoueri? Respon. quòd varia est Doctorum sententia, nam Anchar. in cap. 1. de infant. exposit. est dubius, & anceps; quia nemo præsumitur legitimus, & qui se legitimum dicit debet probare, Angel. in l. librorum, ff. de his, qui not. infam. Dec. cons. 54. Iaf. in l. nec professio, C. de testam. Alciat. de præsumpt. regul. 3. præsumpt. 1. numer. 12. & hanc opinionem sequitur Maiol. de irregularit. lib. 11. num. 1. Couar. in Clem. furiosus, num. 9. de homicid. Contrariam tamen opinionem tenet Anan. in dicto cap. 1. num. 11. de infant. exposit. vbi concludit nullam dispensationem esse necessariam, vt expositus possit promoueri, istam opinionem tenet etiam Menoch. de arbitr. iudic. lib. 2. centur. 4. casu 396. & hanc esse communem opinionem testatur Cardinal. Paleot. in tract. de noth. & spur. cap. 63. num. 3. licèt Ignaz. Lopez in addit. ad Diaz. in practic. canon. crimin. cap. 14. dicat expositos non esse promouendos absque dispensatione, sed si fuerint promoti non sunt ordinum vsu prohibendi, & exercitio propter auctoritatem communis sententiæ Doctorum.

33 Sed notandum est, quòd infantes expositi, quorum parentes ignorantur, sunt alendi ab Ecclesia, & eius Rectore, Thesaur. decis. 118. sed si Rector Ecclesiæ non esset ita diues, vt ex introitibus Ecclesiæ non posset eis præstare alimenta, tunc sunt præstanda, de bonis Vniuersitatis, Molfes. in Commentar. consuetud. Neapolit. part. 6. q. 3. num. 24. in tit. de aliment. præstan. Nouar. de elect. fori, quæst. .... sess. 2. in vltima impress. Neap.

CAPVT XLVIII.

De beneficijs, eorumque Collationibus, Resignationibus, & publicatione.

SVMMARIVM.

1 *Beneficiorum Ecclesiasticorum collatio regulariter spectat ad Papam.*

2 *Episcopi ante reseruationem poterant conferre beneficia in quolibet mense.*

3 Papa

3 *Papa reseruauit sibi collationem beneficiorum cōcedens quosdam menses Episcopis conferendi infra sex menses.*
4 *Beneficia vacantia apud Sedem Apostolicam sunt reseruata Papæ.*
6 *Dignitates primæ in Ecclesiis Collegiatis sunt reseruatæ Sedi Apostolicæ, & quando.*
7 *Florenus capitur pro ducato de Camera.*
8 *Dignitas prima post Pontificalem quæ dicatur.*
9 *Beneficia Collectorum, & subcollectorum fructuum Cameræ Apostolicæ sunt reseruata Papæ.*
10 *Ecclesiæ Parochiales collatæ ab Ordinarijs non seruata forma Concilij Trid. sunt effectæ Sedi Apostolicæ.*
11 *Beneficia, quæ retinentur in confidentia, sunt effecta Sedi Apostolicæ.*
12 *Ecclesiæ Parochiales spectantes ad collationem Ordinariorum, si non fuerint collatæ infra sex menses, sunt reseruatæ Papæ.*
13 *Beneficia per resignationem, vel per obitum, quæ à Sede Apostolica conferuntur, si non fuerint resignata infra tempus appositum in Bullis, sunt reseruata Papæ.*
14 *Menses reseruati Sedi Apostolicæ per Regulam Cancellariæ qui sint, & qui Ordinariorum.*
15 *Præuentio est inter Papam, & Ordinarios in mensibus Ordinariorum.*
16 *Prouisus de aliquo beneficio est præferendus alteri, qui capit possessionem.*
17 *Possessio non attenditur in beneficialibus, sed prouisio.*
18 *Episcopi volentes vti gratia alternatiuæ, debent illam petere per literas directas domino Datario.*
19 *Forma petitionis, & acceptationis gratiæ alternatiuæ.*
20 *Literæ patentes petitionis alternatiuæ debent fieri in Ciuitate, vel Diœcesi Episcoporum, aliàs non valent.*
21 *Episcopi, qui gratiam alternatiuæ acceptarunt ad quod teneantur.*
22 *Episcopi, qui se intromittunt in collatione beneficiorum in mensibus reseruatis statim priuantur gratia alternatiuæ.*
23 *Episcopi si præstiterint impedimentum, ne prouisiones Apostolicæ sortiantur effectum, priuantur alternatiua.*
24 *Alternatiua si Episcopi voluerint gaudere, debent residere in eorum Ecclesiis.*
25 *Sede Apostolica vacante Episcopi possunt conferre beneficia in omnibus mensibus.*
26 *Beneficium si vacauerit ante obitum Papæ, qui illud non contulit, collatio non spectat ad Ordinarium.*
27 *Episcopus si per paucos dies absfuerit à Diœcesi, an possit conferre beneficia vacantia in dictis paucis diebus.*
28 *Absens non dicitur qui aliquantisper abest, & statim reuertitur.*
29 *Episcopus si reperiatur in loco exempto posito intus suam Diœcesim, potest conferre beneficia eo tempore vacantia.*
30 *Episcopus si in aliquo suo mense acceptauerit alternatiuam, statim ille men-*

licam pro tempore, quo vacant.

61 *Beneficiorum fructus non exacti spectant ad successorem, si beneficia non sunt reseruata Sedi Apostolicæ.*

62 *Episcopi possunt augere præbendas Canonicorum pauperum.*

63 *Beneficiati, qui possederunt beneficia per decem annos, non tenentur ostendere Bullas Episcopo visitanti.*

64 *Bullæ expeditæ à Papa an exequi possint ipso mortuo.*

65 *Episcopus, nec eius Cancellarius, seu Secretarius possunt aliquid accipere pro expeditione Bullarum beneficiorum.*

66 *Parochus non potest abesse à sua Parochia, vt sit Vicarius generalis alicuius Episcopi, etiam de licentia sui Ordinarij.*

1 BEneficiorum collatio regulariter spectat ad Papam, qui est Ordinarius Ordinariorum, & Dominus omnium beneficiorum Ecclesiasticorum, cap. 2. de præben. lib. 6. glos. in cap. Fęlicis, de
2 pęn. lib. 6. Clem. 1. in fin. vt lit. penden. Gomez. in proęm. Regul. Cancell. num. 7, quamuis ante reseruationem Episcopi poterant cōferre beneficia vacantia in quolibet mense, & habebant omnes menses liberos, idem Gomez. de expectatiu. num. 26. Caputaquen. decis. 214. num. 5. part. 2. Castador. decis. 3. num. 4. de priuileg. & decis. 4. num. 1. & 2. de priuileg. Put. decis. 492. num. 3. lib. 2. Crescent. decis. 3. nu. 4. de priuileg. Gonzal. super Regul. 8. Cancell. §. 1. proęmial. num. 22. & glos. 43. num. 79. quia Episcopi de iure communi habent fundata intentionem conferendi omnia beneficia Ecclesiastica in suis Diœcesibus consistentia, cap. regenda 10. q. 1. cap. nullus omninò 16. q. 7. cap. nemo, de consecrat. dist. 1. & istam potestatem habuerunt à Papa ab initio nascentis Ecclesiæ glos. in cap. quamquam, & ibi Gemin. sub num. 4. de electio. lib. 6. quam citat Gon-
3 zal. loco citato, num. 20. Sed postmodum Papa auocando ad se dictam potestatem, reseruauit sibi dictam collationem beneficiorum, concedendo tamen quosdam menses ipsis Episcopis, in quibus possunt conferre beneficia infra sex menses in eorum Diœcesibus à die obitus beneficiati, cap. 2. de concess. præbend. ne per diuturnitatem temporis beneficia vacationem patiantur aliquod detrimentum, & illud semestre currit à die scientiæ vacationis, & non ab ipsa vacatione, cap. quia diuersitatem, de concess. præben. nisi superuenerit aliquod legitimum impedimentum, Doctores in d. cap. quia diuersitatem, quo semestre elapso, & nullo existente legitimo impedimento collatio deuoluitur ad Papam, cap. licet, de supplen. neglig. prælat. Sed in multis casibus non possunt Episcopi se intromittere, in quibus

tantummodo Papa confert beneficia per reseruationes in Regulis Cancellariæ generales, cap. 15. cui, & cap. si beneficia, de præben. lib. 6.

4 Primò sunt reseruata Papæ beneficia vacantia apud Sedem Apostolicam, & Curiam Romanam, quæ solus Pontifex confert, cap. 2. de præben. lib. 6. & quomodo intelligatur vacare apud Sedem Apostolicam, vide tex. in cap. præsenti, de præben. lib. 6. extrauag. ad regimen, de præben. & Abb. in cap. 2. de concess. præben. Item beneficia, quæ vacant Episcopali sede vacante; nam spectat collatio ad Papam à die mortis Episcopi vsque ad diem adeptæ possessionis per successorem in Episcopatu, per Regul. 3. Cancellar. Apostolic. & per Bullam Pij V. quæ incipit, *Sanctissimus in Christo*, Romæ Die 9. Martij 1567. anno eius tertio.

5 Secundò omnes Dignitates post Pontificalem sunt reseruatę Papę, vt sunt Archidiaconi in Ecclesijs Cathedralibus, Decani, & alij
6 quocumque nomine vocentur, dummodò sint primi post Episcopum. Item primæ Dignitates in Ecclesijs Collegiatis, valorem decem florenorum auri communi extimatione excedentes per Regulam quartam Cancellariæ Apostolicæ, & collatio facta ab Episcopo est ipso
7 iure nulli stante reseruatione, cap. si eo tempore, de elect. lib. 6. & nota, quod florenus in Camera Apostolica in taxis capitur pro duca-
8 to de Camerę, Gomez in Regul. de valore beneficij, quæst. 9. Et quæ sit prima Dignitas post Pontificalem, vide glos. in cap. deliberatione, de offic. de legat. lib. 6. & in hoc attenditur consuetudo; & notandum est, quod dicta Regula non compræhendit Ecclesiam Collegiatam, quæ vnicam tantum habet dignitatem curatam secundum communem opinionem Doctorum, Calderin. cons. 30. num. 25. Felin. in cap. in nostra, de rescript. Mandos. in d. Regula, quæst. 5. vers. quinto, Borgnin. Caualcan. decis. 17.

9 Tertiò sunt reseruata Sedi Apostolicæ beneficia quæcunque Collectorum, & Subcollectorum fructuum Camerę Apostolicæ, quæ reseruatio solet fieri ab omnibus Summis Pontificibus, vt in Regul. quinta, & illa beneficia dumtaxat sunt reseruata, quæ durante eorum officio obtinuerunt, vt in d. Regul. 5. & vide Gonzal. super Regul. 8. Cancell. glos. 51. num. 67.

10 Quartò Ecclesię Parochiales, quæ ab Ordinarijs conferuntur non seruata forma Concilij Trident. sess. 24. capit. 18. de reformat. quæ collationes nullum ius prouisis tribuunt per Constitutionem Pij Quinti editam quintodecimo calend. Aprilis 1566. quæ incipit, *In conferendis*, & non tribuit etiam titulum coloratum, & ille

& ille dicitur habere titulum coloratum, qui obtinet beneficium ab habente potestatem conferendi, licèt per reseruationem non potuisset, Lap. allegat. 16. num. 2. Abb. in cap. literis, num. 12. de restitut. spoliat. Paul. de Castr. cons. 253. num. 4. vol. 1. Gomez. in Regul. de triennali possess. q. 10. num. 2.

11 Quintò sunt reseruata beneficia quæcumq; cuiuscumq; qualitatis existentia, quæ in confidentia retinentur, etiam de iurepatronatus laicorum, etiam Illustrium per Constitutionem Pij IV. quæ incipit, *Romanum Pontificem*, septimo calend. Septembris 1564.

12 Sextò Ecclesiæ Parochiales ad collationem Ordinariorum spectantes, de quibus infra sex menses ipsi Ordinarij non prouiderunt, & in mensibus Sedis Apostolicæ infra quatuor à die vacationis concursum ad Romanam Curiam pro litteris Apostolicis expediendis, non transmittunt, de quibus tunc sine concursu authoritate Apostolica prouidetur, vt in d. Constitutione Pij V. *In conferendis*.

13 Septimò beneficia per resignationem, vel obitum, quæ auctoritate Apostolica conferuntur cum decreto, quòd prouisus per resignationem, vel per obitum, beneficium tunc per eum obtentum in manibus Papæ intra duos menses, vel aliud tempus in litteris Apostolicis appositum, resignare teneatur, & si non resignauerit intra illud tempus, sunt reseruata Papæ, Cassador. decis. 3. de reseruat. quia si non adimplet iuxta formam decreti beneficium vltimum collatum, vacat ipso iure, Ægid. decis. 755. & fuit resolutum in vna vicem Canonicatus die 5. Iulij 1590. coram Pamphilio, & in alia Iserden. Canonicatus 1597. coram eodem Gonz. d. super Regul. 8. Cancellar. glos. 11. num. 109. & dictum tempus appositum dimittendi beneficium incipit currere à die captæ possessionis, non autem à die prouisionis, Caputaquen. decis. 248. p. 1. & decis. 226. p. 2. Achill. decis. 12. num. 4. de priuileg. Put. decis. 51. num. 1. per tot. & decis. 101. lib. 1. & decis. 328. num. 1. lib. 3.

14 Octauò beneficia vacantia in mensibus reseruatis Sedi Apostolicæ, vt in Regula nona, vbi reseruantur dictæ Sedi octo menses, in quibus conferuntur à Papa, qui sunt Ianuarius, Februarius, Aprilis, Maius, Iulius, Augustus, October, & Nouember; in reliquis verò mensibus quatuor qui sunt Martius, Iunius, September, & December Episcopi in eorum Diœcesibus possunt conferre, & ista partitio mensium fuit iusta, & rationabilis; quia cum Papa sit vniuersalis Ordinarius, cap. per principalem, cap. cuncta per Mundum, 9. q. 3. & Dominus omnium beneficiorum, cap. 2. de præben. lib. 6. Gomez. in proœm. Regul. Cancell. num. 7. sitq; ipse solus in plenitudinem pote-

statis assumptus, & alij inferiores in partem sollicitudinis, cap. ad honorem, de auth. & vsu pall. ideò iustè, & conuenienter ampliori prerogatiua iudicauit se dignum respectu plurium mensium per illud,
15 quod dicitur in cap. si a sede, de prębend. lib. 6. Ex quo infertur, quod etiam in mensibus Ordinariorum Papa non abdicauit totaliter à se potestatem conferendi, sed venit cumulatiuè cum Ordinarijs, & inter eos est locus præuentioni, Arg. l. fin. C. de iurisd. omn. iudic. & eorum, quę notantur per Doctores in cap. cum contingat, de for. compet. Staffil. de liter. grat. in præfatione, num. 6. & sequen. Paul. Fusch. de visitat. Eccles. lib. 2. cap. 28. num. 3. Gonzal. super Regul. 8. Cancellar. §. proęmial. num. 1. & 2. & §. 3. num. 7. & sequen. & nota, quod in præuentione illa prouisio anteferri debet, & præcedere, quæ prius facta fuerit siue à Papa, siue ab Episcopo, ita vt præuentioni locus sit cap. dudum, §. nos igitur, de præben. lib. 6. cap. si à sede, eod. cap. si plures, §. porrò, de offic. delegat. lib. 6. Abb. in cap. quia diuersitatem, num. 5. de concess. præben. Gonzal. in §. proęmial. num. 3. Et Episcopi aduertere debent circa hanc materiam præuentionis, ne sua præuentio reddatur inutilis, & inanis, quòd faciant collationes suas per instrumenta publica coram Notario, & testibus; nam sine illis quando agitur contra prouisum à Sede Apostolica non creditur litteris Ordinarij super prouisione ab eo facta, etiam si in illis apponatur ipsius Ordinarij sigillum authenticum; quia præsumitur fraus in anticipatione datę, nam Episcopi, & eorum Cancellarij contra impetrantes à Sede Apostolica præsumitur, quod anticipant datas, Abb. in cap. post cessionem, sub num. 4. & 6. Felin. & Dec. ibi, de probat. Rip. in l. admonendi, nu. 141. ff. de iniur. Gonzal. loco citato, n. 147. & sequen. vbi dicit, ita fuisse resolutum à Rota Romana in vna Mediolanensi beneficij, die prima Iunij 1592. coram Domino Seraphino Rotæ Decano. Verumtamen licet in mensibus Ordinariorum Papa possit præuenire Episcopos, vt diximus, nihilominus non passim huiusmodi prouisiones facit ad hoc, vt minus Episcopi de eo conqueri valeant, cap. peruenit, in fin. 11. q. 1. & tanto magis Episcopi vigilabunt non se intromittere in conferendis beneficijs in mensibus Papæ reseruatis, cap. nouit. de iudic. cap. 1. & 3. de pact. & cap. perue-
16 nit in fin. de iureiur. & nota, quod quamuis si aliqua res vendatur duobus, ille sit præferendus, qui prius possessionem cęperit iuxta tex. in l. quoties, C. de rei vend. tamen secus est in collatione beneficiorum, quia ille, cui prius facta collatio, est præferendus, licet posterior sit in possessione; ex eo quia sua collatio est anterior per quam fuit sibi ius quæsitum plenum, & perfectius, probatur in cap. si à Sede de

præ-

præben. lib.6. & tradit Ias. in d.l. quoties, nu.12. Gonzal. super Re-
37 gul.8. Cancell. glos.15. §. 1. num.16. & sequen. nam in beneficialibus non attenditur possessio, sed vera prouisio, cap.1. de regul. iur. lib.6. Gonzal. loco citato, num.38. hinc est, quòd collatio facta à Papa, de aliquo beneficio non facta mentione de possessore, seu detentore alterius, quæ taciturnitas forsan retraheret Papam, seu difficiliorem redderet ad concedendum, hodie in omnibus litteris Apostolicis apponuntur plures clausulæ, quæ supplent defectum præfatæ taciturnitatis, videlicet: Dummodò non sit alteri ius quæsitum Felin. in cap. super litteris, num.11. de rescript. & in cap. in nostra, num.42. eod. nec non amoto quolibet illicito detentore, Felin. in d. cap. in nostra, num.32. Menoch. de arbitr. lib.2. centur.3. casu 201.n.140. Gonzal. loco citato, num.65. & sequen.

Igitur Episcopi, vt supra dictum est, habent solum quatuor menses, videlicet Martium, Iunium, Septembrem, & Decembrem in quibus possunt quæcumque beneficia vacantia conferre, & dicti quatuor menses sunt concessi Episcopis, etiam si in eorum Ecclesijs non resederint.

18 Verumtamen si Episcopi voluerint acceptare gratiam, quæ alternatiua dicitur, de qua in d. Regula nona, debent illam petere à Summo Pontifice, qui statim illam concedit, per quam alternatiuam adduntur duo alij menses, in quibus Episcopi possunt conferre beneficia, & sic habent sex menses, & sunt, videlicet, Februarius, Aprilis, Iunius, Augustus, October, & December, & dicitur alternatiua; quia alternatim proceditur, vt incipiendo à mense Ianuarij, qui est Domini Papæ, Februarius est Episcoporũ, Martius Papę, & sic de singulis, sed Episcopi, qui alternatiua gaudere voluerint, tenentur ipsam petere à Papa per patentes litteras eorum sigillo munitas, ipsasq; ad Illustrissimum Dominũ Datarium, Sanctissimi D.N. Papæ transmittere.

19 Forma autem litterarum petitionis alternatiuæ hæc, vel similis communiter esse solet. Nos N. Dei, & Apostolicæ Sedis gratiâ Episcopus N. Intendentes, & volentes obseruare Regulam obseruatoriam mensium Apostolicorum Sanctissimi D.N.N. diuina prouidentia PP. &c. Nec non frui, & potiri gratia, & beneficio alternatiuę Episcopis apud Ecclesias, aut Diœceses suas verè, & personaliter residentibus per eandem Regulam concessæ. Propterea humiliter, & debita cum reuerentia, ac omni meliori modo, quo possumus, & debemus libenter præfatam alternatiuæ gratiam acceptamus, ac ea vti velle declaramus, in cuius voluntatis, acceptationis, & declarationis fidem, præsentes patentes litteras per Secretarium nostrum scriptas

manu nostra propria subsignauimus, sigillique nostri soliti impressione muniri fecimus, & ad Illustrissimum Dominum eiusdem Sanctissimi D.N. Papæ Datarium eas transmitti curauimus. Datum in Ciuitate,&c. Die,&c. Istam formam ponit Gonzal. super Regul. 8. Cancell. glos. 62. numer. 33. Quibus literis præsentatis, & recognitis, illæ annotantur per Dominum Datarium in Cancellaria Apostolica, qui Dominus Datarius sub tali, vel simili forma solet rescribere. Nos N. Sanctissimi D. N. Vrbani diuina prouidentia Papæ VIII. Datarius, notum facimus omnibus, & singulis, ad quos spectat, quod Die, &c. 1656. pro parte admodum Reuerendi in Christo Patris Domini Nostri Episcopi Ciuitatis N. præsentatæ, & recognitæ fuerunt litteræ acceptationis gratiæ alternatiuæ mensium Episcopis in Ecclesijs suis verè, & personaliter residentibus per eundem D.N. Papam concessæ. In quorum fidem, & testimonium has nostras patentes litteras manu nostra subscripsimus, & sigillo nostro muniri fecimus. Datum Romæ Die, & Anno quibus supra. N. Datarius. Et nota, quod
20 dictæ litteræ patentes acceptationis alternatiuæ, quæ transmittuntur ad Dominum Datarium per Episcopum debent fieri in Ciuitate, vel Diœcesi, aliàs non valerent; nam licet sint iurisdictionis voluntariæ, quam Episcopi possunt exercere vbique cap. post electionem, de concess. præbend. cap. qua fronte, de appellat. Couar. var. conclus. cap. 20. num. 8. tamen in tex. dictæ Regulæ in fine ponuntur ista verba videlicet. Et in sua quisque Ciuitate, vel Diœcesi datas declarare,&c. Sed quid, si expeditæ fuerint in aliquo loco exempto suæ Diœcesis? Dicas quòd valerent, quia locus exemptus consistens in Diœcesi dicitur de Diœcesi, cap. Episcopus, de offic. Ordin. lib. 6. dum loquitur de Diœcesi, & excipit locum exemptum; cum exceptio debeat esse de regula, l. quod liquido, §. fin. ff. de penult. legat. notat Bart. in l. quæsitum, §. denique ff. de fund. instruct. Dec. cons. 656. num. 6. maximè post Concilium Trident. vt patet sess. 24. cap. 9. de reformat. & sess. 7. cap. 8. in quibus disponitur, quod Episcopi habeant iurisdictionem in locis exemptis suæ iurisdictionis.
21 Sed notandum est, quòd Episcopi, qui dictam gratiam alternatiuæ acceptauerunt ad tria inuiolabiliter obseruanda sunt obnoxij. Primò, quod in beneficijs in alijs sex mensibus Papæ reseruatis, vel quomodolibet ad Sedem Apostolicam pertinentibus non se intromittant, quia Summus Pontifex in dictâ Regula nona Cancellariæ
22 voluit, vt Episcopi si in collatione, aut alia dispositione beneficiorum in alijs sex mensibus reseruatorum, vel effectorum se intromiserint, dicta gratia alternatiuæ eo ipso sint priuati. Secundò, quòd non

23 præ-

23 præstent impedimentum, quo minus prouisiones, & gratiæ Sanctitatis suæ debitum non consequantur effectum similiter visu, & facultate dictæ alternatiuę, & gratia sint priuati, & collationes, & dispo-
24 sitiones de beneficijs prætextu dictæ alternatiuę factæ sint nullius roboris, vel momenti. Tertiò, & vltimò, quòd residere debeant in eorum Ecclesijs; quia alternatiua vti, & gaudere possunt quandiu apud Ecclesias, aut Diœceses suas verè, & personaliter resederint, & non aliter, quòd ampliatur etiam si essent absentes ex causa necessaria suæ Ecclesiæ, immò etiam Sedis Apostolicæ, nam alternatiua est concessa cum dictione, *dumtaxat*, quæ excludit, & negat omne aliud tempus, cap. cum Ecclesia Sutrina, §. verum de caus. possess. & propriet. Bart. in l. 1. num. 1. ff. si quis ius dicent. non obtemp. hinc est, quod si quis fuerit Nuntius in aliquo Regno non gaudet alternatiua, & ita fuit resolutum per Rot. Roman. Die 13. Martij 1590. coram Contucio, vt refert Ric. decis. 540. num. 3.

25 Veruntamen vacante Sede Apostolica Episcopi possunt liberè conferre beneficia vacantia in omnibus mensibus, etiam reseruatis dictę Sedi Apostolicæ absque aliqua distinctione; quia sunt sublata obstacula, & omnes menses sunt Ordinariorum, Caputaquen. decis. 86. num. 3. lib. 1. Crescent. decis. 3. n. 4. de priuileg. Put. decis. 462. num. 3. lib. 2. Gomes. in tract. de expectan. num. 10. Gonzal. super Regul. 8. Cancellar. §. 5. proœmial. num. 46. nam Regula, de reseruatione mensium extinguitur per mortem Papæ illam promulgantis Flamin. Paris. de resignat. lib. 11. q. 2. num. 31. Gonzal. loco citato, num. 2. & ideo fuit resolutum in vna Astoricen. Canonicatus die 18. Martij 1551. quòd menses Ianuarij Pontificali Sede vacante spectabat ad Ordinarium, quia mortuo Papa Regula reseruatoria octo mēsium expirat, & illa extincta omnes menses spectant ad Ordinarium, teste Caputaquen. decis. 214. num. 3. Gonzal. vbi supra, nu. 48. Sed
26 si ante obitum Papæ vacauerit beneficium aliquod in mense reseruato, & Papa morte præuentus illud non contulit, Ordinarius non poterit prædictum beneficium conferre; nam licet reseruatio Regulę sit limitata ad beneplacitum Papæ, quod eius obitu extinguitur, cap. si gratiosè, de rescript. lib. 6. tamen ex quo beneficium fuit semel reseruatum, semper durat reseruatio, etiam si causa reseruationis deficiat, ita vt non possit deuenire ad manus inferioris, donec Papa de illo disponat, & beneficium semel affectum semper durat affectum, Gonzal. quo supra, num. 79. & 85. Sed nota, quod si Episcopus contrauenerit in aliquo prædictorum casuum superiùs expressorum priuatur alternatiua ratione contrauentionis, sed non propterea priuatur suis

qua-

quatuor mensibus, videlicet, Martio, Iunio, Septembri, & Decembri, ad quos statim restituitur, & Papa ad aliquos octo menses, prout prius ante acceptatam alternatiuam, Gonzal. glos. 57. num. 147.

27 Sed quid si Episcopus sanitatis causa recuperandæ, vel amicum, aut consanguineum visitandi gratia, aut pro suæ Ecclesiæ, aut Capituli negotijs per aliquos puta, quindecim vel viginti dies abesse contingerit, & rediens ad suam residentiam beneficia vacantia repererit in mense suo ordinario per alternatiuam sibi concesso conferre poterit? Videtur dicendum, quòd possit; quia præsumitur non animo transferendi domicilium, sed breui tempore reuersurus, & in Palatio Episcopali reliquit familiam; quia dicitur in Ciuitate manere, licet ibi non sit præsens, dummodo ibi habeat familiam, Bart. in l. 1. num. 7. ff. de liber. agnos. Felin. in cap. quoniam frequenter, num. 10. vt lit. non contest. qui enim aliquantisper abest, & statim reuerti-

28 tur, non videtur abesse, Concil. Trident. sess. 23. cap. 1. vers. quoniam autem, & ita Flamin. Paris. tenet in tract. de resignat. lib. 1. q. 10. num. 8. vbi dicit, quod ita Congregatio Concilij censuit. Sed in contrarium est veritas; ratio est, quia in dicta Regula Cancellar. adest dictio, *verè*, & personaliter resederint, quæ dictio, *verè*, omnem dubitandi occasionem remouet; nam per eam requiritur vera, realis, & effectualis residentia, & omnem absentiam excludit, ex quo si veritatem consideramus, impossibile est, quod absens, etiam ex causa iusta, vel ad modicum tempus sit præsens, Abb. in cap. extirpandæ, §. qui verò, num. 27. Gemin. in cap. fin. de consuetud. lib. 6. Dec. in l. si quis id, quod nu. 40. ff. de iurisd. omn. Iudic. & in l. 15. damnum dat. num. 5. & 6. ff. de regul. iur. Et propterea dicendum est, quòd si Episcopus abfuerit à sua Diœcesi per duos, immò etiam per vnam diem, non habet locum alternatiua, Gonzal. super Regul. 8. Cancellariæ, glos. 43. per tot. & num. 41. & sequen. refert quod accidit casus in Hispania de mense Aprilis anno 1603. dum enim Dominus Maximilianus ab Austria, Episcopus Segobien. cum acceptatam alternatiuam haberet, & continuam residentiam in Diœcesi faceret, ac intelligeret, quod Rex Catholicus Philippus III. accesserat ad Domum, quæ dicitur Scorial distantem per quatuor milliaria à Diœcesi Segobien. accessit ad eandem Domum, visitandi causa dictum Regem, & sic abfuit solummodo ab eius Diœcesi per duos dies, nempè, die 13. & 14. Aprilis, & hoc tempore vacauit vnum beneficium, & statim reuersus, illud contulit cuidam Don Hieronymo de Padilla eius Vicario, & postea alius idem beneficium obtinuit à Sede Apostolica, vti reseruatum, ex eo, quod vacauerat durante dicta absentia, & cau-

sa

sa introducta Romę in Rota fuit decisum, die 26. Martij 1604. coram Iusto, quod non habebat locum alternatiua, & dictum beneficium tamquam reseruatum Sedi Apostolicæ Episcopus non poterat conferre; quia verbum residere accipitur, vt Episcopus nunquam discedat, vt benè tradit Cardin. in Clem. 1. quæst. 12. de for. compet. Non obstant superiùs in contrarium allegata; quia quando absens ex iusta causa censetur, seu videtur præsens intelligitur impropriè per fictionem quandam; nam verbum censeri, videri, credi, & similia denotant fictionem, & improprietatem, Bart. in l. si 15. qui pro emptore, num. 5. ff. de vsucap. Natt. cons. 4. num. 9. lib. 1. Mandos. in Regul. de annali, q. 87. num. 1. Rebuff. in prax. sub regul. de publicand. glos. 15. in fin. Nec obstat, quod Congregatio Concilij Trident. contrarium declarauit, vt refert Flam. Paris. quia id procedebat attento tenore Regulæ Cancellariæ Gregorij XIII. in qua non erat tunc apposita illa dictio *verè*, prout ad præsens in moderna Regula; nam ista verba, *verè*, *& personaliter* addita fuerunt, vt obuiaretur fraudibus nonnullorum Episcoporum non residentium, & passim dicentium, quod gaudebant alternatiuæ gratia, & beneficio, ex quo erant pro vtilitate Ecclesiæ, vel Reipublicæ absentes; & ideò censebantur pręsentes, & residentes, quæ ratio prorsus cessat hodie, Gonzal. loco ci-
29 tato, num. 70. Verumtamen si Episcopus aliquando moratur in aliquo loco exempto suæ Dięcesis, dicatur verè residere, vt supra diximus; nam locus exemptus consistens in Dięcesi, dicitur de Dięcesi; & cum dicatur residere, quod si tempore vacationis reperiatur in loco exempto posito intus Dięcesim poterit absque dubio conferre, Gonzal. loco citato, num. 190.

30 Et notandum est, quod si Episcopus acceptauerit gratiam alternatiuæ in aliquo suo mense ex quatuor, puta in mense Martij, ille mensis statim acceptata alternatiua efficitur Domini Papæ, ita quod si vacauerint beneficia in dicto mense, eorum collatio, & omnimoda prouisio priuatiuè quoad ipsum Episcopum spectat ad Papam, prout in terminis concludit Gonzal. super Regul. 8. Cancellar. glos. 65. numer. 4. & 9. ex illo enim die, & mense, quo Episcopus residens in Dięcesi acceptauit alternatiuam, intelligitur ea vti, & gaudere, adeò quòd statim fit mutatio mensis de Ordinario in mensem reseruatum Papæ, quod probat dictus Gonzal. ex vi dictionis *tunc*, nec obstat quòd reseruatio videatur apposita, mensi integrali, & non singulis diebus, adeò vt si in principio mensis dictus mensis esset Ordinarij, semper remanere debeat Ordinarij; quia istud procedit ad fauorem Papæ, vt si mensis à principio esset reseruatus Papæ, remanet simili-

ter

ter reseruatus integrè sicut de semel effecto dicitur, ita in vna Fauentina Canonicatus per Rotam fuit resolutum coram Illustrissimo Blãchetto die 16. Decembris 1586. non autẽ ad fauorem Ordinarij collatoris; quia benè potest fieri permutatio, vt ex mense Ordinarij incepto fiat reseruatio, non è contra, vt pluries reperitur resolutum, & declarat Gonzal. in glos.43. num. 155.& sequen. sufficit ergo, quod in Curia alternatiua sit acceptata nomine Episcopi,& per Dominum Datariũ admissa,vt in vna Ferrariensi Prioratus die 17. Martij 1608. coram Pegna Decano fuit resolutum, nec est necessaria aliqua ratificatio,aut acceptio, vel scientia Episcopi existentis in partibus,Gonzal. glos.65. num.20. vbi dicit non esse necessarium, vt sit elapsum tantum tempus, quod Episcopus in partibus existens verisimiliter de illa notitiam habere potuerit; nam licet ad hoc, vt Episcopus incidat in pęnas impositas contrauenientibus alternatiuæ, sit necessaria huiusmodi scientia, nihilominus ad effectum, vt mensis efficiatur reseruatus, sufficit acceptatio alternatiuæ in Curia de mandato Episcopi facta, Gonzal. glos.61. num. 2.

31 Et quoniam aliquando solet euenire, quod beneficiatus moritur in vltima nocte mensis Episcopi, ideò videndum est, ad quem spectat collatio beneficij ad Episcopum, vel ad Papam? & dico quod in beneficijs conferendis attenditur textus in l.more Romano, ff.de fer. vbi dicitur, quod dies incipit à media nocte, & alia sequenti media nocte finitur, ideò si beneficiatus moriatur ante mediam noctem, collatio spectat ad Episcopum; quia dies præcedens currit vsque ad mediam noctem; si verò moritur post mediam noctem, à qua incipit currere dies mensis Papæ, collatio spectat ad Papam; & ita fuisse decisum per Rotam Romanam, refert Ludouic. decis. Perus. 116. vbi dicit, quod iste casus cum occurrisset in quodam Oppido, seu Villa, vbi non aderat Horologium,& esset vltima nox mensis Papæ,& fuisset probatum per testes, quod tempore, quo decessit beneficiatus ille, galli cantabant, qui verisimiliter cantare solent post mediam noctem, & ideò spectare collationem ad Ordinarium, & ita fuit resolutum in vna Auersana Parochiali die 12. Martij 1562. coram Oradino, vt idem Ioseph Ludouic. refert in d. decis. & Gonzal. glos. 11. num. 16.

32 Secundum notandum est, quod Ecclesiæ Parochiales vacantes per obitum sunt conferendæ ab Ordinarijs in eorum mensibus iuxt. decretum Concilij Trident. sess.24. cap.18. de reformat. Vnde occurrente vacatione debet deputari in Ecclesia vacante Vicarius, qui eam administret, donec prouideatur de Rectore, & intra decem dies

Epi-

Episcopus eligere debet aliquas personas, vel concursu proposito inuitare, qui se velint subijcere examini Examinatorum in Synodo Diœcesana deputatorum, & demum vni ex approbatis ab examinatoribus, quem ipse iudicauerit prouidere de Ecclesia vacante, aliàs collatio erit nulla, & efficitur Sedi Apostolicæ, & nullum ius tribuit, neque titulum etiam coloratum, vt dictum supra est per Constitutio-
33 nem Pij V. incip. *In conferendis*, quæ habet decretum irritans, quod annullat omnia ipso iure, cap. si eo tempore, de elect. lib. 6. cap. quoniam cum glos. de præbend. & prouisus dicitur intrusus, glos. in verb. dumtaxat, in cap. nisi pridem, §. propter de renunt. Felin. in cap. nostra, num. 13. eod. & in cap. veniens num. 2. de accusat. & est tantæ potentiæ, & efficaciæ, quod inficit, & irritat omnia, quæ in contrarium fiunt, Gomes. in Regul. de triennali, quæst. 49. num. 12. Sed in beneficijs Curatis, & Ecclesijs Parochialibus Sedi Apostolicæ reseruatis Episcopus proponere debet concursum, & examinare, & eligere digniorem instituendum à Sede Apostolica, vt in Concilio Trident. loco quo supra citato, & per dictam Constitutionem Pij V. & fuit declaratum à Sacra Congregatione, vt refert Gonzal. glos. 6. num. 116. per hæc verba: In beneficijs curatis Sedi Apostolicę vacantibus per obitum in mensibus reseruatis, Ordinarij proponent edicta concursus; & à Sede Apostolica prouisio fiat approbato ab examinatoribus in Synodo Diœcesana deputatis, si fidem habet approbationis ab Ordinario, vt in d. Constitutione Pij. Sed vacante Ecclesia de iurepatronatus laicorum Sacra Congregatio Concilij, vt dicit Gonzal. glos. 6. num. 134. censuit, quod examen per consuetum fieri non debeat in vacatione Parochialis, quæ sit de iurepatronatus laicorum; sed sufficit, quod præsentatus à patrono examinetur ab examinatoribus Diœcesanis, & idoneus iudicetur, nisi fuerint plures præsentati, & tunc in concursu admitti debent ipsi præsentati tantum, vt ex his peracto examine idonei ab examinatoribus denuntiati sint, Episcopus eum eligat, quem cęteris magis idoneum iudicauerit, atque illum, & non alium instituat.

34 Secundò notandum est, quòd quando quis vellet resignare beneficium in manibus Ordinarij ad fauorem alicuius certæ personæ, non posset cum tali conditione; quia incurreret crimen simoniæ, glos. in cap. ex parte il 1. in verb. dimittere, de offic. delegat. nam renuntiata, vt valeat, debet fieri purè, liberè, & spontè, Clem. 1. & ibi glos. in verb. liberè, & Card. de renunt. glos. in cap. cum inter R. in glos. magna, de elect. & ibi Abb. Card. in Clem. 1. de rer. permutat. sed
35 est duplex resignatio libera, & conditionalis, libera potest fieri in manibus

ter reseruatus integrè sicut de semel effecto dicitur, ita in vna Fauentina Canonicatus per Rotam fuit resolutum coram Illustrissimo Blãchetto die 16. Decembris 1586. non autẽ ad fauorem Ordinarij collatoris; quia benè potest fieri permutatio, vt ex mense Ordinarij incepto fiat reseruatio, non è contra, vt pluries reperitur resolutum, & declarat Gonzal. in glos. 43. num. 155. & sequen. sufficit ergo, quod in Curia alternatiua sit acceptata nomine Episcopi, & per Dominum Datariũ admissa, vt in vna Ferrariensi Prioratus die 17. Martij 1608. coram Pegna Decano fuit resolutum, nec est necessaria aliqua ratificatio, aut acceptio, vel scientia Episcopi existentis in partibus, Gonzal. glos. 65. num. 20. vbi dicit non esse necessarium, vt sit elapsum tantum tempus, quod Episcopus in partibus existens verisimiliter de illa notitiam habere potuerit; nam licet ad hoc, vt Episcopus incidat in pęnas impositas contrauenientibus alternatiuæ, sit necessaria huiusmodi scientia, nihilominus ad effectum, vt mensis efficiatur reseruatus, sufficit acceptatio alternatiuæ in Curia de mandato Episcopi facta, Gonzal. glos. 61. num. 2.

31 Et quoniam aliquando solet euenire, quod beneficiatus moritur in vltima nocte mensis Episcopi, ideò videndum est, ad quem spectat collatio beneficij ad Episcopum, vel ad Papam? & dico quod in beneficijs conferendis attenditur textus in l. more Romano, ff. de fer. vbi dicitur, quod dies incipit à media nocte, & alia sequenti media nocte finitur, ideò si beneficiatus moriatur ante mediam noctem, collatio spectat ad Episcopum; quia dies præcedens currit vsque ad mediam noctem; si verò moritur post mediam noctem, à qua incipit currere dies mensis Papæ, collatio spectat ad Papam; & ita fuisse decisum per Rotam Romanam, refert Ludouic. decis. Perus. 116. vbi dicit, quod iste casus cum occurrisset in quodam Oppido, seu Villa, vbi non aderat Horologium, & esset vltima nox mensis Papæ, & fuisset probatum per testes, quod tempore, quo decessit beneficiatus ille, galli cantabant, qui verisimiliter cantare solent post mediam noctem, & ideò spectare collationem ad Ordinarium, & ita fuit resolutum in vna Auersana Parochiali die 12. Martij 1562. coram Oradino, vt idem Ioseph Ludouic. refert in d. decis. & Gonzal. glos. 11. num. 16.

32 Secundum notandum est, quod Ecclesiæ Parochiales vacantes per obitum sunt conferendæ ab Ordinarijs in eorum mensibus iuxt. decretum Concilij Trident. sess. 24. cap. 18. de reformat. Vnde occurrente vacatione debet deputari in Ecclesia vacante Vicarius, qui eam administret, donec prouideatur de Rectore, & intra decem dies

Epi-

Episcopus eligere debet aliquas personas, vel concursu proposito inuitare, qui se velint subijcere examini Examinatorum in Synodo Diœcesana deputatorum, & demum vni ex approbatis ab examinatoribus, quem ipse iudicauerit prouidere de Ecclesia vacante, aliàs collatio erit nulla, & efficitur Sedi Apostolicæ, & nullum ius tribuit, neque titulum etiam coloratum, vt dictum supra est per Constitutio-
33 nem Pij V. incip. *In conferendis*, quæ habet decretum irritans, quod annullat omnia ipso iure, cap. si eo tempore, de elect. lib. 6. cap. quoniam cum glos. de præbend. & prouisus dicitur intrusus, glos. in verb. dumtaxat, in cap. nisi pridem, §. propter de renunt. Felin. in cap. nostra, num. 13. eod. & in cap. veniens num. 2. de accusat. & est tantæ potentiæ, & efficaciæ, quod inficit, & irritat omnia, quæ in contrarium fiunt, Gomes. in Regul. de triennali, quæst. 49. num. 12. Sed in beneficijs Curatis, & Ecclesijs Parochialibus Sedi Apostolicæ reseruatis Episcopus proponere debet concursum, & examinare, & eligere digniorem instituendum à Sede Apostolica, vt in Concilio Trident. loco quo supra citato, & per dictam Constitutionem Pij V. & fuit declaratum à Sacra Congregatione, vt refert Gonzal. glos. 6. num. 116. per hæc verba: In beneficijs curatis Sedi Apostolicę vacantibus per obitum in mensibus reseruatis, Ordinarij proponent edicta concursus; & à Sede Apostolica prouisio fiat approbato ab examinatoribus in Synodo Diœcesana deputatis, si fidem habet approbationis ab Ordinario, vt in d. Constitutione Pij. Sed vacante Ecclesia de iurepatronatus laicorum Sacra Congregatio Concilij, vt dicit Gonzal. glos. 6. num. 134. censuit, quod examen per consuetum fieri non debeat in vacatione Parochialis, quæ sit de iurepatronatus laicorum; sed suffi it, quod præsentatus à patrono examinetur ab examinatoribus Diœcesanis, & idoneus iudicetur, nisi fuerint plures præsentati, & tunc in concursu admitti debent ipsi præsentati tantum, vt ex his peracto examine idonei ab examinatoribus denuntiati sint, Episcopus eum eligat, quem cęteris magis idoneum iudicauerit, atque illum, & non alium instituat.

34 Secundò notandum est, quòd quando quis vellet resignare beneficium in manibus Ordinarij ad fauorem alicuius certæ personæ, non posset cum tali conditione; quia incurreret crimen simoniæ, glos. in cap. ex parte il 1. in verb. dimittere, de offic. delegat. nam renuntiata, vt valeat, debet fieri purè, liberè, & spontè, Clem. 1. & ibi glos. in verb. liberè, & Card. de renunt. glos. in cap. cum inter R. in glos. magna, de elect. & ibi Abb. Card. in Clem. 1. de rer. permutat. sed
35 est duplex resignatio libera, & conditionalis, libera potest fieri in manibus

manibus Ordinarij, neque simpliciter, sed propter aliquam causam, ex illis, quæ ponuntur in Constitutione Pij V. Romę calend. Aprilis 1568. quæ incipit, *Quanta Ecclesia*, per quam disponitur, quòd Episcopi, & alij Ordinarij nullas admittant, & recipiant resignationes
36 beneficiorum, nisi illorum, qui aut senio confecti, aut valetudinarij, aut corpore impediti, vel vitiati, aut crimini obnoxij, censurisque Ecclesiasticis irretiti, aut nequeunt, aut non debent Ecclesiæ, vel beneficio inseruire, qui vnum aliud, vel plura beneficia obtinuit, aut quem ad aliud contingerit promoueri, ingressuri Religionem, vel matrimonium contracturi, si statim re ipsa id exequantur. Qui ob inimicitias capitales nequeunt, vel non audent in loco beneficij commorari. De quibus omnibus vide Prosper. de Augustin. in addit. ad Quarant. in summ. Bullar. in verb. Beneficiorum resignationes, & Flamin. Paris. de resignat. benefic. lib. 5. quæst. 6. per tot. vbi latissimè, cum aliqua ergo istarum causarum potest fieri resignatio beneficiorum in manibus Ordinariorum liberè, & non ad fauorem alicuius; & aduertere debent Ordinarij, quòd si constituti in sacris vellent resignare eorum beneficia, debent habere, & probare, vnde se commodè viuere pos-
37 sent, vt in d. Constitutione Pij V. Cauere etiam debent Ordinarij ne beneficia in manibus eorum resignata ob aliquam prædictarum causarum, suis consanguineis, vel affinibus, nec ipsorum resignantium consanguineis, vel familiaribus; quia essent suspensi à collatione beneficiorum, officiorum, electione, præsentatione, confirmatione, & institutione, donec à Summo Pontifice absolutionem, & habilitationem obtinuerint, vt pleniùs in d. Constitutione continetur, Nauar. cons. 9. de renunt. Nisi beneficia essent de iurepatronatus laicorum; quia si renuntiarentur concurrente aliqua ex prædictis causis possent conferri, consanguineis, & affinibus resignantium, vt declarauit Gregorius XIII. prout ponit Quarant. in d. verb. Beneficiorum resignationes, in resignatione autem aliorum beneficiorum, quæ fit coram Episcopo, non solum verbis expressis, sed nec signis, nec nutu demonstretur, vt beneficium resignatum suo nepoti, vel alicui alteri conferatur, vt in dicta Constitutione Pij V. Resignatio conditionalis est, quando fit ad fauorem alicuius, & non potest fieri, nisi in manibus Summi Pontificis, & in supplicatione dicitur talis orator ad fauorem talis, & non aliter, nec alio modo, & clausula ista, quæ solet apponi in mandato procurationis inducit necessitatem, ita quòd transgressio vitiat, & resignatio est nulla defectu transgressionis mandati, l. diligenter, ff. mandat. Felin. in cap. ex parte, num. 3. de constit. & nota, quòd si resignans beneficium non superuiuat per viginti dies iuxta

Regu-

Regulam 18. Cancellar. de viginti, beneficium ipso iure vacat: & potest à quocumque obtineri, quauis authoritate collatum latè tradunt ibidem Gomes. & Mandos. & post illos latissimè Flamin. Paris. de resignat. benefic. lib. 2. per totum, Gonzal. super Regul. 8. glos. 15. num. 84.

39 Tertiò notandum est, quòd omnes, & quocumque resignationes etiam ex causa permutationis beneficiorum Ecclesiasticorum, etiam comendarum, nec non litium, & iurium quorumcumque cessiones si factæ fuerint coram Summo Pontifice, debent infra sex menses citra Montes publicari; si verò vltra Montes intra nouem menses à die præstiti super resignatione consensus, iuxta Constitutionem Gregorij XIII. quę incipit, *Humano vix*, nonis Ianuarij 1583. Publicatio autem resignationis fieri debet in Ecclesia Cathedrali, & in Ecclesia, seu Ecclesijs beneficij, si in pluribus illud sit dum frequens populus ad Missarum solemnia conuenit vbi palam omnibus litterę, siue Apostolica, siue Ordinaria authoritate expeditę sint, eorumque transumptum est exhibendum claraq; & intelligibile voce resignatio, seu cessio huiusmodi, ac beneficij qualitas, & inuocatio, nominaque cognomina resignantis, seu cedentis, & cessionarij in cuius fauorem facta fuerit huiusmodi gratia publicentur; ita vt hæc omnia ad notitiam ibi existentium omnium verisimiliter peruenire possint, scriptumque de his omnibus exemplum collatum in valuis Ecclesiarum prædictarum affigi, & relinqui debet. Forma autem prædicta est omninò obseruanda, & non per ęquipollentem, vt in dicta Constitutione plenius dicitur, & ista publicatio obligat etiam S.R.E. Cardinales, & si quicquam prædictorum omissum fuerit, elapso dicto termino sex mensium, omnes dispositiones, & gratiæ resignantium, & cessiones beneficiorum, aut iurium huiusmodi irritæ, & omnes, nullęque sunt, ac nulla gratia super huiusmodi beneficio, vel iure cesso suffragatur. Flam. Paris. de resignat. lib. 11. per tot. Gonzal. glos. 15. num. 84. & ipsi tales inhabiles, & incapaces sunt ad huiusmodi beneficia sic resignata, & cessa, & quomodolibet obtinenda. Vnde beneficia resignata publicatione non facta, tàm ex parte resignantium, quàm resignatariorum ipso iure vacant, & sunt reseruata Sedi Apostolicæ, vt in dicta Constitutione Gregorij XIII. §. si quicquam, Paris. de resignat. lib. 11. num. 1. Gonzal. glos. 51. num. 106. nec resignantes continuando possessionem, constitutione de annali, vel triennali possessione, & resignatarij ad beneficia resignata, & cessa quomodocumque obtinenda inhabiles, & incapaces redduntur; & dicta beneficia spectant ad collationem Sedis Apostolicę, prout hæc omnia, & alia plenius

in

41 in dicta Constitutione habentur; & sic dicta forma est seruanda data per dictam Constitutionem in publicatione facienda, alias actus corruit, cap. dilecta, de rescript. cap. venerabili, de offi. delegat. cap. fin. de restit. spoliat. Felin. in dicto cap. dilecti, num. 6. quia maior est defectus formę, quàm materiæ, glos. in l. vnus, §. acceptilatio, in verb. inutilis, vbi Castrens. num. 2. C. de pact. l. certa forma, C. de iur. fisc. lib. 10. & nota, quòd licèt resignatio facta fuerit in manibus Ordinarij, & postea collatio est obtenta à Papa tamquam deuoluta ob negligentiam Ordinarij: nihilominus impetrans non habet semestre tempus, sed tres menses tantùm ad publicandum iuxta formam dictæ Constitutionis, ita tenet Seraph. Oliuar. decis. 1365. numer. 2.

42 Si verò huiusmodi resignationes, & cessiones in manibus Ordinariorum factæ fuerint, prouisi tenentur intra tres menses à die factæ prouisionis publicationem facere, & possessionem capere: alioquin illis elapsis, nulla est prouisio, ac collatio, & beneficium vacat ipso iure, vt in dicta Constitutione Gregorij.

43 Quartò notandum est, quòd cauendum erit etiám, ne incidatur in crimine confidentiæ, quod est genus criminis ad prauitatem simoniacam pertinens; nam Pius IV. in eius Constitutione edita Romæ die decimo septimo calend. Nouembris 1564. quæ incipit, *Romanum Pontificem*, & Pius V. in alià, quæ incipit, *Intolerabilis*, anno 1566. grauissimis pęnis hoc confidentiæ crimen puniendum statuerunt; Episcopis enim Archiepiscopis, Patriarchis, vel Cardinalibus hoc crimen committentibus est imposita pęna ingressus Ecclesiæ, quam si ingrediuntur, incidunt in irregularitatem, iuxta tex. in cap. 15. cui de sent. excommun. lib. 6. inferiores verò excommunicationis Papalis sententiam incurrunt, vt patet ex dictis Constitutionibus Pontificis; & fiunt inhabiles ad omnia alia beneficia, ipsaque confidentia ad detestationem huius delicti probari potest solis præsumptionibus, & testibus singularibus, vt in dicta Constitut. Pij V.

44 Committitur autem hoc crimen confidentiæ multis modis, vt si quis resignaret beneficium alicui cum pacto, vt pensio sibi soluatur sine consensu Papæ. Item si aliquis irregularis beneficium resignet alicui cum pacto, quod obtenta dispensatione super irregularitate, idem beneficium sibi restituat. Item si quis beneficium vacans impetrauit eo pacto, vt ad mandatum, & voluntatem alicuius illud resignare, & renuntiare habeat, vt alteri conferatur. Item quando resignans esset infirmus, & conuenit cum resignatario, vt si ex illa infirmitate conualesceret, beneficium sibi restituere. Item quando constaret

staret

ftaret ex litteris missis resignanti, in quibus resignatarius fateretur, sibi factam fuisse resignationem ob id, quod ipse tamquam fideiussor resignantis soluerat debitum eius creditori, vel alio modo constaret, Prosper de Augustin. in addit. ad Quarant. in verb. simonia, & alijs modis potest committi, vt videre poterit apud Ignat. Lopez in addition. ad pract. canon. crimin. Diaz in cap. 91. vide Nauar. in Manual. cap. 23. num. 109.

45 Quintò notandum est, quod licet Episcopi non possint conferre beneficia, nisi in mensibus suis ordinarijs, vt supra dictum, tamen in quolibet mense anni possunt conferre beneficia coram ipsis liberè resignata, dummodo resignantur ex aliqua causa contenta in dicta Constitutione Pij V. & non conferantur consanguineis, vel affinibus resignantis, vel ipsius Episcopi collatoris; quia Regula nona de mensibus non subintrat locum in resignatione, Gonzal. 14. num. 31.

46 Sextò notandum est, quod accessus, regressus, & ingressus cum habeant speciem, seu imaginem hæreditariç successionis, hodie sunt prohibiti, & fuerunt sublati per Concilium Trident. sess. 25. cap. 7. de reformat. Accessus est, quando Summus Pontifex vult conferre beneficium puero, sed quia per ætatem idoneus non est, alteri confert cum conditione, vt cum puer ad ætatem peruenerit idoneam, possit propria authoritate ad tale beneficium accedere. Regressus est, quando quis resignat beneficium hac conditione, vt si prius is, cui est renuntiatum, moriatur, ad resignantem reuertatur. Ingressus est, quando Summus Pontifex beneficium confert mihi, & ego ante possessionem habitam, resigno alicui hac conditione, vt si prius moriatur resignatarius, beneficium ad me ingrediatur, ita declarat Rebuff. in prax. beneficior. in tit. de regressib. Vgolin. de offic. & potestat. Episcop. cap. 50. §. 8. num. 2. p. 2.

47 Septimò notandum est, quod in obtinente beneficium requiritur ętas legitima, quę quoad curatum est annorum vigintiquinque quos sufficit attigisse, vt possit fieri Sacerdos, cap. cum in cunctis, de elect. & cap. licet eod. lib. 6. Concil. Trident. sess. 24. cap. 12. de reform. Quo verò ad beneficia non curata si sunt Dignitates, Personatus, aut Canonicatus in Ecclesijs Cathedralibus viginti duorum, Concil. Trid. loco citato. Quoad beneficia simplicia requiritur ætas annorum quatuordecim, quos sufficit attigisse, licet expleti non sint, Garz. decis. 32. & ita declarauit Sacra Congregatio Concilij, vt refert Ric. collectan. 860. in fin. hæ ætates igitur requiruntur ad beneficia obtinenda, alioquin collatio facta non habenti huiusmodi ętatem, nulla est, cap. licet, de elect. lib. 6. vbi glos. Gemin. Anchar. & Doctores

communiter Parif. de resignat. lib.4. q.8. Nauar. conf. 1. 2. & 3. de ætat. & qualitat. Vgol. de offic. & potest. Episcop. part. 2. cap. 50. §. † 8. num. 3. & 6. Adde Garziam de Beneficijs cap.4. num.4. cum seqq. fol.46. Vide Squillante de priuileg. Clericorum cap.4. num.60. cum
48 seqq. fol. 113. Dispensare autem circa ætatem nemo potest, nisi solus Papa; quia est Constitutio Concilij generalis, super qua non possunt Episcopi dispensare, glos. in cap. dilectus, in verb. ætate, de elect. glos. in cap. penult. in fin. de fil. presbyt. Nauar. de orat. seu de hor. canon. cap. 11. n.24. Abb. in cap. dilecto, num.5. de preben. Flamin. Parif. de resignat. lib.4. q.1. n.7. Ric. collectan. decis. 860. in Ecclesijs verò Collegiatis obtinentes Canonicatus sufficit, quod habeant ętatem annorum quatuordecim; nam in collegiatis non est necesse, quod Canonicatus habeant annexum ordinem Sacrum; quia Concilium Trident. sess. 24. cap. 12. §. in omnibus verò, de reformat. loquitur de Ecclesijs Cathedralibus tantùm, & non de Collegiatis, & ex diuersis non fit illatio, l. Papinianus, ff. de minor. & refertur ita censuisse Sacram Congregationem Concilij, nisi in collegiata esset dignitas principalis; cum regulariter habeat curam animarum in foro interiori, & exteriori; nam tunc requiritur in obtinēte ętas viginti quinque annorum, Garz. de benefic. cap.4. num.65.

49 Appellatione verò beneficij Ecclesiastici largo modo in materia fauorabili compræhenduntur Dignitates, Personatus, Canonicatus, Officium, Præbenda, & Portio, glos. in cap. 1. de regul. iur. lib.6. & in Clem. auditor, in verb. beneficio, de rescript. strictè verò non comprçhenduntur dignitates, vt notatur in cap. cum illis, de pręb. l.6.

50 Octauò notandum est, quòd vt permutatio beneficiorum Ecclesiasticorum valida sit, & legitimè, & canonicè fiat, hæc requiruntur. Primò, vt permutantes habeant ius quæsitum in re, D. Anton. part. 3. tit. 15. cap. 2. §. 1. hinc est, quòd si aliquis habuerit supplicationem signatam, & nondum expedierit Bullas, vel nondum habita collatione, vel inuestitura beneficij, non poterit permutare, Doctores in cap. 1. de rer. permutation. Secundò, vt permutatio beneficiorum non fiat authoritate propria, sed authoritate Ordinarij, cap. quæsitum, de rer. permut. Tertiò, vt non admisceatur aliquod temporale cum spirituali, cap. ad quæstiones, de rer. permut. Quartò, vt detur
51 supplicatio Papæ, vel Episcopo cum causis iustis expressis; quia permutatio beneficiorum est facienda coram Episcopo, quando beneficia permutanda, vel vnum eorum non est reseruatum Papæ, quod si sunt reseruata, debet fieri permutatio per Papam, Diu. Anton. p. 3. tit. 15. cap. 3. q. 1. ratio est, quia in permutatione interuenit vacatio, & con-

& consuetudo est, & seruatur, quod permutare volentes primo renuntient, & postea fit collatio, Io. Andr. in cap. si propter, de rescript. lib. 6. & probatur in Clem. 1. de rer. permut. Sed in permutatione beneficiorum, quæ sunt de iurepatronatus laicorum, vocandi sunt patroni; quia sine eorum consensu, non potest fieri permutatio, secundum communem Doctorum opinionem, de qua testatur Quarant. & ibi additio in Summ. Bullar. in verb. beneficiorum permutatio.

52 Nonò notandum est, quod prouisi de quibuscumque beneficijs curam animarum habentibus tenentur ad minus intra duos menses in manibus Episcopi, vel eo impedito coram eius generali Vicario, aut Officialij fidei professionem publicam emittere iuxta formam traditam à Pio IV. in Constitutione, quæ incipit, *Iniunctum nobis*, Romæ idibus Nouembris 1564. Concil. Trident. sess. 24. cap. 12. §. prouisi, de reform. Prouisi verò de dignitatibus, & Canonicatibus in Ecclesijs Cathedralibus non solum coram Episcopo, seu eius Vicario, sed etiam in Capitulo dictam fidei professionem facere, dicto Concil. Trid. loco citato, alioquin prædicti omnes non faciunt fructus suos, nec illis possessio suffragatur, Concilio Trident. vt supra,
53 etiam si aliquis illam infra tempus à Concilio præfixum non fecerit; quia nihilominus illam emittere tenetur, Nauar. cons. 11. de iureiur. Sayr. decis. 6. de verb. signific. Flamin. Paris. de resignat. lib. 10. q. 9.
54 nu. 122. qui refert, quod Sacra Congregatio Concilij censuit, quod longissima possessio non prodest ei, qui non emisit professionem fidei, quoad fructus percipiendos, quamdiù dictam professionem non emiserit. Quo verò ad titulum prouisus non excluditur, si non emiserit fidei professionem propter illa verba Concilij, nec illis possessio
55 suffragetur. Verum si ex incogitantia, vel obliuione, prouisus de beneficio dictam fidei professionem non emiserit, in foro conscientiæ non peccat mortaliter, nec obligatur ad fructuum restitutionem Nauar. cons. 12. de iureiurand. & cons. 1. n. 2. de Sum. Trinit. Sanch. in Summ. in præcept. Decalog. lib. 2. cap. 5. nu. 10. quia est dispositio pęnalis, quæ etiam si pęnam ipso iure contineat, non ligat in foro cōscientiæ, iuxta glos. celebrem, in cap. fraternitatis 12. q. 2. & Nauar. dicto cons. 12. de iureiur. admonet hanc incogitantiam, obliuionem, vel ignorantiam coram hominibus esse tacendam, secus in foro exteriori; quia illa ignorantia est iuris clari, quæ non excusat, cap. ignorantia, de regul. iur. lib. 6. & licet non faciens fidei professionem non faciat fructus suos, non tamen amittit distributiones quotidianas, quas seruiendo Ecclesiæ lucratur ratione ministerij, & laboris, de quibus potest ad libitum disponere, prout refertur Sacram Congre-

56 gationem censuisse. Sed dubitatur, si obtinentes dignitates, & Canonicatus Ecclesiæ Cathedralis fidei professionem emiserint in Capitulo, vbi præsens erat Episcopus, vel eius Vicarius generalis, an teneatur eam iterum facere coram Episcopo, vel eius Vicario? Respond. negatiuè, ex quo impletum est præceptum Concilij; patet enim huiusmodi professionem fecisse in Capitulo, & coram Episcopo, vel Vicario, & ita declarauit, & censuit Sacra Congregatio Concilij, vt refert Paul. Squillant. in tract. de obligat. Cler. p. 1. num. 93.

57 Decimò est notandum, quod regulariter vnum beneficium vni est authoritate ordinaria conferendum; quia pluralitas beneficiorum semper fuit odiosa, cap. Sanctorum, dist. 70. Rebuff. in prax. part. 1. tit. de dispensat. ad plur. benefic. glos. in cap. dudum, in verb. intitulatam, in fin. de elect. & ibi notat Abb. n. 34. glos. in cap. conquerente, de cler. non resid. & ibi Abb. num. 2. Nauar. in Manual. cap. 25. nu. 125. & de hor. canon. cap. 22. n. 52. addit. ad Diaz. in pract. crim. cap. 48. Fusch. de visitat. Eccles. lib. 2. cap. 7. n. 8. & nouissimè Concil. Trid. sess. 24. c. 17. de reform. vbi statuit, vt in posterum vnum tantum beneficium Ecclesiasticum singulis conferatur; nam Ecclesiasticus ordo peruertitur, quando vnus plurium officia occupat clericorũ, nec cuipiam duabus Ecclesijs cõscribi licet, c. 1. §. sed hoc 10 q. 4. cap. eam, de ętat. & qualit. cap. quia nonnulli, de cler. non resid. cap. de
58 multa, de præben. Si verò beneficium esset adeò tenue, vt ad vnius substentationem sufficere non posset, tunc poterit Ordinarius, de alio beneficio prouidere, Concil. Trid. dicto cap. 17. & d. cap. eam te, sed si quis plura beneficia vltra duo habere prętendit, etiam si tenui sint valoris, & redditus, quòd ad substentationem honestam non sufficiunt, ad Sede Apostolicam recursum habere debet ob dispensationem pro obtinenda pluralitate beneficiorum, & ita fuit decisum per Sacram Congregationem Concilij die 11. Iulij 1596. his verbis: Congregatio censuit Episcopum habenti vnum simplex beneficium, quod non sufficit ad eius substentationem posse eidem aliud conferre citra dispensationem Apostolicam; & habenti beneficium sufficiens si Episcopus aliud confert, habita possessione secundi beneficij sufficientis, vacat primum sufficiens, ita refert Io. Francis. de Leone in Thesaur. for. Ecclesiast. part. 2. capit. 3. numer. 11. & 12. quia vltra duo beneficia ad summum non potest Episcopus conferri, vt supra.

59 Quòd autem dicatur beneficium sufficiens ad congruam substentationem iuxta mentem Concilij, à iure non est diffinitum, & sub

certa

certa regula comprehendi non potest; cum illud, quod respectu vnius dicatur magnum, respectu alterius dicitur paruum, & vera, & certa sententia non est secundum Prosper. de August. in addit. ad Quarant. in Summ. Bullarij in verb. Beneficiorum resignationes, quod relinquitur arbitrio iudicis; quia habenda est ratio nobilitatis, dignitatis, personæ, & litteraturæ, & consuetudinis regionis, Prax. cur. Archiep. Neap. cap.65. num.3. vide Nauar. de Orat. miscellan. 62. Menoch. de arbitr. cas.216. Gonzal. super 8. Regul. Cancellar. glos.15. num.39. Flamin. Paris. de resignat. lib.5. quæst.6. num.131. sed mihi videtur, quòd verius potest dici beneficium sufficiens ad substentationem vitæ, esse ducatorum centum Concil. Trident. sess. 24. cap.13. de reform. vbi statuitur, quòd non possit imponi pensio super Ecclesia Parochiali, nisi remaneant ducati centum pro Rectore.

60 Vndecimò notandum est, quòd omnes fructus, redditus, prouentus, obuentiones, & emolumenta omnium, quorumcumque beneficiorum cum cura, & sine, à die vacationis sunt reseruati Cameræ Apostolicæ, & sic etiam fructus, & redditus Dignitatum, & Canonicatuum, vsq; ad diem adeptæ possessionis, & in Regno à Commissarijs deputatis per Nuntium Apostolicum exiguntur, qui scribit litteras ipsis Commissarijs, vt permittat capi possessionem beneficiorum, prouisis, de ipsis beneficijs retentis fructibus à die vacationis vsque ad dictæ captæ possessionis per Constitutionem Pij V. quæ incipit, *Cupientes malitijs* die 8. Ianuarij 1568. Anno secundo, non tamen fructus beneficiorum resignatorum, quæ non spectant ad dictam Cameram Apostolicam, vt habetur, & disponitur in dicta Constitutione. Nec etiam spectant ad dictam Cameram, fructus, & redditus Archiepiscopatuum, Episcopatuum, & beneficiorum spectantium ad Regiam nominationem; quia dicti fructus decurrentes tempore vacationis reseruantur Successori, in quo videtur seruari ius commune, cap. quia sępè, de elect. lib.6. & cap. præsenti, de offic. Ordin. lib.6. & etiam limitatur in distributionibus quotidianis, quæ non computantur inter fructus beneficiorum, & præbendarum, Felin. in cap. ad aures, n.14. de rescript. Oldrad. cons. 118. quia distributiones quotidianæ efficiuntur bona propria clericorum, & vti quæsita ratione laboris, & legitimi seruitij Ecclesiæ, de illis possunt disponere ad eorum libitum, Gemin. in cap. præsenti, de offic. ordin. lib.6. Couar. in cap. cum in officijs, de testam. Dec. cons. 280. immò qui habent solam distributiones quotidianas non tenentur de illis contribuere Seminario, Gonzal. super Regul.8. Cancellar. §.7. proœmial. n.170. cum se-

quentibus,& ideò non faciunt ſpolium,& conſequenter non ſpectant ad Cameram Apoſtolicam, Redoan. in tract.de ſpol. Eccleſiaſt.q.1. num.27. verſ.vlterius canones, & ideò ſpectant legitimè ad hęredes. Et nota, quod illi fructus beneficiorum intelliguntur ſpectare ad Cameram Apoſtolicam,quorum beneficia ſunt reſeruata eidem Cameræ, & Sedi Apoſtolicæ per dictam Conſtitutionem Pij V. incip. *Cupientes malitijs*, in qua applicat Camerę Apoſtolicę omnes fructus beneficiorum Sedi Apoſtolicæ in Regno Neapolis reſeruatorum à die

61 vacationis, vſque ad diem, quo prouiſi à Pontifice poſſeſſionem cęperint, ſed fructus beneficiorum non reſeruatorum Sedi Apoſtolicæ inexacti tempore vacationis non ſpectant ad Cameram Apoſtolicam, ſed ad ſucceſſorem in beneficio, Nauar. in comment. de ſpol.§. 7. num.3. quia omnes fructus relicti, qui ante obitum beneficiati non erant exacti, etiam ſi tempus ſolutionis aduenerat,& per beneficium non ſteterit,quo minus illos exigerit,etiam ſi fecerit omnem diligentiam iudicialiter, debentur ſucceſſori in beneficio per Conſtitutionem Iulij III. ſub dat. Romæ die 26.Iunij 1550. quæ incipit,*Cum ſicut nuper* anno primo; ratio eſt, quia fructus beneficiorum vacantium in menſibus ſpectantibus ad Epiſcopos de iure, vel vigore alternatiuæ ipſis conceſſæ, non faciunt ſpolium; nam cum Conſtitutio ſpoliorum ſit limitata pro beneficijs reſeruatis Sedi Apoſtolicæ, vt habetur in Conſtitutione Pij IV. quæ incipit, *Cupientes*, die 7. Decembris 1560. anno primo, & dicta Pij V. non poteſt extendi ad beneficia non reſeruata; quia limitata cauſa limitatum producit effectum, l.cancellauerat, ff. de his, quæ in teſtam. delen. ſpolium enim eſt odioſum, & in odioſis non fit extenſio, cap. odia, de regul. iur. lib.6. Quarant. in Summ. Bullar. ſpolia clericorum, vbi dicit, quod fructus beneficiorum non reſeruatorum Sedi Apoſtolicæ debentur ſucceſſoribus, ſed fructus beneficiorum in Regno Neapol. Sedi Apoſtolicæ reſeruatorum à die vacationis,vſque ad diem,qua prouiſi à Romano Pontifice poſſeſſionem capient de manu Nuntij Apoſtolici.

62 Duodecimò notandum eſt, quòd Epiſcopi poſſunt, & debent augere præbendas tenues, & pauperes Canonicorum, & dignitatum Eccleſiæ Cathedralis pro eorum commoda, & decenti ſubſtentatione applicando aliquos beneficiorum fructus, & redditus, cap. expoſuiſti, de præbend. dummodò euidens neceſſitas, vel vtilitas Eccleſiæ id exigat, vt in dicto cap.expoſuiſti, propter neceſſitatem euidentem, vt puta: quia propter præbendarum tenuitatem non reperiuntur, qui velint acceptare Canonicatus; propter vtilitatem, quia licet reperiantur, non tamen ſunt idonei Eccleſiæ Cathedrali, Abb. in d.

cap.

cap. exposuisti, & per Concil. Trident. sess.24. cap.15. de reformat. est dispositum, quod vbi adeò tenues sunt prębendæ, vt sustinendo decenti Canonicorum gradu pro loci, & personarum qualitate non sufficiant, liceat Episcopis cum consensu Capituli, vel aliquot simplicia beneficia ijs vnire, aut fructus, & prouentus beneficiorum de iure patronatus laicorum cum consensu patronorum applicare: sed ista vnio beneficiorum non potest fieri Capitulo, seu mensę Capitulari; quia Concilium loquitur de Canonicis, & sic de personis, & non de Capitulo; nam aliud est Capitulum, aliud singuli de Capitulo, cap. Episcopus, §. qui manumittitur, 12. q.2. Felin. in cap. cum accessissent, n.22. de constit. Gonzal. super Regul.8. Cancell. glos.37.n.24. & 25. vbi dicit Concilium non concedere facultatem vniendi mensę Capitulari, sed tenuibus præbendis singulorum Capitularium, quod etiam tenet Ricc. in collectan. part.4. collectan.1067. in fin. & ideò vnio facta ab Episcopo Cauensi mensæ capitulari de quibusdam beneficijs simplicibus vigore Concilij Trident. in dicto cap.15. sess.24. per Sacram Congregationem Concilij fuit declarata nulla de mense Septembris 1601. vt refert Gonzal. loco citato, & Ricc. similiter loco citato.

63 Decimotertiò notandum est, quod si beneficiati possederunt beneficia per decē annos, non tenentur Episcopo visitanti Bullas ostendere; quia possidens pacificè beneficium per decennium non tenetur ostendere titulum, Innoc. & Abb. in cap. illud, de praescript. Bal. in l. siue, de probat. Gomes. de triennali possess. quæst.26. vbi concludit, quod qui possedet per decem annos, habet titulum colocatum, & non debet molestari, Nauar. cons.4. de offic. Ordinar. quia præsumptio est pro titulo, ex quo fuit toleratus per prędecessores, & est imputandum Episcopo, qui diu tolerauit, Arg. cap.1. & glos. de frigid. & malefic. Nec obstat Concilium Trident. sess.7. cap.5. de reformat. vbi disponitur, quòd Ordinarij locorum quoscumque plura beneficia curata, aut aliàs incompatibilia obtinentes dispensationes suas exhibere districtè, compellant; quia intelligitur de beneficijs incompatibilibus, Nau. loc. cit. Aloys. Ricc. in collectan. decis.607.p.3.

64 Decimoquartò notandum est, quod collatio beneficiorum, dignitatum, seu Canonicatuum facta à Papa non est gratia, sed mandatum de prouidendo; quia facultas concessa à Papa cuipiam conferendi aliquod beneficium alicui personæ non est gratia facta illi, sed est mandatum de prouidendo, & de gratia facienda ei, cui est conferendum beneficium, & ideò si Papa re integra moriatur, expirat, vt expressè disponit lex singularis, in cap. si cui, de præben. lib.6. Nauar. in

Manual.cap.27.n.213.Staffil.de effect.clauf.in rubr.quibus mod.expir.liter. ad benefic.fol.mihi 209.vbi dicit,quod fi Papa mandat prouideri alicui;de beneficio, mandatum expirat fi Papa, re integra moriatur per tex.in d.cap. fi cui, per quem Ægid. in decif.Rot.543.dicit, quòd mandatum factum per Legatum, de prouidendo, de certo beneficio certæ perfonæ: tunc vacante expirat ipfo iure legato moriente ante mandati exequutionem;quia ante prouifionem dicitur res integra:ideò mortuo mandante expirat mandatum,§.rectè Inftit.mandat,& ifta conclufio, vt afferit Staffil. loc. cit. eft notanda; quia licèt ille tex. in d.cap. fi cui videatur loqui, quando mandatum prouideri, de incerto beneficio vacaturo, quo cafu, non eft tantum dubium, fed in cafu noftro, & dictæ Decif. AEgid. eft, quando mandatur prouideri de certo beneficio vacante; quia videtur ius quæfitum faltem ad rem illi, pro quo fcribitur, & tamen ante prouifionem dicitur res integra, & expirat mandatum. Hinc eft, quòd Summi Pontifices in craftinum eorum affumptionis folent in Regulis Cancellariȩ, vt patet in Regula 12. Gregorij XV. literas tàm gratiæ, quàm iuftitiæ reconualidare per hæc verba. Item prȩdictus D. N. omnes, & fingulas ab ipfo Paulo V.Pontifice prædeceffore fuo infra annum ante diem obitus illius, conceffas gratiæ, vel iuftitiȩ literas temporibus debitis earum exequutoribus,& iudicibus non præfentatas, omninò reconualidauit,& in ftatum priftinum,in quo antea fuerant, & pro quibus fuerant obtentȩ,quoad hoc plenariè reftituit, & decreuit per exequutores, feu iudices prædictos, vel ab eis fubdelegandos ad expeditionem negotiorum in eis contentorum procedi poffe, & debere iuxta illarũ formam, hæc in dicta Regula: fed nota, quòd tunc litteræ Apoftolicæ, & Bullæ expirant, quando in eis continetur mandatum de prouidendo alicui,de beneficio vacante, vt fupra commiffum alicui Epifcopo, vel alijs cum claufula quatenus præuio examine idoneus reperitur, & antequam ad expeditionem fit proceffum Papa moriatur, & eft quando Bullȩ funt expeditæ, vt dici folet in forma Dignum, &c. quia exequutio Bullarum fieri debet ab illo,cui committitur, Dec. in rub. de Conftit. num.41. in prima lectura, & in cap.relatum, num.2. eod.tit. fecus eft,quando Bullæ funt expeditæ in forma gratiofa, &c. quia tunc eft gratia iam facta à Papa, quæ non expirat per eius obitum, cap.fi fuper gratia, de offic. delegat.lib.6.

65 Decimoquintò notandum eft, non licere Epifcopo pro expeditione Bullarum collationis beneficiorum, quæ ipfe confert aliquid accipere: aliàs fimoniam committit, & ad reftitutionem tenetur, Concil. Trident. fefs.24. cap.14. de reformat. & tanto minus non licet

Epi-

Episcopo aliquid accipere pro approbatione, vel immissione in possessionem beneficijs à prouiso ab ipso Episcopo, vel à Sede Apostolica, Nauar. cons. 1. num. 3. de simon. quia non solum committitur simonia accipiendo aliquid pro traditione rei spiritualis: sed etiã accipiendo aliquid pro eo, quod est annexum rei spirituali, cap. 1. de simon. Nauar. in Manual. cap. 23. nu. 100. & in Miscell. 41. de orat. & clarum est expeditionem literarum ad traditionem possessionis rei spiritualis esse quid annexum rei spirituali. Nec etiam licet Notario, seu Cancellario, vel Secretario Episcopi conferentis beneficium quicquam accipere pro subscriptione, registratura, appensione, vel impressione sigilli, cap. ex multis 1. q. 3. & cap. Iacobus, de simon. quæ iura probant non licere quicquam accipere pro collatione beneficij, etiam ad pios vsus conuertendum, vt in d. Concil. Trid. cap. 14. Nauar. cons. 2. de simon. Addit. ad Quarant. in Summ. Bullar. in verb. Simonia, vbi refert Sacram Congregationem Concilij declarasse Cancellarios non posse pro expeditione litterarum collationis, vel institutionis quorumcunque beneficiorum, vel pro deputatione Vicariorum in illis accipere suam mercedem, nisi suo labori conuenientem; qui tamen scriptura, sigillo, & ceris computatis, vnum aureum non excedat, dummodò ipsis Notarijs, siuè Cancellarijs salarium vllum pro officio exercendo constitutum non sit, & ex pecunia, quam acceperint, nihil prorsus emolumenti collatores aliquo modo directè, vel indirectè accipiant.

66 Demùm est notandum, quòd licet Nauar. cons. 15. de cleric. non resid. videatur tenere Ordinarium ex iusta causa posse concedere licentiam Parocho, vt possit esse Vicarius generalis alicuius Episcopi: tamen Addit. in eodem cons. in fine dicit Sacram Congregationem censuisse non posse dare huiusmodi licentiam, & refert, quod vidit illam peti à Sede Apostolica.

CAPVT XLIX.

De beneficio Iurispatronatus.

SVMMARIVM.

1 *Ecclesia qualibet præsumitur libera regulariter.*
2 *Œconomus quando est deputandus in Ecclesia patronata.*
3 *Iuspatronatus quibus modis acquiritur.*
4 *Iuspatronatus quomodo acquiratur per fundationem.*
5 *Iuspatronatus quomodo acquiratur per dotationem.*

6 Dos

6 *Dos debet esse sufficiens, vt possit acquiri iuspatronatus.*
7 *Iuspatronatus quomodo est probandum.*
8 *Documentum authenticum quid dicatur.*
9 *Præsentationes quot esse debeant ad probandum iuspatronatum.*
10 *Iuspatronatus an probatur per famam.*
11 *Iuspatronatus spectans ad Vniuersitates, & personas potentes quomodo probatur.*
12 *Tempus ad præsentandum concessum à iure ad præsentandum.*
13 *Præsentatus debet esse præsens personaliter coram Episcopo instituente.*
14 *Præsentatus si est de aliena Diœcesi, debet habere literas commendatitias à suo Ordinario.*
15 *Præsentatus in iurepatronatus est examinandus.*
16 *Præsentatus in iurepatronatus in qua ætate debet esse constitutus.*
17 *Beneficia de iurepatronatus quando efficiuntur Sedi Apostolicæ.*
18 *Tempus non currit illi, qui litigat.*
19 *Beneficia de iurepatronatus resignata in manibus Episcopi, an possint conferre consanguineis resignantium.*
20 *Fœminæ, quæ stantibus masculis non succedunt in hæreditatem paterna, an habeant ius præsentandi.*
21 *Patrono pauperi an debeantur alimenta ex fructibus iurispatronatus.*
22 *Clausula dummodo alteri tempore datæ præsentium non sit quæsitum ius alteri, quid operatur.*
23 *Patroni præsentantes an possint variare, & recedere à prima præsentatione.*
24 *Ordinarius facta præsentatione debet citare per edictum publicum interesse prætendentes.*
25 *Patroni an teneātur seruare conditiones positas in fundatione iurispatronatus.*
26 *Appellatio à sententia institutionis, an retardet exequutionem.*
27 *Episcopus an possit reducere onus missarum in fundatione iurispatronatus appositum.*
28 *Patronus si Ecclesiæ patronatæ occupat bona, qua pœna afficiatur.*

1 CVm quælibet Ecclesia præsumatur de iure libera, nisi probetur contrarium, cap. regenda, & cap. quæcumque 10. qu. 1. † Vide Visconte in suis conclusionibus iuris in verb. iuspatronatus fol. 145. Episcopi habent intentionem fundatam, quod quælibet beneficia sint libera, nisi probentur esse de iurepatronatus; hinc est, quòd si pendeat lis inter promotorem Cameræ Episcopalis prętendentis beneficium vacans esse liberum, & collationem pertinere ad Episco-
2 pum, & patronos prætendentes esse de iurepatronatus, Episcopus nō potest prouidere inuitis patronis: sed debet ponere œconomum in Ecclesia vacante, qui seruire debeat in diuinis, vsque ad finem litis, ne Ecclesia detrimentum patiatur, Innoc. in cap. 1. de iurepatron. Sed si ver-

si vertatur lis inter patronos discordes in præsentatione, seu inter litigantes, quorum vnus prætendit alterum non esse patronum, aut iuri suo renuntiasse, vel ab eo cecidisse, & tunc Episcopus poterit prouidere de Rectore Ecclesiæ saluo iure presentandi illi, qui vicerit, cap. quoniam, cap. eam te, & ibi glos. & Abb. n. 1. glos. in cap. cum vos, in verb. œconomus, de offic. Ordin. Innoc. in d. cap. 1. glos. in cap. si plures 16. q. 7.

3 Iuspatronatus autem acquiritur fundatione, constructione, & dotatione, ex fundatione, quando quis dedit fundum ad ędificandum Ecclesiam, cap. nobis, & cap. Abbatem il 2. 18. q. 2. ex instructione,
4 quando quis constituit Ecclesiam, cap. monasterium 16. q. 7. quod intelligitur, si facit de consensu Episcopi; cum alio modo Ecclesia fieri non debeat, cap. nemo, de consecrat. dist. 1. & d. cap. nobis 16. q. 7. V. Abb. in rubr. de iurepatr. & in cap. cum Ecclesia Vulterana, de elect. dicitur etiam fundare; quia Ecclesiam construxit, vel in esse deducit, cap. nos quidem, in verb. fundare iuncta expositione, Io. And. ibi de testam. & sic idem est fundare, quod construerit, Lambert. de
5 iurepatron. lib. 1. art. 11. q. 3. p. 1. Per dotationem acquiritur iuspatroatus: quamuis quis dotans Ecclesiam non construxerit, & nõ fundauerit iuxta communem Doctorum sententiam; nam ex sola dotatione acquiritur iuspatronatus in Ecclesia, Cappella, vel Altari de Ordinarij licentia, & authoritate, & hoc potest euenire, vt quando Ecclesia, vel Cappella reperitur constructa, sine tamen dote, & licet sint patroni ex fundatione, & constructione, non tamen illam dotarunt, neque erant dotaturi: non est dubium, quod dotans efficitur patronus ratione dotis, vna simul cum alijs, qui erant patroni ratione fundationis, & constructionis; vel si reperiatur Ecclesia aliqua, vel Cappella indotata intus aliquam Ecclesiam, in qua nemo habet iuspatronatus; cum illius prouisio spectat ad Episcopum, dotans solus efficitur patronus, Innoc. in rubr. de iurepatr. Lambertin. de iurepatr.
6 lib. 1. art. 15. q. 5. part. 1. principali: sed nota, quod dos danda Ecclesiæ, vel Cappellę pro acquirendo iurepatronatus debet esse sufficiens, d. cap. nemo Ecclesiam, de consecrat. dist. 1. per quam tex. glos. in cap. quicumq; il 2. 16. q. 7. dicit dantes dotem modicam non effici patronos, quam Abb. in rubr. de iurepatron. dicit esse singularem, & notandum, idem dicit in cap. 3. de Eccles. ædifican. & quanta debeat esse dos, vt possit dici sufficiens relinquitur arbitrio Episcopi; hinc est, quod Sacra Congregatio Concilij Trid. censuit his verbis. Dotans insufficienter, quod arbitrabitur Ordinarius, non acquirit iuspatronatus: sed dicitur benefactor. Verumtamen si Episcopus

con-

consentit tali constructioni dotis incongruæ, & approbauit, acquirit iuspatronatus: sed potest agi ad supplementum dotis, Lambert. lib. 1. art. 12. qu. 5. part. principal. igitur per hæc tria acquiritur iuspatronatus, de quibus supra. Vnde versus. *Patronum faciunt duos, ædificatio, fundus*, glos. communiter recepta in cap. piæ mentis 16. quæst. 7. Nauar. cons. 7. de iurepatr. Concil. Trident. sess. 25. cap. 9. de reformat.

7 Sed quæro, quomodò probari possit, & debeat iuspatronatus? Respon. quod iuspatronatus aut spectat ad personas priuatas, aut ad Vniuersitates, & personas potentes. Quoad probationem iurispatronatus spectantis ad personas priuatas, Concil. Trident. sess. 25. cap. 9. disponit, vt titulus iurispatronatus sit ex fundatione, vel dotatione, qui ex authentico documento, & alijs iure requisitis ostendatur, siue ex multiplicatis præsentationibus per antiquissimum temporis cursum, qui hominum memoriam excedat, aliasuè secundùm iuris

8 dispositionem. In primis ergo probatur per documentum, seu scripturam authenticam, & documentum; sed scriptura authentica propriè dicitur, quæ conficitur à Notario publico, vel Actuario cum duorum testium subscriptione, glos. in cap. 1. in verb. authenticum, de fid. instrum. est etiam documentum Bulla Episcopi cũ sigillo, Arg. tex. in cap. post cessionem iuncta, glos. de probat. item probatur iuspatronatus per multiplicatas præsentationes per antiquissimum temporis cursum, licet nulla fiat mentio in eis de fundatione, vel dotatione; sufficit enim, quod in præsentationibus dicatur esse de iurepatronatus, & ita censuit Sacra Congregatio Concilij his verbis. Iuspatronatus ex solis continuis præsentationibus vltra hominum memoriam probatur: licet nulla fuerit facta mentio de fundatione, vel dotatione, & secundum Praxim Cur. Archiep. Neapol. cap. 63. num. 1. suf-

9 ficiunt tres præsentationes per antiquissimum temporis cursum, qui hominum memoriam excedat: ad quod probandum sufficit, quod testes deponant de quinquaginta annis de visu, & dicant esse communem opinionem, & de contrario nõ extare memoriam, & quod numquam fuit obseruatum contrarium, glos. in cap. 1. in verb. memoria, de præscript. lib. 6. & non solùm iuspatronatus probatur ex immemorabili, quæ probat legitimum titulum ex fundatione, vel dotatione; Abb. in cap. querelam, num. 9. de elect. Felin. in cap. num. 6. de præscript. & quod sufficiant tres præsentationes tenet Caualcan. decis. 17. part. 1. nec omnes necessarias esse de tempore immemorabili decidit, Ricc. decis. 29. vide Menoch. cons. 336. & lib. 3. de præsumpt.

10 quæst. 90. num. 3. Mascard. conclus. 103. num. 9. Gonzal. super Regul. 8.

gul. 8. Cancellar. glos. 18. nu. 44. sed etiam per famam probatur concurrente longissima possessione præsentandi secundùm iuris dispositionem; cum Concilium non excludat alios modos probandi iuspatronatus in illis verbis. Aliasuè secundùm iuris dispositionem, & sic etiam instrumentum, vel Bulla faciens mentionem de alijs præsentationibus, & institutionibus antiquis iurispatronatus, probat. Bal. cons. 310. num. 6. Abb. in cap. post cessionem, n. 8. de probat. Lambert. 2. part. q. 7. art. 7. lib. 2. Caualcan. decis. 17. n. 4. Sed an patronus, qui est in quasi possessione præsentandi post Concilium, si de nouo vacet beneficium, & iterum præsentet, teneatur ad instantiam fisci de nouo docere de titulo, vel prius debet fieri institutio, & manuteneri in possessione? Resp. Patronum esse manutenendum in quasi possessione, saluis iuribus fisco in petitorio, Alois. Ric. in decis. 63. Cur. Archiep. Neapol.

11 Quò verò ad iuspatronatus spectans ad Vniuersitates, Communitates, & alias personas potentes; quia plerumq; ex vsurpatione quæsitum præsumitur, plenior, & exactior probatio requiritur; nam vltra prædicta, quæ requiruntur ad probandum iuspatronatus personarum priuatarum, necesse est, quod præsentationes sint continuatæ, quæ probandæ sunt per scripturas authenticas, quibus deficientibus non sufficit probatio per testes, Gonzal. in d. Regul. 8. Cancell. glos. 18. num. 79. & Sacra Congregatio Concilij censuit his verbis. Sacra Congregatio Concilij censuit requiri pro forma, vt probatio fiat per scripturas authenticas, & regulam esse constituendam, quod testes non sufficiunt, & ita fuit resolutum in Rota Romana die 2. Maij 1588. vt testatur Ricc. in prax. decis. 148. nu. 34. vbi dicit, quod etiam necesse est probari dictas præsentationes continuatas habuisse effectum, & tunc dicitur habuisse effectum, quando Ordinarius vigore illarum præsentationum instituit præsentatum à patrono, & præsentatus, & institutus cœpit possessionem. Verum si Vniuersitas se fundat in notatione, vel fundatione potest vti testibus; quia Concilium statuit, quod iuspatronatus probetur per documenta, quorum appellatione veniunt non solum instrumenta: sed etiam testes, & aliæ probationes à iure approbatæ, glos. in cap. 1. in verb. documentis, de except. lib. 6. cap. peruenit, de testib. cogen. & ita fuit dictum in Rota in vna Lucana plebis, die 22. Iunij 1590. coram Domino Orano: igitur quando Vniuersitas se fundat in præsentationibus requiritur probatio per scripturas authenticas iuxta d. capit. 9. sess. 25. sed quando constat de iurepatronatus per legitima documenta, non est opus probare continuatas præsentationes per quinquaginta annos;

annos; quia Concilium hoc requirit, si iuspatronatus solùm probatur per presentationes temporis immemorabilis propter presumptionem vsurpationis: quæ cessat, quando adsunt legitima documenta, Prax. Cur. Archiep. Neap. in cap. 100. num. 16.
12 Et notandum est, quod vacante Ecclesia patronata, patroni laici habent quatuor menses ad præsentandum, & Ecclesiastici sex, cap. vnic. §. verum, de iurepatr. lib. 6. & tempus ad præsentandum currit à die scientiæ vacationis, & non ab ipsa die vacationis beneficij, Abb. in cap. fin. de iurepatr. num. 6. Rocch. de Curt. de iurepatr. in verb. honorificum, n. 57. licet Lambertin. teneat contrarium 2. p. 2. lib. art. 8. 1. q. nam Rota Romana obseruat contrarium, idest à die scientiæ, Prax. Archiep. Cur. Neap. cap. 100. num. 7. Et patronus debet præ-
13 sentare clericum præsentialitèr, & personalitèr coram Ordinario: nec sufficit presentare scripturam, seu comparitionem præsentationis; quia tunc dicitur nominatio, & non præsentatio facta de clerico absente, & sic pro forma præsentationis persona præsentati debet esse actualitèr præsens, Innoc. in cap. ea noscitur, de his, quæ fiunt à Prelat. nam præsentatio est exhibitio personæ clerici præsentis sensibus corporalibus illius, cui fit præsentatio, Abb. in dicto cap. ea noscitur, & in cap. cum parati, de appellat. glos. in Clem. dudum in verb. præsentari, de sepult. & in cap. cum omnes, de constit. & est communis opinio, prout testatur Lambert. de iurepatr. lib. 2. p. 1. q. 7. sed fallit, quando ille, qui est præsentatus esset notus habenti illum instituere, vt examinatione non indigeat, Abb. in cap. pastoralis, de iurepatr. Lambertin. lib. 2. p. 1. art. 2. Rot. Roman. coram Lancilotto 1583. & coram Pamphilio, die 14. Decembris 1587. quia personalis comparitio non requiritur ad alium finem, nisi vt Superior, qui illum habet instituere, possit examinare ad finem approbandi, vel reprobandi, Arg. cap. venerabilis, de elect. cap. cupientes, eod. lib. 6. Sed si præsentatus est notus saltem ipsi Ordinario, qui illum instituere debet, non requiritur alia examinatio ad finem institutionis faciendæ, cap. nullus il 2. dist. 24. & ibi glos. in verb. nullus, & huiusmodi notitia debet esse talis, & ita perfecta, quod nullum requirat examen, aliàs non valeret, Lambertin. lib. 2. part. 1. quæst. 11. num. 6. & hoc procedit, quando notus esset de Diecesi Ordinarij instituere debentis; quia cum sit notus, sufficit, & non est examinandus: sed si esset de aliena Diecesi, licet sit omnino notus, non debet institui sine literis commendatitijs sui Episcopi, tex. est in cap. hortamur, dist. 71. cap. fraternitati, de cleric. non resident. Lambertin. loc. cit. & ita fuit resolutum in Rota Rom. in vna Regiensi Prioratus coram Pamphilio 1587.
in

in qua fuit etiam dictum; quod licet substineri possit præsentatio de absente, quando præsentatus esset taliter notus habenti illum instituere, vt examinare non indigeat: hoc intelligitur sequuta acceptatione, & ratificatione præsentati infra tempus à iure datam ad præsentandum, & quod fuerit admissa ab Ordinario, Card. in Clem. fin. de iurepatr. Abb. consi. 76. n. 2. part. 2. Rocch. de Curt. de iurepatr. in verbo honorificum, n. 27. quam præsentationem de se factam debet per procuratorem specialitèr deputatum acceptare: nec pater pro filio, nec consanguineus pro consanguineo hoc agere possunt; quia necesse est eos promittere de rato:& talis ratificatio similiter est facienda infra quatuor menses, Lambert. 1. p. 2. lib. 5. & vltim. art. q. 11. n. 5. & sequenti, ex quibus infertur, quod præsentatus in Ecclesia patrona-

15 ta curata est examinandus, Concil. Trid. sess. 24. cap. 18. §. quod si iuspatronatus, de reformat. nisi aliàs fuisset semel examinatus pro aliquo alio beneficio, & idoneus repertus; quia iterum non est examinandus, cap. accepimus, de ętat. & qualit. Ricc. in prax. decis. 112. num. 283. vel esset notoriè literatus, cap. qui Episcopus iuncta glos. in verb. examinetur, dist. 23. cap. nullus il 2. dist. 24. Felin. in cap. fin. de præsumpt.

16 Secundò notandum est, quod præsentandus in iurepatronatus non debet esse minor annorum quatuordecim, Concil. Trident. sess. 23. cap. 6. de reformat. nisi aliter in fundatione dispositum esset; quia tunc vi legis in fundatione adiectæ, etiam minor quatuordecim annorum posset præsentari, prout censuit Sacra Congregatio Concilij teste Ricc. in prax. decis. 187.

17 Tertiò notandum est, quòd in Ecclesijs parochialibus, quæ sunt de iurepatronatus, præsentatus intra tempus à iure præfixum, & præuio examine iuxta formam Concilij Trident. approbatus: si non petat institui, & institutio ipsa dilatata fuerit per duos menses à die pręsentationis, dictum beneficium curatum efficitur Sedi Apostolicæ, & collatio spectat ad Papam: sed est in electione patronorum, an velint habere recursum ad Metropolitanum, seu ad Episcopum viciniorem, vt latè disponitur in Constitutione Pij V. incip. In conferendis 1566. nisi esset orta lis inter compatronos, vel præsentator. tunc enim cessat deuolutio ad Sedem Apostolicam; quia ob impedimentum litis non potuit intra dictos duos menses ad institutionem perueniri; non

18 enim currit tempus ei, qui litigat, Bart. in auth. si tamen, num. 1. de tempor. appellat.

19 Quartò notandum est, quod licet beneficia resignata in manibus Ordinariorum non possint conferri consanguineis, & affinibus, vel

alijs

alijs coniunctis resignantium per Constitutionem supradictã Pij V. quæ incipit, *Quanta Ecclesiæ*, §. cæterum, tamen secus est in beneficijs de iurepatronatus quæ possunt conferri consanguineis, & affinibus resignantium beneficia patronata; quia Gregorius Decimus tertius declarauit beneficia iurispatronatus non comoręhendi in dicta Constitutione Pij V. quo prohibetur Episcopis beneficia in eorum manibus resignata, eorum, & resignantium affinibus, consanguineis, & familiaribus conferre, vt per fidem Illustrissimi Domini Cardinalis Matthęi de dicta declaratione patet: quam ponit ad verbum Quarant. in Summ. Bullar. seu addit. in verb. beneficiorum resignationes, & nota quod resignatio iurispatronatus debet fieri cum consensu patroni Lambert. lib.3. q.5. art.5. num.1. Rocch. de Curt. de iurepatr. in verb. honorificum, num.84. Innoc. in cap. fin. de renunt. Abb. in cap. significatum, de pręben.

20 Quintò est notandum, quòd fęminæ, quæ stante statuto, vt in Regno per Constitutionem, quæ incipit. In aliquibus, quòd stantibus masculis fęminæ dotatæ de paraggio non succedunt patribus, à præsentatione iurispatronatus excluduntur, Lambert. de iurepatr. part.2. lib.1. q.2. art.15. & hoc intelligitur, quando fęmina est dotata de bonis illius, à cuius hæreditate excluditur, Ann. allegat.81. Ricc. in prax. decis.193.

21 Sextò notandum est, quòd patrono inopi debentur alimenta ex fructibus iurispatronatus, cap. quicumque il 2. 16.q.7. Abb. in cap. nobis, de iurepatronatus istud autem intelligitur, quando patronus in summa ægestate deductus est, & quando Ecclesiæ superest, glos. in dicto cap. quicumque in verb. ad inopiam, d. cap. nobis, de iurepatronatus.

22 Septimò notandum est, quòd quando Summus Pontifex derogat iurispatronatus solet in literis Apostolicis apponere clausulam, Dummodo alteri tempore datę pręsentium non sit ius acquisitum, de qua clausula vide Doctores in cap. cum olim, de sentent. & re iudic. quia per dictam clausulam præseruatur ius ad rem quæsitum, licet aliqui dixerint non conseruari nisi ius in re: sed procedit quoties in eisdem literis Apostolicis adiecta esset clausula, videlicet, *Anteferri*; quia per eam sublatum esse censetur omne ius ad rem quæsitum quouis modo, cap. penult. de pręben. lib.6. Felin. in cap. causam quæ, n.26. de testib. & in cap. Capitulum, n.6. de rescript. sed esto, quod clausula prædicta, dummodo alteri tempore datæ præsentiam non sit ius quæsitum, præseruaret ius ad rem quæsitum: non tamen ob id exequutio literarum Apostolicarum esset supersędenda, Ricc. decis.195.

cis.195. num.210. quia procedit in iure quæsito ad rem alio modo quam ex narratis in literis Apostolicis, Oldrad. cons.330. Ricc.decis. 195. num.209.

23 Sed an per præsentationem secundi patronus videatur recedere ab alio per eum primo præsentatum? Vel an patronus possit variare reuocando alium præsentatum? Respond. quod glos. prima in cap. cum autem, de iurepatron. tenet quod possit variare, & reuocare primum præsentatum, sicut ille, qui constituit plures procuratores diuersis temporibus, l. si quis cum procuratorio, §. vltimo, ff. de procurat. hanc opinionem sequitur Goffr. in summ. huius tituli, vers. sed si laicus, Sed Io. Andr. in dicto cap. cum autem dicit patronum præsentantem secundum non recedere à primo præsentato; quia præsentatio secundi est cumulatiuè, & ista est communis opinio omnium Doctorum, posse patronum laicum præsentare plures, & variare successiuis temporibus, cumulatiuè tamen, non autem à primo præsentato recedere, Lamber. part.2. lib.2. art.21. quæst. principal. & tunc habet locum dispositio dict. cap. cum autem: vbi habetur, quod in pluribus præsentatis à patrono laico, Episcopo datur gratificatio, nisi patronus laicus, ex causa recedere à primo præsentato, vt quia ad eius aures peruenit primo loco præsentatum non esse idoneum, & tunc tenebit secunda præsentatio, etiam non cumulatiuè; quia ex causa hoc fecit, Lamber. loc. cit. num.5.

24 Octauò notandum est, quòd institutio facta ad præsentationem, & instantiam aliquorum patronorum non proposito publico edicto, nec causa discussa secundum formam præscriptam à cap. fin. de elect. lib.6. est ipso iure nulla, & inualida, licet dictum cap. fin. loquatur, de elect. quia obtinet locum etiam in præsentatione compatronorum, glos. ibidem, in verb. electione. Doctores communiter in d. cap. fin. nam eadem subest ratio: ergo idem ius, l. illud, ff. ad l. aquil. l. à Titio, de verb. obligat. & l. fin. C. ad leg. falcid. Hinc est, quod Abb. in cap. 2. de iurepatr. dicit, quod licet patronus in sua comparitione dicat. Ego eligo talem Clericum ad Ecclesiam patronatam vacante, quam peto institui, tamen comparitio, & libellus substinetur; quia verbum *eligo* pro præsentatione recipitur, & quod sit seruãdi forma dicti cap. fin. tenet etiam, cap. allegat. 8. Abb. in cap. postquam, de elect. Rocch. de Curt. de iurepatr. in verb. honorificum, num.69.

25 Nonò notandum est, quòd licet de iure communi patronus possit de consensu Episcopi præsentare ad beneficium iurispatronatus, & qui non habet omnes qualitates in fundatione positas, vt si in fundatione, sit dictum, & dispositum, quod præsentandus sit sacerdos, vel

quod habeat certam ętatem; nam Episcopus cum consensu patroni potest dispensare circa qualitates beneficij, Host. Felin. & Abb. cum alijs in cap. cum accessissent, de constit. Bart. cons. 5. num. 38. lib. 1. Rocch. de Curt. de iurepatr. in verb. honorificum, num. 8. Lambert. p. 1. lib. 2. art. 7. q. 10. num. 4. hodie tamen post Concilium Trident. non potest; quia Congregatio Concilij censuit non licere Episcopo post Concilium, etiam accedente patronorum consensu derogare qualitatibus in beneficij fundatione appositis: ideoque si beneficium in fundatione certam ętatem requirit non posse Episcopum illud, quamuis patronus consenserit, ei auferre, qui nequaquam fuerit huiusmodi ętatis.

26 Decimò notandum est, quòd quando est introducta lis inter præsentatos, & fertur sententia ad fauorem vnius, potest alter appellare, & retardatur exequutio, & si pendente appellatione fiat institutio, & capiatur possessio: institutio, & possessio à Rota Romana habetur pro attentatis, Lancillot. de attentat. p. 2. cap. 12. de attent. appellat. pendent. in præfatione, num. 79. vbi dicit hanc regulam iuribus, & authoritatibus probare superfluum est; cum apud omnes etiam idiotas sit trita, & quasi pro adagio vsurpata conclusio, idem Lancilott. p. 2. cap. 12. de attent. appellat. pend. limit. 49. & p. 2. cap. 4. de attent. lit. pendent. num. 613. in præfatione, quicquid dixerit in contrarium Lambert. in 5. art. 11. quæst. princip. 2. part. lib. 2. num. 2. vers. benè verum, cuius opinio semper fuit reiecta à Rota Romana.

27 Vndecimò notandum est, quod Congregatio Concilij Trident. declarauit his verbis. Congregatio Concilij censuit ex decreto Concilij, cap. 4. sess. 25. non licere Episcopo reducere onera missarum in fundatione apposita Die 3. Martij 1597. vt refert & testatur Paulus Piaseccius in prax. Episcopal. p. 2. cap. 3. num. 31.

28 Demùm notandum est, quod si patronus occupauerit, & vsurpauerit bona Ecclesiæ patronatæ, vel impedierit, quo minus ab alijs, ad quos spectat, recipiantur, est anathemate innodatus, quousque integrè non restituerit, & absolutionem à Romano Pontifice obtinuerit: ac etiam est priuatus iurepatronatus iuxta decretum Concilij Trident. sess. 22. cap. 11. in principio, & §. Quod si eiusdem, & etiam in Bulla cęnæ Domini, §. Qui verò iurisdictiones, & declarat Nauar. in Manuali cap. 27. num. 69. circa fin. & de iure communi, cap. relatum §. ad hoc vbi glos. de iure patr. Sayr. de censur. lib. 3. c. 31. n. 26.

CA-

CAPVT L.

De Ecclesia Cathedrali Montispelusij.

SVMMARIVM.

1 *Ecclesia Cathedralis Montispelusii libera, & exempta, & Sedi Apostolicæ subiecta.*
2 *Ciuitas ex aliqua causa priuata Episcopo non desinit esse Ciuitas.*
3 *Bulla Sixti Quarti pro reintegratione ad Episcopum pro Ciuitate Montispelusii.*
4 *Verba in materia odiosa strictè sunt intelligenda.*
5 *Ciuitas differt à loco.*
6 *Prouinciæ nomine quid contineatur de iure canonico.*
7 *Episcopatus suffraganei faciunt Prouinciam Metropolitanis.*
8 *Ciuitas, quæ habet territorium proprium, & distinctum, & nullum Metropolitanum recognoscit in Superiorem potest dici Prouincia.*
9 *Episcopus potest benedicere populo, & in Pontificalibus celebrare in locis exemptis suæ Diœcesis.*
10 *Archiepiscopi volentes vti pallio in Ciuitate exempta debent habere licentiam ab illius Episcopo, & non ab aliquo Metropolitano.*
11 *Episcopi suffraganei tenentur accedere ad Concilium Prouinciale Metropolitani.*
12 *Episcopi exempti possunt, & tenentur semel eligere aliquem vicinum Metropolitanum, in cuius Synodo Prouinciali interesse debent.*
13 *Capitulum Sede vacante tenetur infra octo dies deputare Vicarium: aliàs deputatio deuoluitur ad Metropolitanum, etsi Ecclesia est exempta ad Episcopum viciniorem.*
14 *Sedis Apostolicæ proprium est eximere Ecclesias à iurisdictione Ordinariorum.*

1 CVM incidenter aliquando verba fecerim, de Ecclesia Cathedrali Montispelusij, aliqua de ea notanda censui, ideò scias tu conciuis, hanc tuam patriam ex antiquo tempore fuisse Ciuitatem, & nulli Metropolitano suffraganeam, sed immediatè Sanctę Sedi Apostolicæ subiectam. Sed cum aliàs ex certis causis fuerit Episcopo priuata, & secundùm antiquas traditiones, & scripturas Ecclesiæ
2 Adriensi vnita, iuxta glos. in cap. ex temporis, in verb. vnire. 10. q. 1. quia licèt ex aliqua causa Ciuitas priuetur Episcopo, non tamen desinit esse Ciuitas, Bart. in extrauag. ad reprimendum, vers. Lombardiæ, numer. 5. & ibi addit. quod priuatur honore Ciuitatis,

& allegat tex. in cap. Felicis, §. Ciuitas. de pęn. lib. 6. & tandem per Sixtum Quartum fuit pristino statui restituta, vt haberet proprium Episcopum, vt apparet ex eius Bulla sub plumbo, quæ conseruatur in archiuio Capituli, cuius tenor talis est.

3 Sixtus Episcopus Seruus Seruorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Romanus Pontifex Beati Petri Cęlestis Regni Clauigeri successor, & Vicarius Iesu Christi super vniuersam Creaturam potestatis obtinens plenitudinem, & cuncta Mundi climata, omniumque nationum in illis degentibus qualitates paterna consideratione discutiens loca nomine, honore, ac insignijs Ciuitatis, ac Episcopali dignitate priuata, inibiq; Cathedrales Ecclesias, eorumq; personas, incolas ad pristina nomina, titulos, & honores, & insignia restituit, & reponit, prout rationabiles causæ suadent; & id in Domino conspicit salubriter expediri. Sanè cum sicut accipimus Ciuitas Montispelusi à longo tempore citra ex certis causis nomine, honore, ac insignijs Ciuitatis, ac Episcopali dignitate priuata fuisse dicatur. Nos cupientes eandem Ciuitatem nostris præcipuè temporibus cum laude Omnipotẽtis Dei, ac diuini cultus augmento in pristinum statum reponi, de fratrum nostrorum consilio, Ciuitatem prædictam, ac illi Ecclesiam Cathedralem, illarumq; præsentes, ac futuras personas, ciues, incolas, & habitatores, ad Episcopalem dignitatem, nec non ad Ciuitatis, & Cathedralis Ecclesiæ titulos, nomina, honores, & insignia, prout antequam priuata fuisset, existebat, authoritate Apostolica tenore præsentium restituimus, reponimus, pariter, & reintegramus. Non obstantibus pręmissis, ac Constitutionibus Apostolicis, cæterisque contrarijs quibuscumque. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostræ restitutionis, repositionis, & reintegrationis infringere, vel ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno incarnationis Dominicæ millesimo quadrigentesimo septuagesimo nono septimo, Calend. Iulij, Pontificatus nostri anno octauo.

Ex qua Bulla in illis verbis à longo tempore patet, quod ex antiquo tempore fuit Ciuitas, imò libera, & exempta ab omni Metropolitano, nullique Archiepiscopo suffraganea, sed immediatè subiecta sanctę Sedi Apostolicæ, in cuius exemptionis possessione, vel quasi reperitur; & tamen Archiepiscopus Acheruntinus, & Matheranus prætendit sibi licere deferri facere ante se crucem, & populo benedicere in dicta Ciuitate, & eius territorio, fundans se

super

super dispositione Concilij Viennensis translati in Clem. Archiepiscopo de priuileg. cuius verba sunt videlicet.

Archiepiscopo per quæuis loca exempta suæ Prouinciæ facienti transitum, vel ad ea forsitan declinanti, vt crucem ante se liberè portari faciat, benedicat populo, diuina officia priuatim, vel publicè ibidem audiat, & ea etiam in Pontificalibus celebret, & faciat in sua præsentia sine Pontificalibus celebrari, quouis priuilegio contrario non obstante, sacro approbante Concilio, præsentis Constitutionis serie duximus concedendum. Smili modo concedimus Episcopo, vt in locis eisdem suæ Diœcesis possit populo benedicere, audire diuina officia, & ea etiam celebrare, & in sua præsentia facere celebrari; sic tamen quòd prætextu concessionis huiusmodi in locis ipsis exemptis, vel circa hoc priuilegiatis nullam aliam iurisdictionem ibidem Archiepiscopus, vel Episcopus exerceat, nec personis exemptis, vel priuilegiatis molestsam inferat, vel grauamen, nullumque exemptioni, vel priuilegijs eorundem aliud præiudicium generetur, nec ipsis Archiepiscopo, vel Episcopo ius aliud quomodolibet acquiratur.

Super quo textu Archiep. prędictus se fundat, prętendens quod dicta Ciuitas Mōtispelusij sit locus exemptus suę prouincię, sed ex infra dicendis clarè apparebit dictā Clem. nō habere locū in præsenti casu.

Primò, quia dicta Clem. loquitur de locis, ibi per loca exempta, & non de Ciuitatibus; quia locus accipitur pro villa, vel Opido, Card. in Clem. 1. §. fin. de concess. præben. nam in materia odiosa verba, vt in casu præsenti adeò sunt attendenda, & strictè intelligenda, quòd ab eis non est recedendum, l. 1. §. & ibi Angel. & Alex. ff. quod quisque iur. Bart. in l. quod constitutum, ff. de testam. milit. nam cum ipsamet Clem. faciat ęqualem Episcopum ipsi Archiepiscopo, dum disponit, quod idem facere possit Episcopus in sua Dięcesi, quod facit Archiepiscopus in sua Prouincia, dicta verba *loca exempta*, necessariò intelligenda sunt, de locis exemptis in Dięcesibus Episcoporum suffraganeorum existentibus, quibus præsunt Abbates, Archipresbyteri, & alij Prælati inferiores Episcopis, & non de Ciuitatibus exemptis; quia aliud est Ciuitas, & alius locus, Clem. vnic. de for. compet.
5 vbi Papa facit differentiam inter Ciuitates, & loca, dum dicit in Ciuitatibus, vel locis, & inferiùs replicat dicens Ciuitatum, vel locorum, & dictio, *vel*, ponitur inter diuersa, Bal. in l. filiæ, C. de collat. Card. in Clem. 2. de ætat. & qualit. & in Clem. 1. de iudic. ergo dicta Clem. Archiepiscopo cessat in hoc casu.
6 Secundò in dicta Clem. dicitur suæ Prouinciæ, ideò videndum est, quid contineatur sub nomine Prouinciæ; & dico, quòd Prouin-

7 cia, de iure Canonico non intelligitur, de Lombardia, Tuſcia, Apulia, Lucania, & huiuſmodi, ſed omnes Epiſcopatus, qui ſunt ſuffraganei vni Archiepiſcopo faciunt vnam prouinciam, cap. ſcitote 6. q. 3. gloſ. in cap. cleros, in verb. à menſura, diſt. 21. in quo cap. ſcitote. Pelagius II. Summus Pontifex dicit, quòd Prouincia dicitur, cui præeſt Archiepiſcopus, qui habet ſub ſe decem, vel vndecim Ciuitates, & totidem Epiſcopos; & Petrus Gregorius Syntagm. lib. 15. cap. 11. num. 3. ait, quòd olim ita obſeruabatur circa numerum ſuffraganeorum, ſed annorum curſu dictus numerus ſuffraganeorum in vnaquaque Prouincia ad libitum eſt conſtitutus, Bart. in l. vnic. C. de Metropol. Berit. lib. 11. vbi etiam Bal. & Io. de Plat. circa fin. & idem Bart. in extrauag. Ad reprimendum verſ. Lombardiæ, nu. 1. dicunt, quòd ſecundum canones Lombardia non eſt vna Prouincia; nam Cremona eſt de vna Prouincia; quia eſt de Archiepiſcopatu Mediolani, & Regium eſt de Archiepiſcopatu Rauennenſi, & num. 7. dicit Prouincia verò ſecundum Canones diſtinguitur per Archiepiſcopatus; vnde meritò totum, quod ſubeſt iuriſdictioni Metropolitani, dicitur Prouincia, Bal. in §. iure ciuili, n. 2. inſtit. de vſu, cap. & ibi Aretin. n. 16. cum ergo dicta Ciuitas non ſit ſuffraganea, neque in aliquo ſub iuriſdictione dicti Archiepiſcopi, non eſt eius Prouinciæ, neque in Prouincia, & conſequenter dicta Clem. ceſſat.

8 Tertiò Ciuitas, quæ habet territorium proprium, & diſtinctum, & nullum Metropolitanum in Superiorem recognoſcit, poteſt etiam dici Prouincia, Bart. in dicta l. 1. C. de Metropol. Berit. lib. 11. & ibi Bal. num. 4. ſicut locus inferior exemptus, & nullius Diœceſis habens proprium territorium non dicitur eſſe intra fines alicuius Diœceſis, ſed facit Diœceſim de per ſe, & illius Prælatus dicitur Diœceſanus, gloſ. in Clem. vnic. in verb. Diœceſanis, de for. compet. & in cap. Ordinarij in verb. locorum, de offic. Ordin. lib. 6. Rota diuerſ. deciſ. 207. n. 2. & 5. in fin. part. 2. ideò in d. Clem. Archiepiſcopo conceditur etiam
9 Epiſcopo, vt poſſit in locis exemptis ſuæ Diœceſis populo benedicere, & in Pontificalibus celebrare; & hæc permittuntur in locis exemptis Diœceſis, non tamen in locis plenè exemptis, quæ nullius ſunt Diœceſis, habentibus proprium territorium, & Prælatum; quia huiuſmodi loca non ſunt de Diœceſi, neque in Diœceſi, & hanc differentiam facit Concilium Trident. ſeſs. 23. cap. 10. & ſeſs. 24. cap. 9. de reform. dum permittit loca exempta poſſe per Epiſcopum, de cuius Diœceſi ſunt, vti Apoſtolicæ Sedis delegatum viſitari; quæ verò nullius Diœceſis ſunt per Epiſcopum viciniorem, cum ergo dicta Ciuitas habens proprium territorium, & Epiſcopum, poſſit dici Prouincia, ſequi-

sequitur, quod non est de Prouincia, neque in Prouincia alicuius Archiepiscopi, & consequenter non habet locum, dicta Clem. Archiepiscopo.

10 Quartò Archiepiscopi, qui habent priuilegium vtendi pallio extra eorum prouinciam iuxta cap. ex tuarum, de authorit. & vsu pall. si intendunt eo vti extra prouinciam, necesse est, quòd habere debeant non solum consensum illius Episcopi, in cuius Dięcesi vti pallio voluerit, sed etiam Archiepiscopi illius Prouinciæ, ex quo illi videtur præiudicari, cum sit signum prælationis, Innoc. in dicto cap. ex tuarum, & ibi Abb. num. 12. & tamen quando Episcopus est exemptus, non requiritur consensus alicuius Archiepiscopi, cum nulli fiat præiudicium; sed sufficit licentia ipsius Episcopi exempti, vt per Innoc. in d. cap. ex tuarum, & cap. sequen. num. 3. quia Ciuitas exempta non est prouinciæ alicuius, neque in prouincia: & sic cessat dicta Clem. Archiepiscopo.

11 Quintò si Ciuitates exemptæ dicerentur de Prouincijs Archiepiscoporum, sequeretur, quòd illarum Episcopi tenerentur accedere ad Concilium Prouinciale ipsorum Archiepiscoporum, & tamen Concilium Trident. sess. 24. cap. 2. de reform. disponit. vt omnes Episcopi Comprouinciales teneantur accedere ad Synodum Pro-
12 uincialem Archiepiscoporum, & Episcopi verò exempti semel eligant aliquem vicinum Metropolitanum, in cuius Concilio Prouinciali interesse debeant, & hoc quia exempti non sunt de aliqua Prouincia, neque in Prouincia; & ideò non dicuntur Comprouinciales, & propterea non potest allegari dicta Clem. Archiepiscopo in hoc casu.

13 Demùm si Ecclesia exempta esset de aliqua Prouincia alicuius Archiepiscopi, item sequeretur, quòd Sede vacante per mortem Episcopi, & Capitulum esset negligens ad deputandum Vicarium infra octo dies, quòd ad Archiepiscopum deuolueretur deputatio Vicarij; & tamen deuoluitur ad Episcopum viciniorem, Concil Trid. sess. 24. cap. 16. de reformat.

Remanet ergo vera conclusio, quòd dicta Clem. Archiepiscopo non habet locum, quando exemptus habet proprium Prælatum, vt post Innoc. & Io. Andr. dicit Abb. in cap. cum sis de auth. & vs. pall. in fine.

Non obstat illud, quod dicit dictus Archiepiscopus, quòd antequam dicta Ciuitas erigeretur in Episcopatum, erat de Dięcesi ipsius Archiepiscopi, & quòd hæc delatio Crucis, & benedictio Populi ei competit propter reliquias præcedentis subiectionis, Quarant.

in Summ. Bullar. in verb. Archiepiscopi authoritas, authoritate 28. ad quod respondetur, quòd negatur dictam Ciuitatem aliquando fuisse, de eius Diœcesi; sed dato, & non concesso, quòd fuerit de sua Diœcesi, illud, quod dicit Quarant. loco citato, non procedit in Ciuitatibus exemptis, sed in locis; quia dicit hæc verba talia loca per exemptionem non desinunt esse in Prouincia, vel Diœcesi, vbi loquitur de locis factis exemptis existentibus in Prouincia, vel Diœcesi suffraganeorum, & non de locis, quæ eriguntur in Ciuitates cum exemptione, vltra quòd dictum Quarant. non habet fundamentum; quia motus fuit hoc dicere, exemplo serui, qui quamuis à Domino fuerit manumissus, & libertate donatus, tamen vti libertinus tenetur recognoscere Dominum opera obsequialia, & reuerentiam præstare propter reliquias præcedentis subiectionis, l. fin. C. de oper. libert. quòd non militat in casu nostro, quia Ecclesia non eximitur ab Archiepiscopo, sed à Summo Pontifice, qui est Dominus omnium Ecclesiarum, cap. 2. de præb. lib. 6. Clem. 1. in fin. vt lit. non contest. Gomes.
14 in proœm. Regul. Cancell. num. 7. nam proprium est Sedis Apostolicæ eximere, glos. in cap. 1. in verb. exemptionis, de priuileg. lib. 6. & quando quis consequitur libertatem à Principe non est libertinus, sed efficitur ingenuus, l. fin. ff. de natal. rest. & habetur, ac si nunquam fuisset in seruitute, nemini obsequia debens tot. tit. ff. de natal. rest.

Vltra quòd ex dicta Bulla Sixti apparet contrarium, in qua sunt hæc verba: Sanè cum sicut accipimus Ciuitas Montispelusij à longo tempore citra ex certis causis nomine, honore, ac insignijs Ciuitatis, ac Episcopali dignitate priuata fuisse dicatur. Nos cupientes, &c. ex quibus verbis apparet, quòd antequam fuisset restituta ad dignitatem Ciuitatis per longum tempus fuerat Ciuitas; quia priuatio præsupponit habitum, l. decem, ff. de verb. signif. l. manumissiones, ff. de iust. & iur. & cum esset Ciuitas non poterat esse de aliqua Diœcesi, & verba prolata à Papa plenè probant Clem. vnic. de probat. l. Epistola, ff. de pact. Dec. cons. 152. Ias. in l. ex his, C. de testam. milit. Gram. cons. 100. num. 81. & 82. in ciuil. Item dato, quòd aliquando fuisset, de Diœcesi dicti Archiepiscopi, dico, quòd aut fuit, antequam erigeretur in Ciuitatem, & hoc non officit; quia erecta postea in Ciuitatem cum exemptione, desijt esse suæ Prouinciæ, aut fuit post priuationem, & similiter non officit; quia per restitutionem ad pristinum statum per Sixtum IV. recuperauit omnia priuilegia, quæ habebat ante priuationem, vt habetur in dicta Bulla, vbi dicitur Ciuitatem prædictam, ac illi Ecclesiam Cathedralem, &c. ad Episcopalem digni-

dignitatem, &c. prout antequam priuata fuisset existebat, authoritate Apostolica tenore præsentium restituimus, reponimus, pariter, & reintegràmus, ex quibus verbis clarè apparet, quod fuit reintegrata etiam ad exemptionem, quam prius obtinebat. Et sic iuris esse censeo, salua tamen determinatione Sanctæ Romanæ Ecclesię, in qua ista quæstio pendet indecisa inter Archiepiscopum Mediolani, & Episcopum Papiæ, vt refert March. Ant. Cucch. Inst. maior. lib. 2. tit. 7. num. 28.

CAPVT LI.

De horis Canonicis.

SVMMARIVM.

1 *Horæ Canonicæ siue Officium diuinum quid sit.*
2 *Sacrificium compræhendit omnem oblationem spiritualem.*
3 *Officium vnde dicatur.*
4 *Virtutes, & excellentiæ Dei manifestantur in diuino officio.*
5 *Oratio seu Laus est duplex.*
6 *Horæ Canonicæ quomodo sunt dicendæ.*
7 *Horæ Canonicæ voce articulata sunt recitandæ.*
8 *Horas Canonicas quis audiendo, an satisfaciat.*
9 *Horæ Canonicæ quando alternatim dicuntur, an pars quæ non recitat medietatem satisfaciat, & num. 10.*
10 *Horas Canonicas recitans in choro, si omittat aliquem psalmum propter aliquod impedimentum, an teneatur illum repetere.*
11 *Horas recitans in choro non debet submissa voce recitare partem, quam altera pars chori dicit.*
12 *Distributiones quotidianas non lucratur recitans officium submissa voce in choro.*
13 *Tributum debetur Deo à personis Ecclesiasticis, sicut à laicis Regi.*
14 *Cleros græcè, latinè dicitur Sors.*
15 *Circumstantiæ, quæ requiruntur in dicendo diuinum officium.*
16 *Traditiones Ecclesiasticæ tamquam leges sunt seruandæ.*
17 *Obligatio dicendi diuinum officium, an sit de iure diuino, vel humano.*
18 *Papa potest commutare diuinum officium in alias orationes.*
19 *Personæ, quæ tenentur recitare diuinum officium.*
20 *Clerici primæ tonsuræ, & ordinum minorum non tenentur ad vllas horas recitandas.*
21 *Religiosi professi tenentur recitare diuinum officium.*
22 *Moniales an teneantur dicere horas canonicas.*

23 *Cle-*

23 *Clerici beneficiati tenentur recitare diuinum officium.*

24 *Clericus tenetur dicere diuinum officium, etiam si eius pater sumeret fructus beneficij.*

25 *Fructus beneficij sunt bona quasi castrensia.*

26 *Excommunicati, suspensi, & interdicti, an teneantur dicere officium diuinum.*

27 *Clerici beneficiati an teneantur dicere officium, si fructus sunt tenues.*

28 *Clerici an possint cogi inseruire Ecclesiæ pauperi.*

29 *Circumstantiæ requisitæ ad recitandum diuinum officium.*

30 *Horæ canonicæ sunt diuisæ in numero ternario, & qua ratione.*

31 *Horæ canonicæ quot sunt.*

32 *Horas posteriores, quando possit quis dicere, non dictis prioribus, quas erat dicturus.*

33 *Ordo quis seruandus in recitando horas canonicas.*

34 *Missa an possit celebrari ante recitatum saltem matutinum cum laudibus.*

35 *Episcopi in Synodo, neque Generales Ordinum possunt hodie moderare onera missarum.*

36 *Missæ tot sunt dicendæ, quot ad rationem tributa eleemosynæ præscripta.*

37 *Reuocatio priuilegiorum, vt certarum missarum, vel anniuersariorum, & celebratione plurium missarum oneribus satisfiat.*

38 *Pecunia pro celebrandis missis in perpetuum inuestienda est super re stabili cum expressa mentione dicti oneris.*

39 *Clerici seculares sine licentia Episcopi, vel eius Vicarij, & Regulares sine Generalis, vel Prouincialis consensu non possunt suscipere onera perpetua Missarum.*

40 *Capsula cum inscriptione, Eleemosina pro missis, non potest in Ecclesia teneri.*

41 *Horas canonicas an quis mutare, vel variare possit.*

42 *Qualitas officij non est in præcepto.*

43 *Officij Beatæ Mariæ, Defunctorum, Psalmis graduales, & penitentiales, an clerici obligati ad officium teneantur recitare.*

44 *Horæ canonicæ quo tempore sunt recitandæ.*

45 *Horæ canonicæ in quo loco sunt dicendæ.*

46 *Modus recitandi diuinum officium.*

47 *Clericus recitando officium si non recordetur dixisse aliquem psalmum, an teneatur illum dicere.*

48 *Officium diuinum, dum quis se vestiendo, vel manus lauando dicit, an satisfaciat.*

49 *Clericus in choro si transferendo librum omittat aliquem psalmum, an teneatur illum dicere.*

50 *Officium dicens dum quis audit missam ex præcepto an satisfaciat.*

51 *Pœnæ non recitantium diuinum officium.*

52 *Bene-*

1 PRO intelligentia huius solemnis materiæ primò est notandum quòd horæ canonicæ, seu officium diuinum, nil aliud est, nisi sacrificium laudis de fructu labiorum Deo debitum ab ijs, qui in sortem Domini sunt electi certis circumstantijs per Ecclesiam determinatum, quæ difinitio, seu potius descriptio colligitur, ex Clem. 1. de celebrat. missar. ex qua difinitione notandum est, quod nomen illud sacrificium ponitur tamquam genus; quia sacrificium est omnis obla-
2 tio spiritualis Deo oblata, & compræhendit quamlibet oblationem siue sit sacrificium missæ, vt habetur in Concilio Trident. sess. 22. c. 2.

siue

siue confessionis, siue dedicationis sui ipsius Deo, siue maceratio-
3 nis carnis in ieiunio, & disciplina, & officium secundum Sanctum Hieronymum in lib. de officijs dicitur ab efficiendo, quasi officium ab officio efficis, vna littera mutata in aliam propter sermonis decorem; vnicuique enim conuenit suum efficere officium, vel secundum S. Isidorum, officium dicitur, vt quisque illud agat, quod nulli officiat, sed omnibus prosit, Gulielm. Durand. in Rationale diuin. offic. lib. 5. cap. 2. num. 1.

4 Secundò notandum est, quòd in definitione dictum est laudis; nam in diuino officio manifestantur virtutes, & excellentiæ Dei, vt habetur Psalm. 49. *Imola Deo sacrificim laudis*, & sequitur, *sacrificium laudis honorificabit me*.

5 Tertiò in definitione dicitur de fructu labiorum, quia laus est duplex interior, & exterior, quæ etiam dicitur vocalis, & hæc laus exterior, seu vocalis est duplex publica, & priuata. Publica est, quando cantātur, vel recitantur diuina officia in Ecclesia per eius ministros, & dicitur etiam publica, si domi à clericis dicatur officium; quia tamquam ministri Ecclesiæ repræsentant Ecclesiam, glos. in Clem. vnic. in verb. orationes de reliqu. & venerat. Sanct. Priuata est, quando vnusquisque pro se orat, non nomine Ecclesiæ, Diu. Thom. 2. 2. q. 83. art. 12. & cum dicatur de fructu labiorum intelligendum est de ora-
6 tione publica; hinc est, quod oratio publica debet fieri voce, & labijs per articulata verba, tex. est in dicta Clem. 1. in glos. in verb. fructuum labiorum, de celebrat. miss. in tantum quod qui est obligatus dicere officium, non satisfacit, nisi voce articulata, ore, & labijs verba proferat, & hoc tribus rationibus. Primò ad excitandum deuotionem suam, & populi. Secundò, vt magis magnificetur Deus, qui magis, Lętatur alta voce laudari, & magnificari. Tertiò, vt deseruiatur Deo omnibus modis, scilicet animo, & corpore, iuxta tex. in cap. numquam de consecrat. dist. 5.

7 Quartò dicitur in definitione, voce articulata, non quòd sit necesse alta voce clamare, quando clericus dicit officium, vel cantare, sed ne hoc faciat balbutiendo, & sincopando, vel oculis transcurrendo; sed sufficit; vt se ipsum audiat dicta Clem. 1. de celebrat. missar. Nauar. de hor. canon. cap. 20. num. 14. per tex. in cap. dolentes, & ibi glos. in verb. studiosè, de celebrat. miss. Si verò oratio est priuata, idest quando quis orat non tamquam persona Ecclesiastica, & minister Ecclesiæ; & tunc sufficit oculis transcurrere, vel mente, Nauar. de
8 horis canon. cap. 17. num. 39. Nec sufficit audire diuinum officium; quia qui est obligatus ad persoluendas horas canonicas, non satisfacit,

cit, etiam si attentissimis auribus audiret; nam dicitur, de fructu labio-
9 rum, & non aurium, benè verum est, quòd dum in Choro cantatur, vel recitatur officium alternatim, quamuis medietas officij ab altera parte recitetur, altera pars satisfacit; & ita se habet generalis consuetudo in toto orbe Christiano recepta, dictans, quòd qui recitat in choro, aut extra eum horas canonicas cum socijs satisfacit, dicendo dimidium Psalmorum, & Versiculorum, audiendo etiam Orationes, Capitula, Lectiones, Antiphonas, Responsoria, & alia iuxta consuetudinem Chori, vel eorum, qui simul recitant, dicere non solent, nisi vnus duo Nauar. de hor. canon. cap. 10. num. 16. quia propter vnio-
10 nem charitatis censetur vnum corpus, imò si aliquis in choro prætermittit aliquem versiculum, vel integrum Psalmum propter aliquod impedimentum, vt quia sanguis ex naribus effluxerit, vel si interrogaretur à Sacrista, de hora dicendi missam, non tenetur repetere officium ex eo loco, à quo destitit; quia cum sit vnus de choro in satisfaciendo censetur, de numero illorum; & secretò repetendo, quæ omisit, est potius scrupulositas, quàm quid boni, Innoc. in cap. dolentes, de celebrat. miss. si tamen excessus esset notabilis, post finitum of-
11 ficium poterit extra chorum supplere; adeò quod si quis recitat in choro, vel extra cum socio, non debet submissa voce recitare partem illam, quam recitat altera pars chori, vel socius, tum quia euitanda est scrupulositas, tū etiam ad euitandum perturbationem mentis aliorum, qui attentè audiunt, quæ ab alijs, vel à socio recitantur. Si au-
12 tem aliquis post inceptum officium ingrederetur chorum, & submissa voce diceret officium, non censeretur de corpore chori, & distributiones non lucraretur, & teneretur ad restitutionem pro rata illius officij, & horarum; idem est, si quis alta voce, sicut alij non cantat, vel non recitat officium, Gaet. in verb. Horæ canonicæ, imò peccat, qui in choro recitat suas horas, aut earum partem priuatim tempore, quo in communi recitatur, vel cantatur officium; quia non solum obsequium, quo obnoxius choro subtrahit, sed alios psallentes perturbat, Nauar. de hor. canon. cap. 16. num. 5.

13 Quartò dixi in definitione, tributum; nam officium est tributum, quod Deo debetur à personis Ecclesiasticis, cap. 1. de celebrat. miss. quia quemadmodum tributum soluitur Regi à laicis in signum serui-
14 tutis, ita debetur ab Ecclesiasticis Deo, Abb. in dicto cap. 1. Dixi ab
15 ijs, qui in sortem Domini sunt electi, idest à clericis; nam cleros Grecè Latinè dicitur sors, & clerici in sortem Domini sunt vocati, cap. clericus 12. q. 1.

16 Demum dixi certis circumstantijs, idest vt seruetur numerus, or-

do,

do, qualitas, & modis, de quibus omnibus dicam, infra n.29. & dixi per Ecclesiam determinatum, idest per traditiones Ecclesiasticas antiquas, quæ in Ecclesijs sunt seruandæ tamquam leges, cap. quis nesciat 11. dist.

17 Sed quæro, quo iure sit ista obligatio recitandi diuinum officium? Resp. quòd est de iure diuino, & de iure positiuo. De iure diuino est, vt persona Ecclesiastica celebret fructum labiorum suorum iuxta illud Psalm. *Septies in die laudem dixi tibi*, & cum sit de iure diuino non potest dispensari etiam à Summo Pontifice, quia septies in die laudare Deum est de iure diuino, Abb. in dicto cap. 1. de celebrat. miss. sed benè potest commutari à Papa. De iure verò positiuo sunt circumstantiæ scilicet, vt dicatur tale, vel tale officium, vel de feria, vel
18 de Sancto, Abb. in d. cap. 1. Summus autem Pontifex potest commutare, vt dicatur officium Beatæ Mariæ, vel Corona, vel aliquid aliud, & ex his notandum est, quod clerici operam legibus dantibus, non excusantur à recitatione diuini officij, neque Ordinarius potest dispensare, auth. multi magis, C. de Episcop. & cleric.

19 Secundò quæro, qui teneantur recitare diuinum officium? Resp. quòd quinque genera personarum tenentur sub pęna peccati mortalis, videlicet. Clerici in Sacris constituti, Monaci, seu Fratres cuiuscumque Religionis approbatę, Moniales, Beneficiati, & demum qui voto se obligauerunt. Primò clerici in sacris Constituti, vt Subdiaconi, Diaconi, & Presbyteri, d. cap. 1. de celebrat. miss. & licèt de solis Sacerdotibus loquatur, Doctores tamen ita communiter declarant, Tabien. in verb. Horæ canonicæ, Nauar. de hor. canon. cap. 7.
20 num. 2. & ita se habet consuetudo vniuersalis Ecclesiæ, clerici verò
21 primæ tonsuræ, & in minoribus ordinibus constituti non tenentur ad vllas horas, & ita est communis opinio. Secundò Monaci, & Fratres Religiosi tenentur ad recitandas horas canonicas sub peccato mortali, dummodò sint professi, ex antiquissima Ecclesiæ consuetu-
22 dine, Nauar. loco citato, num. 21. Tertiò Moniales professæ ex antiqua etiam consuetudine, Nauar. ibidem, sed Nouitij, & Nouitię non tenentur; quia non habent certum statum; nec Conuersi, & Conuersę. neque viri, & mulieres tertij Ordinis; secus autem si sunt clausę habent chorum, & viuunt in communi, Innoc. in cap. 1. de celebrat.
23 miss. quem ibi sequuntur Host. & Io. Andr. Nauar. loco citato, n. 21. Quartò clerici beneficiati, quamuis non sint ordine sacro insigniti, cap. fin. de rescript. lib. 6. cap. fin. 92. dist. Nauar. loco citato, num. 3. siue beneficium sit curatum, siue simplex, vel de iurepatronatus, Na-
24 uar. in Manual. cap. 25. num. 110. ampliatur etiam si beneficiatus sit filius

filius familias, & pater sumeret fructus beneficij; nam hoc est onus personale, & pensum seruitutis, cap. 1. de celebrat. miss. sed filius ha-
25 bet actionem contra patrem, vt sibi restituat fructus beneficij per ipsum perceptos; cum sint bona quasi castrensia, in quibus pater non habet vsumfructum, Afflict. decis. 241. ampliatur etiam, si beneficiatus habuerit quodlibet impedimentum, vel ratione studij, vel alterius negotij, & si voluerit restituere fructus, non per hoc effugere poterit
26 peccatum mortale, Abb. in d. cap. 1. de celebrat. miss. Ampliatur etiam, si obligati ad officium essent excommunicati, interdicti, suspensi, & irregulares; quia excommunicatio impedit aditum ad chorum; & si aliter diceretur, sequeretur maximum absurdum, & inconueniens; quia illud, quod est introductum in odium, traheretur ad
27 fauorem, Abb. in cap. 2. & cap. illud de cler. excomm. ministr. Ampliatur demum etiam si beneficiati habuerint beneficium tenue, cuius fructus non sufficerent ad victum, & est communis opinio, glos. singularis in cap. clericus victum, in verb. vigilijs, dist. 91. Diu. Anton.
28 part. 3. tit. 13. cap. 4. §. 1. Verùm si Ecclesia est adeò pauper, vt ab ea clerici non possent percipere necessaria pro eorum victu non tenentur in ea residere, & inseruire; cum de altari viuere debeant, nisi fecissent sibi præiudicium, si permiserunt se promouere ad Ecclesiam tenuem, arg. cap. horrendus 32. q. 5. & ita determinatur per dictam glos. in dicto cap. clericus victum, numquam tamen possunt omittere recitare diuinum officium, Nauar. de hor. can. cap. 7. num. 27.

29 Et quia supra numer. 16. dixi, quòd requiruntur quædam circumstantiæ in recitando diuinum officium; ideò sciendum est, quòd sex circumstantiæ requiruntur videlicet, numerus, ordo, qualitas, tempus, locus, & modus. Primò requiritur numerus idest, vt integrè recitentur horæ canonicæ, aliàs peccaretur mortaliter, & hoc obseruandum est singulis diebus à personis obligatis, de quibus supra, qui numerus diuiditur in duas partes scilicet in horas nocturnas, & diurnas. Horæ nocturnæ continent Matutinum, & Laudes. Horæ diurnæ continent Primam, Tertiam, Sextam, Nonam, Vesperas, & Com-
30 pletorium, & omnes horæ sunt diuisæ in numerum ternarium; nam Matutinum continet tres Nocturnos, & vnusquisque eorum in tres Psalmos, & tres Lectiones est diuisus; & post Primam relinquitur Secunda, & dicitur Tertia, & sic Sexta, & Nona; ratio est, quia in his horis laudatur Pater, Filius, & Spiritus Sanctus; & sic ad honorem Sanctissimæ Trinitatis, vide glos. notabilem, in d. cap. 1. de celebrat. miss. quæ ponit quosdam versus pro significatione dictarum horarum, & quamuis fuerit opinio nonnullorum, vt Archid. in cap. pre-

sbyter,

31 sbyter, dist.91. & Diu. Antonin. p.2. cap.12. §.1. & Nauar. de hor. canon. cap.3. num.27. dicentium horas esse diuisas in octo partes, diuidendo Matutinum à Laudibus, tamen opinio communis est in contrarium affirmans septem esse horas canonicas, Angel. Tabien. Armill. & summistæ, in verb. Horæ canonicæ.

32 Secundò requiritur ordo, vt primò dicatur Matutinum, deinde Laudes, Prima, Tertia, Sexta, Nona, Vesperæ, & vltimo Completorium, qui ordo in choro omnino est seruandus; sed cum priuatim extra chorum dicuntur horæ, hunc ordinem peruerere est peccatum veniale, Armill. in verb. Horę Canonicæ, num.15. Angel. eodem,
33 num.18. Cardin. Tolet. de instruct. Sacerd. lib.2. cap.13. num.4. ex causa verò iusta nullum est peccatum; quia ordo non est in pręcepto, sicut numerus; exemplum in iusta causa est, quando aliquis antequam dixisset Primam, Tertiam, & reliquas horas, inuitatur ab aliqua persona graui, vel alicuius momenti, vt secum diceret Vesperas, poterit cum eo licitè dicere Vesperas; & postea dicere alias horas prætermissas, similiter ob aliam rationabilem causam occurrentem, vel etiam per obliuionem, Card. Tolet. loco citato, vel quando impeditus quis tardè veniret ad chorum, tunc poterit incipere officium ab eo loco, in quo reperitur chorus, quando eum ingressus est, & postea finito officio poterit ab intro supplere, Nauar. de hor. can. cap.10. num.11.

34 De ordine tamen Missę ad alias horas controuertitur à Doctoribus, an sit peccatum mortale dicere Missam ante expletum Matutinum cum Laudibus; & non esse peccatum mortale expresse tenent Sot. de iust. & iur. lib.10. q.5. art.4. conclus.2. & in 4. dist. q.2. in fin. Medin. part.1. inst. confess. cap.16. §.2. in fin. Io. Baptist. Corrad. in respon. casuum conscient. casu 242. Cucch. lib.5. tit.6. nu.36. Petr. Ledesm. in Summa, part.1. tit. de Sacram. Eucharist. cap.23. vers. Octaua conclus. Suar. p.3. q.83. art.3. disput.82. sect.1. AEgid. de Sacram. tomo 1. q.83. num.220. Quod sit peccatum mortale ante Matutinum cum Laudibus facere sacrum tenent, & tuentur Diu. Anton. part.3. tit.13. cap.6. §.4. in fin. Armill. in verb. Missa, n.3. Tabien. eod. n.7. Angel. n.42. Maiol. de irregularit. lib.3. cap.24. n.1. Lelius Zecch. de Sacrament. tract. de missa, cap.16. Duran. de Ritibus Ecclesiæ lib.3. cap.24. n.13. Graff. lib.2. cap.40. n.5. & quidam Laurentius Perez in eleganti tract. cuius titulus est, *An liceat missam celebrare non recitatis Matutinis*, Nauar. de hor. canon. cap.21. num.30. vbi dicit hanc esse communem opinionem, & ita se habet generalis consuetudo Ecclesiæ, cuius magna est authoritas, & habet vim legis,

L2.

l.2. C. quæ sit long. consuetud. confirmatur hæc opinio in Missali nouo Pij V. reformato, seu correcto per Clementem VIII. in rubrica *De defectibus in celebratione occurrentibus*, vbi inter alios defectus ponitur, si Sacerdos celebrauerit non absoluto saltem Matutino cum Laudibus, opinio autem tenentium non esse peccatum mortale dicere missam ante Matutinum cum Laudibus posset procedere quando adesset aliqua causa rationabilis, vel adesset necessitas, Nauar. loco citato, Cardinal. Tolet. de instruct. Sacerdot. lib. 2. cap. 1. num. 7. vt si die Dominico, vel aliquo festo aliquis Dominus, vel personæ graues essent discessuræ, & vellent audire Missam, vel si aliqui vellent Eucharistiam sumere pro consequenda Indulgentia, & deficerent particulæ consecratæ; nam tunc posset Sacerdos ante Matutinum cum Laudibus celebrare, aliàs cessante causa non posset iuxta communem Doctorum opinionem.

35 Et notandum est, quod hodie Episcopi non possunt, neque Generales Ordinum moderare onera Missarum, prout faciebant virtute Concilij Trident. sess. 25. cap. 4. de reformat. & hoc per decreta Sacræ Congregationis Concilij authoritate Sanctissimi D. N. Vrbani Papæ VIII. sub Dat. Romæ die 21. Iunij 1625. & publicata die 22. mensis Septembris eiusdem anni, tenoris sequentis.

Ac primò districtè prohibet, atque interdicit, ne Episcopi in Diœcesana Synodo, aut Generales in Capitulis generalibus, vel aliàs quoquomodo reducere onera vlla Missarum celebrandarum, aut post idem Concilium imposita, aut in limine fundationis, sed pro his omnibus reducendis, vel commutandis, aut moderandis ad Apostolicam Sedem recurratur; qua re diligenter inspecta, id statuet, quod magis in Domino expedire arbitrabitur, alioquin reductiones, moderationes, & commutationes huiusmodi, si quas contra huius prohibitionem forsan fieri contigerit, omninò nullas, & inanes decernit.

36 Deinde vbi pro pluribus missis eiusdem qualitatis celebrandis plura dispendia, quantumcumque incongrua, & exigua, siue ab vna, siue à pluribus personis collata fuerunt, aut conferentur in futurum Sacerdotibus, Ecclesijs, Capitulis, Collegijs, Hospitalibus, Societatibus, Monasterijs, Conuentibus Congregationibus, Domibus, ac locis pijs quibuscumq; tàm secularibus, quàm Regularibus Sacra Congregatio sub obtestatione diuini iudicij mandat, ac præcipit, vt absolutè tot Missæ celebrentur, quot ad rationem attributæ eleemosinæ præscriptæ fuerint, ita vt alioquin ij, ad quos pertinet suæ obligationi non satisfaciant, quinimmò grauiter peccent, & ad restitutionem

37 teneantur. Id verò, vt deinceps obseruetur exactius, Sacra Con-

 grega-

gregatio eadem authoritate reuocat priuilegia, & indultâ omnia quibusuis personis, Ecclesijs, ac locis pijs, tàm Secularibus, quàm Regularibus cuiuscumque Ordinis, Congregationis, & Instituti quamcumque ob causam concessa, quibus indulgetur, vt certarum Missarum, vel Anniuersariorum celebratione, aut aliquibus collectis, seu orationibus plurium Missarum oneribus in futurum suscipiendis satisfiat. Ac similiter omne damnabile lucrum ab Ecclesia remouere volens, prohibet Sacerdoti, qui Missam suscipit celebrandam cum certa eleemosina ne eandem Missam alteri, parte eiusdem eleemosinæ sibi retenta, celebrandam committit. Præterea vt in Ecclesijs,
38 in quibus onera Missarum in perpetuum imposita sunt Sacerdotes in eis, vt par est adimplendis eò tepidiores, ac segniores reddantur; quod onera huiusmodi cum nulla, aut parua sint vtilitate coniuncta, statuit, atque decernit, vt pecuniæ, ac bona mobilia Ecclesijs, Capitulis, Collegijs, Hospitalibus, Societatibus, Congregationibus, Monasterijs, Conuentibus ac locis omnibus, tàm Secularibus, quàm Regularibus, atque illorum personis in futurum simpliciter acquirenda cum onere perpetuo Missarum celebrandarum, ab ijs, ad quos pertinet sub pęna interdicti ab ingressu Ecclesiæ ipso facto incurrenda, à die realis acquisitionis statim deponi debeant penès ędem Sacram, vel personam fidam, & facultatibus idoneam ad effectum illa, seu illarum prætium, quam primùm inuestiendi in bonis immobilibus fructiferis, cum expressa, & indiuidua mentione oneris, quod illis annexum reperitur, ac si eadem bona immobilia authoritate Apostolica deinceps alienari contingerit, eorumdem pretium sub eadem pęna, vt supra deponi, atque in alijs stilibus itidem fructiferis cum eiusdem oneris repetitione, atque annexione conuerti debeat. Ad hæc Sa-
39 cra Congregatio quibusuis Capitulis, Societatibus, & Congregationibus, nec non omnibus, & singulis Ecclesiarum, ac piorum locorum tàm secularium, quàm Regulariũ superioribus, vel alijs, ad quos pertinet districtè prohibet, ne in posterum onera perpetua suscipiant Missarum celebrandarum; seculares quidem sine Episcopi, vel eius generalis Vicarij, Regulares verò sine Generalis, vel Prouincialis consensu, & licentia in scriptis, & gratis concedenda, alioquin secularis, qui huius prohibitionis transgressor exstiterit, ab ingressu Ecclesiæ interdictus sit eo ipso. Regularis verò pęnam priuationis omnium officiorum, quæ tunc obtinebit, ac perpetuæ inhabilitatis ad alia de cętero obtinenda, vocisque actiuæ, ac passiuæ absque alia declaratione incurrat. Eleemosynas verò manuales, & quotidianas pro missis celebrandis, ita demum ijdem accipere possint, si oneribus

antea

antea impositis, ita demum satisfecerint, vt noua quoque valeant, accipere, alioquin omnino abstineant ab huiusmodi eleemosinis,
40 etiam spontè oblatis in futurum recipiendis. Et capsulas auferant ab Ecclesijs cum inscriptione illa: *Eleemosina pro Missis*, vel alia simili, sub eisdem pęnis ipso facto incurrēdis, nè fideles hac ratione frustrentur. Hæc in decretis Sacræ Congreg. Concilij.

41 Tertiò, vt redeamus ad materiam diuini officij, requiritur qualitas, scilicet, vt vnusquisque dicat officium illius diei, de quo habetur in Breuiario Romano, & confirmetur Ecclesiæ Cathedrali, & si est Monachus eius Monasterio, si autem quis inaduertenter, vel igno-
42 ranter, vel ex aliqua causa probabili, semel atque iterum variaret officium, non peccaret mortaliter; ratio est, quia qualitas officij non est in præcepto de iure diuino, sed si hoc procedit ex negligentia, vel inaduertentia esset peccatum veniale, Cardin. Tolet. de Instruct. Sacerd. lib. 2. cap. 13. num. 5. sed si ex malitia, aut quia quis vellet variare, & mutare qualitatem officij pro breuitate, vt si vellet in Feria quinta, vel Sabbato dicere officium semiduplex alicuius Sancti pro deuotione sua, peccaret mortaliter, non propter mutationem qualitatis officij, sed quia non conformaretur Ecclesiæ matrici, & si hoc in choro commisit non facit fructus suos, quos ex distributionibus quotidianis recipit; vnum tamen notandum est, quòd cum ex inaduertentia officium mutatum est, vt qui dicturus erat de Sancto, dicit de feria, vel è contra; quòd tunc non est opus omnia repetere, sed solùm quod fuit particulare festi, vel Feriæ, vt Hymni, Antiphonæ, Oratio, & Lectiones, Cardinal. Tolet. loco citato, num. 6.

43 Solet dubitari inter Clericos, an quis teneatur sub præcepto peccati mortalis recitare officium Beatæ Mariæ Virginis, Mortuorum, Psalmos Graduales, & Pęnitentiales. Et dico, quod in choro tenentur, prout præscriptum in rubricis Breuiarij, sed extra chorum, tam infra annum, quàm tempore Quadragesimali non tenentur, & nullum peccatum faciunt per Bullam Pij V. positam in principio Breuiarij, quæ incipit, *Quod à nobis*, §. quod verò.

44 Quartò requiritur tempus, vt dicantur horæ canonicæ tempore suo, & horis statutis, & in hoc standum est consuetudini obseruatæ in choro; sed circa eas, quæ priuatim extra chorum à clericis recitantur, tempus obligans ad peccatum mortale, & satisfaciendi præcepto, est à Vesperis præcedentis diej, vsque ad mediam noctem diei subsequentis, v. g. horæ diei Dominicæ possint dici, à Vesperis Sabbati vsque ad mediam noctem diei Dominicæ, dummodò de sero

præcedenti dicatur solum Matutinum cum Laudibus, glos. in cap. 1. in verb. omnes dies Dominicos, de fer. quam commendat Felin. in cap. consuluit, de offic. delegat. Nauar. de hor. canon. cap. 3. nu. 34. qui ergo hoc tempore horas non recitauerit, peccat mortaliter, Tabien. in verb. Horæ, & omnes summistæ.

45 Quintò requiritur locus, ideſt in quo loco eſt perſoluendum diuinum officium; & dicas, quod officium, siue horæ canonicę, quæ publicè dicuntur, in Eccleſia dici debent, Clem. 1. §. ne igitur, de celebrat. miſs. De horis verò canonicis, quas priuatè dicunt clerici, quamuis decentior locus ſit in Eccleſia, cap. parſimoniam cum gloſ. in verb. priuatis, diſt. 41. & cap. decet, de immunit. Eccleſ. lib. 6. per rationes, quas refert Nauar. de hor. canon. cap. 5. n. 4. tamen vbique dici poteſt officium, & in omni loco, etiam in via pedeſtri, vel equeſtri, vel in cubiculo in domo, ſedendo, vel deambulando; in locis verò indecentibus non licet, alioquin peccaretur venialiter, etiam ſi quis recitaret officium, quando redderet debitum naturæ, Sot. de iuſt. & iur. lib. 10. q. 5. art. 5. in fin. Nauar. de hor. canon. cap. 5. n. 5. & ſequen. Innoc. in cap. dolentes, de celebrat. miſs.

46 Sextò requiritur modus in recitando diuinum officium, vel quamlibet aliam orationem; qui eſt triplex, nempè, vt celebretur reuerenter, deuotè, & attentè, cap. cantantes, diſt. 92. Nauar. de hor. canon. cap. 13. n. 4. primò, vt officium dicatur reuerenter, quo ad ſitum corporis, vt faciat in choro recitans genuflexiones, ſtationes, & alias cęremonias, quæ obſeruantur in Eccleſijs, quæ inuiolabiliter ſunt ſeruandę, aliàs non ſeruantes peccant venialiter tantùm, extra verò chorum quomodocumque dicatur officium ſedendo, ambulando, equitando, vel ſtando ſatiſfit præcepto, Innoc. in cap. 1. de celebrat. miſs. Nauar. de hor. canon. cap. 4. n. 14. Secundò, vt dicatur officium deuotè, ideſt prompta mente ad ſeruiendum Deo, ex qua mente prompta naſcitur illa dulcedo in animo, quam ſentit quis pro rebus pijs; verumtamen qui in recitatione diuini officij non ſentit talem deuotionem, non peccat; nam non eſt præceptum, quod obligat, ſed conſilium, Nauar. d. tract. de hor. canon. cap. 20. n. 58. Tertiò requiritur vt attentè dicatur diuinum officium: quæ attentio eſt triplex. Prima circa verba, vt ſingula proferat debitè. Secunda, vt intelligat ſenſum verborum. Tertia, vt attendat finem orandi, ſcilicet ſe eſſe præſentem Deo, & cum ipſo loqui. Prima eſt neceſſaria, vndè qui verba non profert, aut ex nimia celeritate malè profert, aut qui cum alio recitans officium non expectat finem verſuum, ſed anticipat acceleran-

ter,

ter, non satisfacit, & de hac attentione loquitur tex. in dicto cap. dolentes, de celebrat. miss. Secunda attentio non est necessaria; nam multi non intelligunt verba, quæ proferunt. Tertia similiter non est necessaria, sed magnæ vtilitatis, quam possunt habere etiam ignari. Tertia hæc est duplex actualis, & virtualis. Actualis est, quando quis recitando officium semper actu aduertit ad ea, quæ dicit; & hæc cum non proueniat ex proposito, sed præter voluntatem, nisi quis voluntariè se distraxerit ad cogitandum; de alijs non inducit neque veniale peccatum, quia cum cor hominis sit nobilius omni nobili, non est à Deo factus homo, quod tales cogitationes possit euitare; nam non requiritur secundum Theologos, vt attentus semper quis oret propter actus essentiam, vnde dicitur in Psalm. 22. *Cor meum dereliquit me.* Virtualis est illa, quam quis à principio habet satisfaciendi, ex quibus colligitur regula, quòd ad satisfaciendum precepto dicendi officium, duo sufficiunt; primum, vt fit cum proposito actuali orandi Deum; quia actualis intentio est difficilis habitus; secundum est, vt in recitando officium voluntariè non se distrahat, & non habeat animum faciendi alios actus incompatibile, quibus sic habitis, etiam si mille cogitationes superuenerint, nullum est peccatum, Tabien. in verb. Horæ Canonicę, num. 29. Angel. eodem, verb. num. 28. Nunc ad aliqua dubia deueniamus.

47 Primò dubitatur, quidam animo satisfaciendi præcepto dicendi officium, & deinde illud dicendo non recordatur, se dixisse aliquem Psalmum, an teneatur illum recitare? Respond. negatiuè, sed debet vlterius procedere iuxta illud Eccles. *Ne iteres verbum in oratione tua*, sed si ex aliqua coniectura posset scire, se non dixisse, tenetur dicere; vnde bonum est, vt volens dicere officium, præmittat aliquam orationem præparatoriam ad officium, vel aspergat se aqua benedicta, cuius virtutes quæ, & quantæ sint ponit Card. de Turrecremat. in cap. aqua, de consecrat. dist. 1.

48 Secundò dubitatur, an satisfaciat quis dicendo officium, quando se vestit, vel manus lauat? Resp. quòd satisfacit, quia isti non sunt actus incompatibiles; benè tamen verum est quòd peccat venialiter, nam si quis loquitur cum aliquo Domino temporali reuerenter id facit, quanto reuerentius id facere debet loquens cum Rege Regum, & Domino Dominantium, Sot. de iustit. & iur. q. 5. art. 5.

49 Tertiò dubitatur, an si aliquis, dum in choro cantatur, vel recitatur officium transferendo librum de loco ad locum, vel inueniendo Antiphonas cantandas, amitteret aliquos versiculos, vel etiam aliquem Psalmum, teneatur repetere, quod prætermisit? Respond. ne-

gatiuè, nam præter quod censetur vnus de choro, facit actum, qui etiam dirigitur ad Deum, Sanct. Anton. part. 2. tit. 9. cap. 1. §. 3. Nauar. de hor. canon. cap. 11. num. 36. vbi dicit, quod occupatio circa ea, quæ pertinent, & sunt necessaria circa diuinum officium, excusat; qualis est quærendi psalmos, & antiphonas, transferendi libros necessarios ab vna parte ad aliam, quærendi prunas ad thurificandum, imò egrediendi aliquantisper ad respirandum; omissio enim recitationis officij diuini ob has, vel similes causas, non videtur peccatum, nec suppletio necessaria, quod tamen limitatur, quando illa ante diuinum officium præparati non potuerunt aut ea postea facit is, qui tenebatur illa præparare, vt idem Nauar. loco citato.

50 Quartò an vnico actu quis duabus obligationibus possit satisfacere, videlicet dicendo officium, & audiendo Missam diebus Dominicis, & festiuis de præcepto? Resp. quòd licet Syluest. in verb. Missa, & Angel. in verb. feriæ, quæst. 46. dicant quod non satisfacit: vera tamen, & magis communis opinio est, quod satisfacit; quia vtraque eundem finem habent, scilicet Dominicam passionem; tum etiam quia isti non sunt actus contrarij, Sot. in 4. sentent. dist. 13. q. 2. art. 1. asserens posse vnico actu ambobus præceptis satisfieri; quia si illas orationes potest quis dicere, quæ non sunt de præcepto audiendi Missam, tanto magis quæ sunt ex præcepto, Graff. decis. aur. lib. 2. cap. 34. num. 9.

51 Quintò cum ergo in sacris constituti, & beneficiati teneantur recitare quotidie diuinum officium, cap. dolentes, de celebrat. miss. glos. in cap. fin. dist. 91. Abb. in cap. 1. num. 4. de celebrat. miss. & in cap. tuis, num. 7. de præben. Nauar. in Manual. cap. 25. nu. 97. & 98. idem Nauar. de hor. canon. cap. 6. num. 1. quæro, quæ pęna sit im-

52 posita non recitantibus diuinum officium? Respond. quòd mortiferè peccant, communis opinio est, cap. dolentes, de celebrat. miss. cap. fin. dist. 91. Abb. in cap. 1. num. 4. de celebrat. miss. Nauar. in Manual. cap. 25. num. 97. & 98. idem Nauar. de hor. canon. cap. 6. n. 1. Vgolin. de offic. & potest. Episcop. part. 1. cap. 12. §. 1. num. 3. tàm si dimittant totum officium, quàm si aliquam partem notabilem ipsius; quia semper committunt vnum peccatum, etiam si dimittant tres, vel duas horas; nam habetur ratio ad vnum officium, & non ad plura, Angel. in Sum. in verb. Hora, Nauar. de hor. can. cap. 7. num. 5. & sequen. vbi dicit quodam notabile, quod peccat mortaliter etiam ille, qui proposuerat non recitare officium per illum diem, vel aliquam horam, & si pęnitentia ductus horas postea recitauerit, non propterea euitabit peccatum, quod iam commiserat per illam deliberationem;

nem; ratio est, quia peccatum est dictum, aut factum contra legem Dei, & hac ratione peccat, qui festis de pręcepto missam audire sibi proposuit, vel ieiunij tempore ieiunium non obseruaturum, esto deinceps missam audiat, & ieiunium seruet, & hoc ob eam malam intentionem prius habitam. Item puniuntur ad restitutionem fructus beneficij pro rata illius diei, quod non recitant si sunt beneficiati, Nauar. de hor. canon. cap.7. num.32. Felin. in cap. postulasti, numer.6. de rescript. Abb. in cap.1. num.8. de celebrat. miss. & in cap. diuersis num.2. de cler. coniugat. Anchar. in cap. & si clericus, de iureiur. Flam. Paris. de resignat. benefic. quæst.9. num.50. Couar. var. resolut. lib.3. cap.13. num.10. Dec. in cap. cum omnes in 2. lectura, In.2. de constit. & per Concil. Lateranense sub Leone X. sess.9. §. item

53 statuimus, confirmatum à Pio V. per Constitutionem, quæ incipit, *Ex proximo* Romæ duodecimo calend. Octobris 1570. de qua per Nauar. in Manual. cap.25. nu.122. per quod Concilium, & Constitutionem datur modus restituendi fructus beneficij non recitantium diuinum officium infra sex menses à die adeptæ possessionis beneficij pro rata temporis, & officij diuidendo fructus pro illius diebus, & horis, quas omisit, videlicet. Si beneficiatus dimittit totum officium tenetur restituere ratam illius diei; si verò omisit Matutinum tantum perdit dimidium ratæ illius diei; si verò cęteras horas perdit etiam dimidium, si prætermisit vnam horam tantum, vt Vesperas, Completorium, vel Primam, Sextam partem illius diei, deducto tamen onere seruitij, quod tenetur præstare Ecclesiæ beneficij, vt si est obligatus dicere Missam, & illam facit celebrare eo die, quo omisit officium, tenetur restituere quod superest deducta parte missæ, & fructus computari pro toto anno iuxta redditus totius anni pro rata ad ratam ad tradita per Boer. decis.23. & Ioseph. Ludouic. decis. Perus. 79. Viu. decis.8. qui dicunt, quod consideratur prouentus totius an-

54 ni, & sic diuidendi sunt, & beneficiatus tenetur dicere officium à die acceptæ collationis, & captæ possessionis sub pęna peccati mortalis,

55 sed ad restitutionem fructuum post sex menses à die captę possessionis, vt disponitur in dicta Constitutione Pij V. & benè notat Graff. lib.2. cap.20. num.3. & 4. Vgolin. de offic. & potest. Episcop. p.1.

56 cap.13. §.1. num.3. fructus verò sunt applicandi fabricæ Ecclesiæ, vel eius reparationi, seu in eleemosynas pauperum iuxta dispositionem dicti Concilij Lateranens. & Constitutionis Pij V. Nauar. in

57 cap. quando, de consecrat. dist. 1. num.32. & secundum eundem Nauar. Confessarius potest dictos fructus dispensare ipsimet clerico officium non recitanti, si est pauper, modò verè sit pauper, & quod

ex hac occasione non inducatur iterum ad non recitandum officium per not. per Bal. in l. id quo pauperibus, C. de Episcop. & cleric. Constituti autem in Sacris, & nullum habentes beneficium, non recitantes diuinum officium peccant tantùm mortaliter, vt de presbyteris habetur in cap. 1. de celebrat. miss. & in cap. præter dist. 32. de Diaconis, & Subdiaconis iure scripto cautum non reperitur: sed tenentur de generali Ecclesiæ consuetudine, Nauar. de hor. canon. cap. 7. num. 2. Vgolin. de offic. & potest. Episcop. part. 1. cap. 13. §. 1. n. 1.

58 Pensionarij autem non recitantes officium Beatæ Mariç Virginis tenentur ad restitutionem fructuum pro rata, vt similiter disponitur in dicta Constitutione Pij V. & hoc etiam non sequuta sententia declaratoria, Nauar. in cap. non licet 32. q. 2. Preces autem Horarum Canonicarum, & diuinum officium, qui recitare tenentur, debent vti Breuiario Romano edito iussu Pij V. & reformato à Clemente VIII. exceptis ijs, quibus per Bullam Pij V. permissum Regulares verò qui sunt assumpti ad Episcopatum, vel aliter ad curam alicuius Ecclesiæ secularis, non tenentur amplius dicere officium secundum ordinem suæ Religionis, sed secundum morem, & consuetudinem Ecclesiæ, in qua assumuntur, Turrecremat. in cap. 1. num. 22. & 23. dist. 91. Rosell. in Summ. in verb. Horæ Canonicæ, num. 8. Carol. de Grass. de effect. Clericar. effect. 17. numer. 63. & ita fuit decisum per Congregationem Sacrorum Rituum, die 11. Iunij 1605. Circa verò gestus seruandos in recitandis horis canonicis, vt sunt genuflexiones, capitis denudationes, vel stando, vel sedendo, & similia, quando priuatim quis recitat eas non sunt de necessitate facienda, nisi quod conuenientius fiant in choro, Nauar. de Hor. canon. cap. 4. num. 4. & 16. nihil enim eorum ipse dicit prædictorum præscriptum videtur iure communi, vel Pontificijs Constitutionibus, seu Concilijs generalibus, Carol. de Grass. de effect. cleric. effect. 17. num. 65.

59 Vltimo videndum est, quæ sint causæ legitimç, quæ excusant à recitatione diuini officij; & sunt præcipuè quatuor. Prima est infirmitas. Secunda est defectus Breuiarij. Tertia occupatio necessaria. Quarta, & vltima dispensatio.

60 Circa primam clarum est, quòd clericus infirmus est liber, & immunis à recitatione diuini officij, Abb. post Innoc. in dicto cap. 1. de celebrat. miss. quia ad impossibile nemo tenetur, l. impossibilium, ff. de regul. iur. & intelligitur, de clerico notabiliter infirmo; hinc est, quod non quælibet leuis infirmitas excusat; sed necesse est, quòd graui febre, vel capitis, siue stomachi dolore laboret; ita quod si recitaret, occasionem præstaret maioris nocumenti, nec solus, nec cum so-

cio

cio possit recitare, vel esset adeò graui infirmitate detentus, vt non
61 posset præuenire, antequam febris veniat, vel post ponere vsque ad
mediam noctem; & in hoc standum est iudicio Medicorum, & non
infirmi, Graff. decis. caus. conscient. lib.2.cap.53.num.2. nisi certum
esset infirmitatem esse grauem, quia tunc posset infirmus auctoritate
propria dispensare, Nauar. de hor. canon. cap.3. num.62. Graff. lo-
co citato. Verumtamen qui laborat febre quartana, vel tertiana
non excusatur; quia potest præuenire, vel postponere; cęcus verò, &
surdus tenentur recitare ea, quæ memoriter sciunt, arg. cap. nemo,
62 de regul. iur. lib.6. Nauar. de hor. canon. cap.11. num.21. quia qui
totam Quadragesimam ieiunare non potest, tenetur eam partem,
63 quam potest. Mutus autem neque in totum, neque in partem tene-
tur recitare; ratio est posita in definitione officij, quia muto non po-
test esse fructus labiorum; ex his colligitur, quòd qui ob infirmitatem
64 excusatur à recitatione diuini officij, non tenetur postea illud repete-
re, Cardin. in Clem.1. num.6. de celebrat. Miss. nec etiam tenetur
audire ab alio tempore infirmitatis, Syluest. in verb. Hora, q 4. Na-
uar. in manual. cap.25. num.100. & sequen.
65 Secunda causa, quæ excusat à recitatione diuini officij, est defectus
Breuiarij, vt quia peregrè proficiscens oblitus est illud portare, vel
per viam amiserit, & reperitur in locis, vbi nec mutuò, nec emptione
habere potest, vel etiam si daretur commoditas non posset ob pau-
pertatem illud emere, cap. nemo ad impossibile, de regul. iur. lib.6.
Nauar. de hor. canon. cap.11. num.38. & tunc tenetur recitare, quæ
66 scit memoriter, Sot. de iust. & iur. lib.10. q.5. art.3. quæ conclusio
ampliatur etiam; si casu perdiderit Breuiarium, vel illud ludendo,
nam talis non peccat toties, quoties omittit recitare officium; sed pec-
cauit tantum cum ludendo illud amisit, Sot. loco citato, tenetur ta-
men dicere ea, quæ memoriter scit.
67 Tertia causa est, occupatio maioris boni, vt si quis esset impeditus
circa infirmos, vel prædicationem, aut confessionem modo fraus om-
68 ninò cesset, Syluest. in verb. Hora q. fin. Nauar. de hor. canon. cap.
11. num.34. Item Clerici, vel Monaci damnati ad triremes excusan-
tur, quando sunt occupati in remigando, Sot. de iust. & iur. lib.10.
q.5. art.3.
69 Quarta causa est dispensatio, vt quando Summus Pontifex dispen-
sat cum aliquo, vt sit immunis ab onere recitandi officium, Abb. in
cap.1. de celebrat. miss. Dec. in cap. quæ in Ecclesiarum, numer.53.
de constit. qui asserunt Papam posse dispensare circa modum reci-
tandi officium, & licet in totum tollere non possit; cum sit de iure di-
uino,

uino, & potius dicitur commutatio, quàm dispensatio.

71 Habentes autem beneficium tenue non excusantur à recitatione diuini officij, vt supra num. 27. dictum est, Syluest. in verb. Hora q. 2. Couar. var. resolut. lib. 3. cap. 13. nu. 10. Nauar. in Manual. cap. 27. num. 21. ratio est, quia sicut vir contrahens matrimonium cum muliere cum modica dote, semper, & vbique eam alere tenetur; ita beneficiatus, qui est sponsus suę Ecclesiæ, Deo semper hoc sacrificium laudis offerre tenetur, licet modicos habeat fructus beneficij, Graff. lib. 2. cap. 49. num. 28.

72 Et notandum est, quòd Ecclesia, quæ habet aliquam Reliquiam insignem alicuius Sancti, etiam non existentis in Breuiario, potest facere officium duplex, & octauam illius Sancti, vt declarauit Gregorius XIII. pro Regnis Hispaniæ per Breue, quod incipit, *Pastoralis officij* per hæc verba. Item quod quælibet Ecclesia, & Monasterium

73 Hispaniæ habens Reliquias insignes, puta Caput, Brachium, vel Crus alicuius Sancti etiam alienigenę non existentis in Breuiario, vel de quo in Breuiario fit tantùm commemoratio possit illius festiuitatem celebrare, & officium duplex facere, & de alio Sancto eodem die occurrenti si fuerit simplex fiat commemoratio, si verò fuerit duplex, vel semiduplex, transferatur in primam diem simili festo non impeditam; & nota quod licet Papa hoc statuerit pro Regnis Hispaniæ, est tamen lex communis; quia quando Summus Pontifex, vel alius Princeps respondet ad consultationem alicuius, quamuis dirigat verba ad casum consulentis, censetur tamen condere ius commune, Felin. in cap. 1. num. 17. de constit.

74 Similiter est notandum, quod in choro quando recitantur diuina officia, nulla debent fieri colloquia, nec esse debent, qui risu, alioue incomposito, seu minus modesto actu rem diuinam perturbent, non qui cęterorum scandalo dormiant, litteras, aut scripturas legant, sed nec libros, aut ipsum Breuiarium, aut Diurnum in manibus habeant, vt ex illis priuatim horas, aut orationes recitent, sed illas alta voce cum choro dicant, aut cantent, & alium librum habere non permittantur, nec quis gestum aliquem ab alijs differentem demonstret, vt cum alij stent, quis sedeat, vel genuflectat, vel è contra: sed detur opera, vt omnes vniformi ritu, attentè, deuotè, & reuerenter diuinis misterijs, atque officijs assistere, eoque toto cordis affectu admirari, & contemplari videantur, ac silentium diligenter seruetur; hæc Clemens VIII. in Cęremoniali Episcoporum, nuper per eum reformato, lib. 1. cap. 5.

CA-

CAPVT LII.

De Indulgentijs.

SVMMARIVM.

1 *Homo mortaliter peccans contrahit pęnam, & culpam.*
2 *Opera hominis iusti sunt meritoria, & satisfactoria.*
3 *Opera meritoria quæ sint, & quæ satisfactoria.*
4 *Pęnam qui non meretur, satisfactione non indiget.*
5 *Virgo Maria nullum habuit peccatum, nec originale.*
6 *Opera Sanctorum, & iustorum, qui satisfactione non indiguerunt, non perierunt.*
7 *Satisfactiones Christi, & Sanctorum sunt reseruatæ in corpore Ecclesiæ.*
8 *Christi sola satisfactio fuit infinita.*
9 *Potestas dispensandi thesaurum Ecclesiæ residet pęnes Papam Vicarium Christi.*
10 *Misericordia, & iustitia sunt in indulgentia, & quomodo.*
11 *Culpa non remittitur per indulgentiam, sed pęna.*
12 *Conditiones requisitæ pro consequenda indulgentia.*
13 *Indulgentiæ quæ à Papa, & quæ ab Episcopis conceduntur.*
14 *Pietas quæ dicatur in concedendis indulgentijs.*
15 *Opus iniunctum est perficiendum pro consequendis indulgentijs.*
16 *Absolutus à casibus reseruatis tempore Iubilęi animo consequendi illud, si non adimpleuerit reliqua, an valeat absolutio.*
17 *Impotens facere eleemosynam pro consequendo Iubilęo, an illud lucretur.*
18 *Confessio facta mane die Dominico ab eo, qui facit Iubilęum, an sit valida pro consequenda indulgentia.*
19 *Eleemosinas an quis teneatur facere tribus diebus pro consequendo Iubilęo.*
20 *Status gratiæ requiritur in suscipiente indulgentias.*
21 *Indulgentia plenaria quæ sit.*
22 *Indulgentia septem dierum, decem, &c. annorum quomodo intelligitur.*
23 *Quadragenæ, quæ solent apponi in indulgentijs, quæ sint.*
24 *Indulgentia de pęnitentijs iniunctis, quomodo intelligitur.*
25 *Indulgentiæ per modum suffragij quomodo prosunt mortuis.*
26 *Anima illa, pro qua dicitur missa liberatur, an alia.*
27 *Verbum illud per modum suffragij quomodo intelligitur.*
28 *Indulgentia semel suscepta, an iterum sit suscipienda pro anima.*
29 *Homo existens in peccato mortali, an possit consequi indulgentias pro defunctis.*

30 *Eccle-*

30 *Ecclesia authoritate Superioris demolita, & in alium locum translata an retineat priuilegia antiqua.*
31 *Priuilegium reale extinguitur extincta re.*
32 *Decretum Sacræ Congregationis indulgentiarum pro indulgentijs Confraternitatum Corporis Christi.*
33 *Bonifacius Octauus primum ordinauit Annum Sanctum Iubilęi.*
34 *Anno Sancto iubilęi durante sunt suspensę omnes, & quæcumque indulgentiæ.*

1 AD pleniorem huius solemnis, ac vtilis materiæ intelligentiam est primò sciendum, quòd quando homo peccat mortaliter, incurrit culpam, & pęnam, contrahit culpam, quæ nil aliud est nisi amissio diuinæ gratiæ; perdit enim gratiam Dei, eiusque amicitiam, & amorem, & acquirit odium, incurrit etiam pęnam, quæ pro culpa contrahitur, & est obligatus post mortem pęnæ ęternæ ignis infernalis, Diuus Thom. 1.2. q.87.

2 Secundo sciendum est, quòd omnia opera hominis iusti existentis in gratia Dei sunt meritoria, & satisfactoria. Opera meritoria sunt, 3 quæ merentur augmentum gratiæ, & vitam æternam. Opera satisfactoria sunt, quæ satisfaciunt pro pęnis, quas homo debet pro peccatis mortalibus remissis, quoad culpam, & non quo ad pęnam totam; vnde pro quantitate operum bonorum minuitur etiam quantitas pęnæ temporalis, S. Anton. p.1. tit.10. §.1.

4 Tertiò, quod multi homines iusti nulla, aut paucissima, eaque venialia peccata committunt, & ob hoc nullius, aut paucæ pęnæ sunt debitores, & per bona opera, quæ faciunt, superabundat satisfactio; quia cum pęnam non mereantur, indigent satisfactione, aut non tanta cum maiora sint opera, quàm pęna debita, Iob cap. 6. *Vtinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui, & calamitas, quam patior in statera, quasi arena maris hæc grauior appareret.* Vnde Christus caput nostrum, cum nullum peccatum fecerit, eius opera, satisfactoria fue-
5 runt pro pęnis infinitis Sanct. Anton. loco citato, & sic beatissima Virgo Maria nullum peccatum habuit, nec etiam originale; & tamen eius opera fuerunt satisfactoria prę alijs omnibus operibus omnium
6 iustorum præter Christum, sic etiam Apostoli, Martyres, & alij iusti, & licet isti Sancti, & iusti satisfactione non indiguerunt, non ta-
7 men opera eorum satisfactoria perierunt, sed prosunt omnibus peccatoribus, qui satisfactione indigent; omnes ergo istę satisfactiones Christi, & omnium iustorum à primo Abel, vsque ad vltimum sunt conseruatę, & repositę in corpore Ecclesię; & tales satisfactiones dicun-

8 cuntur Thesaurus Ecclesiæ militantis; & quamuis solùm meritum Christi esset sufficiens pro pęna omnium purganda, tamen vt Sancti Christo assimilentur, conueniens est, vt eorum merita ponantur in hoc Thesauro indulgentiarum, Sanct. Anton. loco citato, Nauar. in Comment. indulgent. notab. 13. num. 1. Armill. in verb. Indulgentia, num. 8.

9 Quartò notandum est, quòd potestas dispensandi hunc Thesaurum residet in Summo Pontifice Christi Vicario, qui habet plenitudinem potestatis, cap. quodcumque 24. q. 1. quoties ergo concedit ex hoc Thesauro, vt pro nostris pęnis satisfaciamus, tunc talis concessio dicitur indulgentia.

10 Vnde quia rigor iustitiæ exigere videtur, vt qui debet pęnas, illas soluere teneatur, & quando alterius satisfactio tribuitur, indulgentia dicitur, quæ etiam non est absque iustitia, & sic in indulgentia interuenit misericordia, & iustitia: exemplum, aliquis est condemnatus ad triremes, constituitur, qui loco sui vult talem pęnam pati, hoc casu adest misericordia; quia acceptatur iste, qui pro eo patitur, & adest iustitia; quia soluitur pęna; item quis est debitor in centum aureis, & ex ærario publico ei dantur, vt soluat, adest misericordia; quia remittitur debitum, & interuenit iustitia; quia verè soluitur debitum, & sic licet satisfactio Sanctorum non profuerit eis; quia satisfactione non indiguerunt, tamen prodest nobis peccatoribus, & hoc ratione vnionis, *Nam sumus vnum corpus in Christo, qui est caput, reliqui membra*, Paul. ad Romanos, cap. 12.

11 Aduertendum tamen est, quòd culpa non remittitur per indulgentiam, sed remittitur pęna debita pro culpa; quia culpa remittitur per contritionem, cap. dixi, & cap. magna, de pęnit. dist. 1. quinimmò potest esse tam vehemens peccati contritio, quod perfectè remissionem peccati homo consequatur, non solùm ad purgationem culpæ, sed quantum ad remissionem pęnæ, glos. in cap. mensuram, in verb. doloris, de pęnit. dist. 1. & glos. in extrauag. 1. in verb. & confessis, de pęnit. & remiss. & quamuis in aliquibus indulgentijs dicatur à culpa, & pęna, tamen loquutio est impropria, & non vera; quia culpę remissor est solus Deus. Isai. cap. 43. *Ego solus deleo iniquitates propter memetipsum*, & cap. nemo, de consecr. dist. 4. sed hoc intelligendum est, quod hoc verbum non est profectum à Sede Apostolica, aut vt declarat S. Anton. part. 1. tit. 10. §. 4. quod cum aliquis accedit pro consequenda indulgentia, in præparatione præsupponitur, quod deuotus, & contritus accedat, & ex illa deuotione, & contritione

tione oritur deletio culpæ; & ratione contritionis quam quis habet in consequenda indulgentia, consequitur remissionem culpæ,& non ratione indulgentiæ, quæ remittit solum pœnam.

12 Quintò sciendum est, quatuor copulatiuè requiri ad consequendum indulgentias. Primò requiritur authoritas in concedente. Secundò pietas in causa. Tertiò opus iniunctum. Quartò, & vltimò charitas in suscipiente, Armill. in verb. indulgentia, num.5.

13 Primò requiritur authoritas in concedente, quæ authoritas principaliter est penes Summum Pontificem Christi Vicarium, secundariò in Archiepiscopis, & Episcopis; & ideò Papa potest in toto orbe Christiano concedere indulgentias plenarias, & limitatas ad sui libitum, Archiepiscopi, & Episcopi in proprijs Diœcesibus, cap. quòd autem, cap. eum, ex eo, & cap. nostro, de pœnit. & remiss. & ibi Abb. Summus Pontifex ad sui libitum, vt supra, Archiepiscopi, & Episcopi quadraginta dierum, & in dedicatione Ecclesiæ indulgentiam vnius anni dicto cap. ex eo. Concilium verò generale legitimè coactum potest concedere indulgentiam plenariam, Nauar. in Cōment. de indulgent. notab.31. num.1. Tolet. de Instruct. sacerdot. lib.6. cap.25. num.1.

14 Secundò requiritur pietas in causa; quia indulgentiæ debent concedi pro causa pia, quæ intelligitur ad honorem Dei, vel Sanctorum, vel ad eleemosinas pauperum, vel ad extirpandas hæreses, & ad exaltationem fidei, & ad concordiam, & vnionem Principum Christianorum, & similium.

15 Tertiò requiritur opus iniunctum, vt qui vult consequi indulgen-
15 tias, necesse habet, vt perficiat opus iniunctum in Bulla, vt si dicatur, quod visitetur talis Ecclesia talibus diebus, vel ieiunetur, vel eleemosina largiatur, & similia, necesse est, vt ad vnguem omnia perficiantur, alioquin qui non perfecerit, indulgentiam non consequetur; quia Bulla tantùm valet, quantum sonat, S. Anton. p.1. tit. 10. cap.3. §.2.

16 Hinc oriuntur nonnulla dubia; & primò quidam tempore Iubilęi animo illud consequendi, & indulgentias lucrandi in aliquo die hebdomadę dicti Iubilęi confessus fuit peccata sua Confessario approbato, qui illum absoluit à casibus Sedi Apostolicæ reseruatis, vel Ordinario, & cępit ieiunare feria quarta, & postea non curauit amplius ieiunare, nec orare, nec eleemosinas facere, & alia perficere, an iste fuit ritè absolutus à casibus reseruatis? Respond. ipsum fuisse ritè absolutum, nec amplius illa confiteri teneri: sed indulgentiam Iubilęi non

non est consequutus, Nauar. in Miscell. de oratione, miscell.93. quià qui semel legitimè confitetur peccata sua, & absoluitur, non tenetur illa iterum confiteri iure naturali, nec diuino, nec canonico communi: imò secundùm eundem Nauar. loco citato, nulla lege humana potest constitui, vt quis absque consensu suo obligetur ad confitendum bis idem peccatum, S. Thom. in quolibet. 1. art. 12.

17 Secundò dubitatur, si in Bulla dicatur, quod inter alia volens lucrari indulgentias teneatur facere eleemosinam, an pauper, qui omnia perfecit, non tamen eleemosinam largitus est, lucratus sit indulgentiam Iubilęi? Resp. affirmatiuè, Nauar. Miscel. 94. num. 2.

18 Tertiò dubitatur, si in Bulla dicatur, quod volens consequi Iubilęum infra hebdomadam peccata sua confiteatur, & die Dominico sequenti se communicet, aliquis infra hebdomadam non est confessus: nihilominus eodem die Dominico mane confitetur, & se communicat, an consequatur iubilęum? Nauar. miscellan. 95. tenet quod consequitur iubilęum, per multas rationes, & inter alia dicit, quod satis confitetur intra hebdomadam pręcedentem, quoad hunc effectum, qui confitetur mane die Dominico; cum confessio requiratur non principaliter propter se, sed tamquam medium ad finem iustè sumendi Sacramentum Eucharistię, ad quod sufficit confessio mane Dominicæ ante illius sumptionem factæ.

19 Quartò an consequatur Iubilęum ille, qui ex forma Bullæ tenetur tribus diebus orare, & eleemosinam dare: si verò vno die tantùm eleemosinæ largiatur, & tantùm orat vno die, quantum tribus diebus? Respon. negatiuè, quia seruanda est forma, quæ est, quod tribus diebus habeantur orationes, & fiant eleemosinæ; ergo non sufficit vna die facere illas; quia licet id, quod est dandum, vel faciendum aliquo tempore possit fieri ante illud, quàndo tempus est adiectum in fauorem debitoris, l. qui Romæ, vbi Bart. & communis ff. de verb. obligat. non tamen potest id fieri, quando est adiectum ad fauorem alterius, l. cum pater, §. à filia, ff. delegat. 2. Nauar. Miscellan. 92. num. 2.

20 Quartò, & vltimò requiritur charitas in suscipiente, id est vt sit in statu gratiæ, & charitatis, & sit verè pęnitens, & sic non valent indulgentiæ existenti in peccato mortali; quia manente offensa reatus, pęnæ tolli non possunt, S. Anton. part. 1. tit. 10. cap. 3. §. 2. Graff. lib. 4. cap. 15. num. 32.

21 Item notandum est varios esse modos concedendi Indulgentias; nam aliquandò conceditur plenaria, & tunc omnium peccatorum

sit

fit remissio, ita vt ne vlla in hoc Mundo, nec in Purgatorio remanet
22 pęna soluenda, si debitè homo consequutus est indulgentiam. Aliquandò datur indulgentia quinque, septem, vel decem, &c. annorum; & hæc indulgentia limitata remittit partem pęnæ, sicut plenaria totam, arg. quæ de tota, ff. de reiuendic. ratio autem quare in indulgentijs conceduntur mille, bis mille, & plures anni est; quia remittitur illa pęna, si homo toto illo tempore pęnitentiam ageret secundùm canones, qui pro quolibet peccato mortali imponunt pęnitentiam septem annorum, quamuis hodie pęnæ sint arbitrariæ; cap. Deus, de pęnit. & remiss. illa inquam pęna remittitur pro qua homo debet satisfacere per mille, bis mille annos in hoc Mundo pęna extensiua; & cum non possit tantum viuere, & deberet pati in Purgatorio pęna intensiua, pia mater Ecclesia ordinauit indulgentias, quæ suppleant pęnis debitis pro peccatis commissis, vt per Sot. in 4. sent. dist. 21. quæst. 1. art. 3. qui etiam dicit in quæst. 2. art. 1. quod nemo in Purgatorio fuit vnquam viginti annis: imò ferè nec decem, ne paucioribus dicamus dicit ipse, vt refert Graff. part. 1. lib. 4. cap. 15. numer. 40.

23 Aliquandò conceditur indulgentia tot annorum, & totidem quadragenarum; ideò quæro, quæ sint, & quomodo intelligantur istæ quadragenę? Resp. quòd dictæ quadragenæ insunt dictis annis, exempli gratia, si concederentur decem anni, & totidem quadragenæ, istę quadragenæ, sunt in illis decem annis; quia cum olim pro quolibet peccato imponebatur pęnitentia septem annorum, non ęqualis erat pęnitentia; nam dabantur aliqui dies, in quibus duriorem, & grauiorem pęnitentiam agere debebant, & hi dies dicebantur quadragenæ: vel potest intelligi totidem quadragenarum, idest, vt perindè valeat hęc indulgentia, ac si ieiunasset totidem quadragesimis, quod est tempus pęnitentiæ; & propterea in Lateranensi Concilio limitata fuit facultas Episcopis concedendi indulgentias quadraginta dierum, cap. cum ex eo, de pęnit. & remiss. Sot. vbi supra, dist. 21. art. 1. Graff. lib. 4. cap. 15. num. 42. & de quadragenis, seu quadragesimis vide cap. in capite distinct. 50. & cap. hoc ipsum 33. q. 2. Tolet. de instruct. sacerdot. lib. 6. cap. 24. & de septennis, & carenis, vide cap. accusasti, & ibi glos. in verb. carina, de accusat.

24 Aliquando conceditur indulgentia tot annorum de pęnitentijs iniunctis, & intelligitur quando Confessarius alicui peccatori imposuit pęnitentiam, puta septem annorum, si medio tempore conceditur indulgentia de pœnitentijs iniunctis, tunc pœnitens poterit

relin-

relinquere conficere pęnitentiam, & suscipere hanc indulgentiam, Doctores communiter in cap. cum autem, de pęnit. & remiss. & de hac pęnitentia loquitur tex. in d.cap. cum ex eo, de pęnit. & remiss. & in clem. si dominum, de reliquijs, & venerat. Sanct. sed consulendum est acquirentibus has indulgentias, ne propter hoc dimittant pęnitentias iniunctas; quia quandoque sunt plus debitores, quam credunt, & etiam quia opera satisfactionis sunt præseruatiua à peccatis futuris, D. Thom. in 4. sent. dist. 20. art. 3. q. 2.

25 Restat modo videre, quomodo indulgentiæ prosint defunctis, & regulariter non prosunt mortuis nisi expressè dicatur, vnde sępius videmus, illas concedi per modum suffragij, & tunc prosunt per modum suffragij, quando viuus applicat indulgentias defuncto, & consequitur pro eo remissionem pœnę, & notandum est, quod licet viuus possit absque indulgentijs satisfacere pro defunctis, applicando illis opus satisfactorium cap. animæ defunctorum 13. q. 2. tamen necesse est, vt sit in statu gratiæ, & absque peccato mortali, quod secus est in indulgentijs vt dicam infra.

Ex quibus oriuntur nonnullæ dubitationes. Et primò dubitatur, quando quis suscipit indulgentias pro liberatione vnius animæ à Purgatorio, vt videmus in altaribus priuilegiatis an liberetur eadem anima, pro qua dicitur missa, an alia. Secundò quid significet illud verbum per modum suffragij. Tertiò si quis semel, vel pluries sit consequutus indulgentias pro vno defuncto, an necesse sit, vt de nouo, & iterum consequetur.

26 Ad primam dubitationem, quæ anima liberatur illa, pro qua dicitur Missa, an alia? Pro huius solutione quæstionis pręsupponendum est Papam non habere iurisdictionem, & iudicialem authoritatem directam in defunctos, S. Thom. in 4. dist. 45. q. 2. art. 2. S. Bonauent. in 4. dist. p. 3. art. 1. q. 5. & est tex. in cap. legatur, 24. q. 2. & Clem. abusionibus §. ad hæc iuncta, glos. in verb. mendaciter, de pęnit. & remiss. ideò Papa concedens indulgentias pro mortuis, addit per modum suffragij, quasi non directè eos absoluendo, sed indirectè eos adiuuando, Nauar. in Comment. de indulgent. not. 21. n. 6. Præterea aut consideramus indulgentias per viam consolationis, aut per viam satisfactionis, S. Thom. in supplem. 3. part. q. 71. art. 12. si per viam consolationis omnibus existentibus in Purgatorio prosunt, & fortè magis alteri, quam ei, pro quo oratur, sicut in aula Regis lucerna, quæ ipsi soli accenditur omnibus circumstantibus lucet, immò magis, ei qui est perspicatioris visus; & sicut etiam lectio recitata ad vtilitatem vnius, ab altero auditore quandoque magis percipitur: ita

suffragia pro vna anima facta, quatenus consolatoria sunt, omnibus existentibus in Purgatorio prosunt, ac illis magis qui maiori charitate sunt insigniti. Si per viam satisfactionis, & tunc secundum intentionem applicantium suffragia, & secundum statum eorum, quibus applicantur, prosunt, S. Thom.3. part. q.79. art.5. in corpore, & 4. sent.dist.45. q.2. Verùm sunt nonnulli, qui dixerunt, quòd liberatur illa anima, cui forte contingit, & ista opinio non placet; quia in Purgatorio non deducuntur sortes ex vrna. Alij dixerunt, quòd liberatur anima, quæ est proximior ad egrediendum, & ista non est mala, sed vera, & communis opinio est, quòd liberatur illa anima, pro qua dicitur missa; & ratio est, quia Ecclesia Dei nunquam decipit, saluo tamen iudicio Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, cui in hoc, & in omnibus me, & scripta humiliter submitto.

27 Ad secundam dubitationem dico, quod hoc verbum suffragium dicitur à verbo suffragor, idest auxilior; nam indulgentiæ auxiliantur illis animabus, quæ sunt in Purgatorio per modum intercessionis; nam eo modo, quo amici viui mortuis possunt suffragari operibus suis cum eleemosinis, ieiunijs, & orationibus, ita Ecclesia potest suffragari ex Thesauro, cap. animæ defunctorum 13. q. 2.

28 Ad tertiam, & vltimam dubitationem scilicet ad quid iterum lucrari, vel suscipere indulgentias pro eadem anima? Respond. quòd ideò iterum suscipiendæ sunt indulgentiæ, vt occurratur opinioni illorum, qui dicunt, quod qui sunt in peccato mortali, non possunt lucrari indulgentias pro mortuis. Secundò vt occurratur opinioni dicentium, quod anima proximior ad egrediendum liberatur; non autem illa pro qua oratur, vel dicitur missa. Tertiò ad maiorem gloriam accidentalem illius animæ. Quartò ad liberationem aliarum animarum; nam bona illa opera inseruiunt alijs animabus egenis. Quintò ad maiorem gratiarum actionem, prout fiunt exequiæ pro animabus infantium baptizatorum decidentium. Hæc Nauar. in tract. de indulgent. notab.22. in fin.

29 Modò videamus, an viuus existens in peccato mortali possit consequi indulgentias pro defunctis? Resp. quod super ista quæstione nonnulli dixerunt, quod non possunt; quia non potest dare quis, quod non habet, scilicet cum ipse sit in peccato mortali, si pro se non consequitur, nec pro alio: tamen contrarium est verum; quia hoc bonum opus non prouenit ex opere operantis, sed ex Thesauro Ecclesiæ; & ratio est quia vterque terminus est habilis, anima scilicet defuncti, quæ est in Purgatorio, & Sancta Mater Ecclesia, quæ seruat Thesaurum indulgentiarum: nec obstat, quod suscipiens sit in peccato mortali;

tali; quia deseruit pro instrumento, vt quando mittitur munus alicui Domino per seruum, puta scabiosum, & si seruus reijcitur, munus tamen acceptatur, sic in casu nostro. Mater Ecclesia mittit munus ad iustitiam Dei, & si peccator reijcitur: Deus tamen misericors acceptat munus indulgentiarum, & liberat animas à pęnis Purgatorij, Nauar. de indulgent. notab. 22. num. 30. & consl. 36. num. 2. de pęnit. & remiss.

30 Sed dubitatur, an Ecclesia, vel Capella, in qua fuit concessa aliqua indulgentia perpetua, puta altare priuilegiatum pro liberandis animabus à pęnis Purgatorij, si fuerit diruta, & translata in alium locum per Episcopum, an dicta indulgentia sit extincta? Resp. quòd hoc euenit in Ecclesia nostra Cathedrali Montispelusij, in qua adest capella Sanctissimi Corporis Christi, & in ea altare priuilegiatum pro liberandis animabus à Purgatorio concessum à Gregorio XIII. anno incarnationis Dominicæ 1579. calend. Maij anno eius septimo, cumque Capella prædicta fuisset demolita per Episcopum, & inibi constructus chorus Ecclesiæ, & præfata Capella translata in alium locum, & noua Capella ędificata, & erecta: dubitabatur, an dictum priuilegium esset extinctum, nonnulli dicebant non esse extinctum per not. in cap. pastoralis 7. q. 1. & per glos. in cap. priuilegium, de regul. iur. lib. 6. & per tex. in cap. & temporis cum glos. in verb. vnire 16. q. 1. Felin. in cap. dilecta, num. 97. de rescript. Alex. in l. inter alia, §. fin. & ibi Ias. de verb. obligat. Ego verò contrarium

31 dicebam dictum priuilegium esse extinctum, ex quo est concessum rei, & extincta re, extinguitur priuilegium ei concessum, & ita in terminis tenet S. Anton. part. 1. tit. 10. cap. 3. §. 3. in fine, vbi dicit, quod indulgentia concessa à Papa simpliciter alicui loco, semper durat, donec durat locus, idem tenet Nauar. in tract. de indulgent. notab. 31. num. 27. nec obstant in contrarium adducta; quia habent locum in priuilegio personali, quod extinguitur cum persona, d. cap. priuilegium de reg. iur. lib. 6. tandem re delata ad Romanam Curiam, fuit dictum, quod priuilegium erat extinctum, & sic necesse fuit, supplicari de nouo, vt concederetur, prout fuit gratiosè concessum à Sanctissimo D. N. Paulo V. per Breue Sanctitatis suæ sub annulo Piscatoris die 24. Aprilis 1610. Pontificatus sui anno quinto. Verumtamen si Ecclesia paulatim esset destructa, & eadem paulatim constructa, communiter tenent Doctores, quod retinet easdem indulgentias, quas habebat; quia est eadem Ecclesia numero: sed si Ecclesia est in totum destructa, & de nouo ędificata in eodem loco, vel in alium translata, cessarent indulgẽtię, Palud. in 4. dist. 20. q. 4. n. 25.

32 Et notandum est per Sacram Congregationem indulgentiarum reformationi præfectam fuisse editum decretum, quo declaratur Cõfraternitates Sanctissimi Corporis Christi vbique canonicè erectas, vel erigendas posse iuxta felic. recordat. Pauli III. constitutiones frui indulgentijs, & gratijs spiritualibus Archiconfraternitati Sanctæ Mariæ supra Mineruam à Sanctissimo D. N. Paulo V. nuper concessis, ac in posterum concedendis, cuius decreti tenor talis est. Licet fęlic. recordat. Paulus Papa III. per binas suas Constitutiones concesserit, vt Sanctissimi Corporis Christi Confraternitates omnes, & singulæ vbiuis locorum, tunc institutæ, ac instituendæ ijsdem priuilegijs concessionibus indulgentijs, gratijs, & indultis, quæ Confraternitati ipsius Sanctissimi Sacramenti in Ecclesia Sanctę Mariæ supra Mineruam de Vrbe erectæ à se largitæ fuerant, ac in posterum elargirentur, vti, potiri, & gaudere possent, ac deberent; quia tamen per nonnullas Apostolicas Constitutiones, & ordinationes, quæ deinceps emanarunt, præsertim verò per recolendæ memorię Clementis VIII. Constitutionem de aggregationibus editam, facultates, & indulgentiæ, tam supradictę Sanctæ Mariæ de Minerua, quàm cęteris omnibus Confraternitatibus antea concessæ, & abrogatę, aut saltem moderatæ comperiuntur: aliaque hoc de genere decreta sint ex quibus in dubium reuocari posse videtur, an huiusmodi Pauli III. concessiones pristinum suum robur adhuc retineant. Congregatio Illustrissimorum, & Reuerendissimorum S. R. E. Cardinalium à Sanctissimo D. N. Pauli diuina prouidentia Papa V. indulgentiarum reformationi præfectorum optans summoperè Sacratissimi Sacraměti venerationem, & cultum in dies magis augeri, ad idque Christi fideles spiritualibus gratijs excitari, speciali Sanctitatis suæ ordine viuæ vocis oraculo habito, decernit, ac declarat iuxta eiusdem Pauli III. Constitutiones, omnes, & singulas Confraternitates Sanctissimi Corporis Christi vbique terrarum hactenus Apostolica Sede, vel ordinaria authoritate erectas, vel de cętero erigendas absque noua, aut peculiari alia concessione, communicatione, vel aggregatione, fore, ac esse debere participes quorumcumq; priuilegiorum, concessionum, indulgentiarum, facultatum, gratiarum, & indultorum à Sanctitate sua Archiconfraternitati Sanctissimi Sacramenti de Minerua per Breue, Datum Romæ apud Sãctum Petrum die 3. Nouembris 1606. nominatim, & expresè concessorum, ac in posterum concedendorum illisque omnibus, & singulis potiri, gaudere posse, ac debere, statim, atque Confraternitatum earundem erectio Apostolica, vel ordinaria authoritate facta fuerit, seruata tamen in reliquis omnibus

præ-

prædicta Clementis VIII. Constitutione. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis de indulgentijs ad instar concedendis, nec alijs contrarijs quibuscumque. Datum Romæ die 15. Februarij 1608. R. Cardinalis Bellarminus. Anton. Episcopus Anagninus Secret.

33 Item notandum est, quod Bonifacius VIII. introduxit, & primò ordinauit annum iubilei, vt celebraretur quolibet centesimo anno, & concessit visitantibus Basilicas Beatorum Petri, & Pauli de Vrbe plenissimam peccatorum veniam, & remissionem, vt habetur in extrauagant. 1. quæ incipit, *Antiquorum*, sub dat. Romæ apud Sanctum Petrum octauo calend. Martij 1300. eius Pontificatus anno sexto, sub tit. de pęnit. & remiss. Deinde Clemens VI. ad requisitionem Populi Romani, volens quamplurimos huiusmodi indulgentiæ fore participes, cum pauci multorum respectu propter vitæ hominum breuitatem valeant ad annum centesimum peruenire de fratrum consilio de Apostolicę plenitudine potestatis ad annum quinquagesimum reduxit, vt ex extrauag. vnigenitus, de pęnit. & remis. & hoc fuit de anno 1343. Superuenit Paulus II. & rationabilibus causis inductus annum Iubilęi ad annum vigesimum quintum restrinxit, & statuit, quod singulis annis vigintiquinque annus iubilęi celebraretur, quodque anno 1474. proximè futuro à vigilia Natiuitatis Domini Nostri Iesu Christi idem annus inciperet, & vt sequitur, finiretur, ac vniuersi, & singuli vtriusque sexus fideles, qui Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli Basilicas, Lateranensem quoque, & Sanctę Mariæ Maioris Almę Vrbis Ecclesias statutis diebus deuotè visitauerint omnium peccatorum remissiones consequerentur; sed vt Deo placuit dicto Paulo II. de medio sublato, successit Sixtus IV. qui confirmauit ordinationem, & voluntatem dicti Pauli II. ac etiam omnes, & singulas indulgentias etiam ad instar Iubilęi, ac etiam commutādi vota, facultates, concessiones, & indulta, quibuscumque Ecclesijs, Monasterijs, Hospitalibus, & Pijs locis, Vniuersitatibus, Fraternitatibus quibuslibet, tàm in perpetuum, quàm ad certum tempus, quauis causa quomodolibet concessas, & concessa ad eius, & Sedis Apostolicæ beneplacitum suspendit, illasque durante beneplacito prædicto suspensas esse voluit, nec interim alicui suffragari, prout pleniùs continetur in extrauag. Quemadmodum, de pęnit. & remiss. sub dat. Tijbure anno 1473. quarto calend. Septemb. anno tertio.

34 Anno verò 1600. Clemens VIII. indicens celebrationem Sancti Iubilęi pro eodem anno, omnes, & quascumque indulgentias plenarias, etiam perpetuas quibuscumque concessas suspendit ad suum, & Sedis

Sedis Apostolicæ beneplacitum durante eodem anno Sancto Iubilęi, easque eodem anno, & beneplacito durante nulli prodesse, ac suffragari debere voluit. Et præcepit vniuersis Christi fidelibus, ad quos spectat sub pęna excommunicationis eo ipso incurrendæ, alijsque arbitrio Ordinariorum infligendis pęnis, ne interim aliæ, quam indicti iam à se iubilęi indulgentiæ priuatim, aut publicæ quouis prętextu vbiuis locorum, & gentium, nuntientur, vel promulgentur, aut in vsum demandentur. Non obstantibus, &c. Datum Romæ 12. calend. Iunij 1599.

Demum Sanctissimus D. N. Vrbanus Papa VIII. ob Sacri iubilęi celebrationem à vigilia Natiuitatis D. N. Iesu Christi anni 1625. inchoandam, & vsque ad finem eiusdem anni duraturam omnes, & singulas indulgentias, ac etiam perpetuas, & peccatorum remissiones quibusuis Ecclesijs, Monasterijs, Hospitalibus, & alijs locis pijs sęcularibus, & quorumcumque Ordinum, etiam Mendicantium Regularibus sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis clausulis, & decretis quomodolibet concessas suspendit, & suspensas esse declarauit; easque eodem anno durante nulli prodesse, ac suffragari debere decreuit: vt in eius sub plumbo desuper expeditis literis pleniùs continetur, à qua suspensione indulgentiarum exemit Ecclesiam Sanctæ Marię Angelorum domum Ordinis Fratrum Minorum de obseruantia propè, & extra muros Ciuitatis Assisij; & voluit, vt omnes vtriusque sexus Christi fideles prædictam Ecclesiam die 2. mensis Augusti à primis Vesperis vsque ad occasum solis diei huiusmodi visitantes indulgentiam, eidem Ecclesiæ concessam lucrarentur, vt per Breue Sanctitatis suæ sub annulo Piscatoris die 31. Iulij 1624. eius Pontificatus anno primo.

L A V S D E O.

Quæ omnia in hoc opere contenta, & scripta, sint ad laudem, & gloriam Domini Nostri Iesu Christi, eiusque Matris Virginis Mariæ, eaque, & singula, & me iudicio, correctioni, & censuræ Sacrosanctæ Matris Ecclesiæ Romanæ cum omni, qua par est humilitate submitto, cui in omnibus causis reuerentia, ac authoritas debetur, cap. non liceat 3. q. 6.

Laus Deo, Beatissimæ Virgini Mariæ, & Diuę Euphemiæ nostræ Ciuitatis patronę, Diuæ Marię Magdalenæ, ac Sanctis omnibus. Amen.

I N-

INDEX RERVM
MAGIS NOTABILIVM.

Appel-

C

Ciui-

Cle-

Condi-

Consti-

Dam-

D

E

Ex-

Fami-

F

G

H

L

M

N

Q

S

Sacrifi-

ne

T

Testis

FINIS.